



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Lobbetii Leodiensis E Societate Iesv. Specvlvm  
Ecclesiasticorvm, Ac Religiosorvm.**

**Lobbet de Lanthin, Jacques**


**Leodii, 1640**


[urn:nbn:de:hbz:466:1-47105](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47105)




Th. 2791.

J  
lx 6  
4









IACOBI LOBBETII

LEODIENSIS

E SOCIETATE IESV.

SPECVLVM

ECCLESIASTICORVM,

AC

RELIGIOSORVM.

ET IN EO

Monumenta venerandæ Antiquitatis, opportunaque  
morum Documenta;

*500. fol. 322 v. Paderb. 1658.*  
IN LVCEM EDITA; ANNO SÆCVLARI  
CONDITÆ SOCIETATIS IESV.

M. DC. XL.





LEODII,

Typis IOANNIS OVWERX, Suxæ Celsitud. Typog.  
jurati, è regione Palatij. M. DC. XL.

Grandis dignitas Sacerdotum, sed  
grandis ruina eorum si peccant. Læ-  
temur ad ascensum, sed timeamus  
ad lapsum. Non est tanti gaudij ex-  
celsa tenuisse, quanti mœroris de su-  
blimioribus corruisse.

D. Hieronymus libro 13. in  
Ezechielem cap. 44.





ADMODVM REVERENDO PATRI  
AC DOMINO  
D. H V B E R T O  
A S V E T E N D A E L,  
SACRÆ THEOLOGIÆ LICENTIATO,  
IMPERIALIS  
ATQVE EXEMPTI MONASTERII  
SANCTI TRVDONIS  
A B B A T I D I G N I S S I M O,  
Eiusdemq; Oppidi Domino,

T O P A R C H Æ

In Helchteren, Seny, Alem, Halmaele, Donck,  
Borlo, Buuinghen, &c.

PATRONO SVO AC MOECENATI  
SALVTEM AC FELICITATEM.



*Citè pronuntiauit è Philosophis  
vnus aliquis. Speculū o-  
culus est artis: sicut o-  
culus speculum est na-  
turæ. Vt pusillus sit orbis ocu-  
lus, in eo tamen colliguntur Vrbes & Orbes, &  
ipsa species, ideaque totius aspectabilis Vniuersi:*

a 2

ita

## EPISTOLA

ita licet exiguum sit speculum, exhibet nihilominus obiectarum sibi quarumcumq; rerum imagines, sint illa cuiuscumq; molis, atque magnitudinis. Exhibet inquam, & si qua in eis pulchritudo, formaque gratia; si qua è contra turpitudine, ac deformitas, illam fideliter reddit: Et hoc quidem præcipuè in usum, commodumq; generis nostri; ut videlicet homo, qui alia à se videt omnia, seipsum autem nõ videt, videat beneficio vel unius speculi: à quo etiam, & alterum illud habeat, ut si quis in vultu sit neuus, si qua macula, eam illico aduertere possit, atq; eluere: imò verò (quod mirabere magis) in eo etiam cognoscere, in omni vita, atque etate quid deceat, quid ve dedebeat. Pro hac assertionem, Seneca fidem, atque auctoritatẽ appello: Inuenta, inquit, sunt specula, ut homo ipse se nosceret, multa ex hoc consecuta: primò notitia sui, deinde & ad consilium quædã. Formosus ut vitaret infamiam; deformis ut sciret redimendũ esse virtutibus quidquid corpori deesset. Iuuenis

vt

L. 5. Natural.  
quæst. c.  
17.

## DEDICATORIA.

vt flore ætatis admoneretur, illud tē-  
 pus esse discendi, & fortia audendi.  
 Senex vt indecora canis deponeret,  
 & de morte aliquid cogitaret. *Hæc Se-  
 neca è muscolo suo quondam emisit, vel vt po-  
 steros doceret, quis ex naturâ, & ratione deberet  
 esse speculorum vsus; vel vt eos perstringeret,  
 qui plus æquo formæ amantiore, de eâ ad specu-  
 lum disputant etiam ad horas, & dies; quod huius  
 ætatis vitium est; à quo remotiores esse nos dum  
 volo, simul etiam opto, vt quod ab istis speculis  
 homini cui libet ad formæ examen est: hoc Eccle-  
 siasticis ac Religiosis sit ad mores, ab illo speculo,  
 quod exiguo volumine molior; vt scilicet in eo  
 aspiciant sese, notentq; sedulo, sitne in ipsorum ani-  
 mis is qui debet esse decor, sintne ea virtutum  
 ornamenta, quæ illam vitæ rationem quam ma-  
 ximè deceant; an è contra ipsis insideat neuis a-  
 liquis, turpiorve macula, quæ sacrationem illum  
 statum, ceu Ecclesia faciẽ inficiat, atq; deuenustet.*

*Dum autem istud apud me ipse meditor, &  
 hoc speculum meum animâ & spiritus vacuum,*

EPISTOLA

hominū oculis exponere paro; in mentē ac cogita-  
 tionē incurristi (PRÆSVL DIGNISSIME) tan-  
 quam viuum, ac spirans Trudonensis Ecclesie spe-  
 culum. Dicā enim quod ex vero dici potest, ac de-  
 bet: ad insulam, pedumq; euectus es amabili Dei  
 prouidentia, qua disponit omnia suauiter;  
 Et in ea dignitate, qua tuos inter est longē maxi-  
 ma, mirā morum suauitate, ita te probare cœpi-  
 sti, ut ab illo honoris culmine de humanitate nihil  
 omnino decessisse, accessisse plurimum videatur.

Sap. c.  
2.

L. 4. E-  
pist. 7.

Dixit olim Ennodius; qui fastum in su-  
 blimitate castigat, docet se meruisse  
 quod adeptus est. Et ita hactenus docuisti,  
 docebisque (voti speramus) dum viues. Hoc enim  
 spondet appensa tuis armis hac tessera; Omnia  
 Suauiter.

A qua primum petenda est illa oris tui, ani-  
 mique, ceu speculi, dignitas, cuius gratiam, ac  
 splendorem mirum quantum auget eruditio pla-  
 nē singularis; quā tuos inter emines, donatus  
 etiam laurea Theologicā; à qua virtutem cum  
 doctrina (qua duo Præsulem faciunt) ita nectis,

ac

## DEDICATORIA.

ac maritas : ut dubium sit utra vincat , aut vincatur ; sed parum interest : vincit utraque , dum vincitur. Verum de his pro merito tuo sanè parcius ; pro modestia tua plus satis : Sentio enim me tacitè moneri , ut à te tuisque laudibus discedam , oculosque , ac mentem altius erigam , ducamque in domum aeternæ Beatitatis ; è qua Cœnobij tui diui Tutelares lucent , lucebuntque in ævum omnes tanquam Specula Mortalium oculis exposita , ut in ijs præclara magnarum virtutum ornamenta , & seu gratia , seu etiam gloriæ splendorem , ac lucem aspiciant , studeantq; impensius æmulari ; atque imprimis S. Trudonis Abbatis omninò Sanctissimi , qui & Monasterio , & Vrbi nomen , famamq; fecit. Tum etiam S. Eucherij Episcopi Aurelianensis , ab innocentia morum , vitæque integritate multo celeberrimi : tum deinde S. Liberti Martyris inclyti , qui solum illud suo sanguine & imbuit , & sacrauit : tum deniq; S. Beregisij propter eximia virtutum decora Pipino principi longè carissimi : cuius auspicijs cõditum Andaini Cœnobium , quod postea

D.

EPISTOLA DEDICATORIA.

*D. Huberti dictum, multâ cœli gratiâ, multisq̃  
prodigijs celebre.*

*Ita nimirum factum est (& factum bene) ut  
è Trudonensi Cœnobio sacra ducerentur Colonia,  
nouaq̃ & Cœlis & Terris assurgerent sanctif-  
simorum virorum Asceteria, quæ illi debent pri-  
ma & Religionis & Sanctitatis suæ fundamen-  
ta. De quibus Adm. R. D. V. gratulor, voueo-  
que ut nobis, ut Tuis omnibus, ut Legiæ, Patriæ  
tibi amantissimæ, quam diutissime viuas; ut in  
Te, seu Religiosæ Vitæ speculo, seu etiam Parente  
ac Præsule, habeant filij tui, (viri sanè Religio-  
sissimi) quod aspiciant, quod ament, quod imi-  
tentur. Et hæc sunt vota, quæ cum meis, ac meo-  
rum officijs in manus Adm. R. D. V. lubens  
volensque depono. Leodio 27. Februarij Anno  
M. D. C. XL.*

Adm. R. Dominationis Vestræ  
Seruus in Christo

IACOBVS LOBBETIVS  
E SOCIETATE IESV.

AR.



## ARGVMENTVM, PARTITIO, ET

FINIS TOTIVS OPERIS.

**I**N hoc opere, mihi animus, & consilium fuit; ex ipso nomine, natura, ac functionibus Ordinis Ecclesiastici; tanquam è visceribus causæ, eruere opportuna formandis moribus documenta, vt in omnium oculis, essent ea bonæ mentis decora, quæ illos ornare debent, quos amabilis Dei prouidentia suis aris ad-mouerit.

Vt autem in hoc argumento, aliquo rerum ordine, nexuque procederem, putavi ab infimis ad summa mihi gradum esse ponendum. Itaque primum initium duxi à Clerico, eiusque etymologia, Tonsura, & Corona: tum ad sacros Ordines, quibus initiatur, ascendi: tum etiam ex ipsa veste, quæ corpus illius tegitur, euasi ad animum, cui (vt ait D. Gregorius Nyssenus) pro veste est ipsa virtus: tum denique paucis attigi præcipua status illius munia, qualia sunt SS. Missæ sacrificium, Canonica Horarum officia, aliaque his affinia, in quibus quis esse debeat religiosæ mentis æstus, è sacris cæ-

*De Opif.*

*Hom. 5.*

4.

a a

remo-

ARGUMENTVM.

remonijs, deduxi. Et hæc de argumento mihi proposito; de titulo, etiam pauca.

Placuit in fronte huiusce Libri, ascribere illud. *Speculum Ecclesiasticorum, ac Religiosorum*; quia & his, & illis suus olim fuit, atque etiamnum est, speculorum vsus: quem ne damnes *amice Lector*, attende quid ab illis æterna Dei sapientia voluerit deriuari.

Ex eius nutu, ac præcepto altare holocausti fabricauit Moyses, & fecit illi, *labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum.*

Quæ porro fuerint ea specula, cuiusque materia, lis est inter Authores, eaque adhuc sub iudice. Sunt enim qui velint fuisse è puro, nitenti que crystallo; sunt qui ex ære solido fusa, quibus scilicet eoloci, ac temporis Iudæas mulieres vti solitas testatur Rabbi Abraham, & Philo Iudæus, cuius hoc est de illis luculentum testimonium. *Specula, ad quæ formam curare solite, sponte, nemine iubente Deo dedicauerunt; hæc ad se delata, opifex in vnam massam confuderat: vel quod malim, appenderat ad labrum æneum; veluti desumptum è mundo muliebri, pium anathema. Sed quos, inquires, in vsus? is in aperto est, & clara luce; vt videlicet Sacerdotes operaturi sacris, seipos prius in illis spectarent, discuterentque probè, num forte esset aliquis in facie næuus, aut macula, quæ eam deturparet.*

Quod

ARGUMENTVM.

Quod si ea corporum cura fuit, quæ esse debuit animorum? certe quam maxima. Et verò hanc vnã spectabat ille ritus, monebatque, vt ab illorum munditia, ad horum cultum, nitoremque procurandum, eo speculo, tanquam oculo, ducerentur.

Atque hoc ipsum est, quod exiguo opere mediator; sacra quippe Christianorum adyta subituris, speculum offero, ad quod conscientiam, ceu animæ faciem, examinent, videantque num is sit in ea decor, is nitor qui Ordini Ecclesiastico, ac Religioso conueniat; qui superos oblectet, qui Dei ter Opt. ter Max. conspectum non reformidet. Videbunt autem si seipfos vel de nomine nouerint, seduloque perpenderit quis debeat esse Clericus, Religiosus, Sacerdos, Pastor, Præsul: & quæ horum, atque illorum officia.

Ea porro omnia in hoc volumine, velut in speculo, proponenda duxi, ad virtutis studium, & cultum animorum, cui comparando, ex vitæ suæ instituto, Ecclesiastici omnes ad laborare tenentur; tum quia in eos tanquam in specula quædam animata cæteri mortalium oculos conijciunt, tum quia (vt in simili Salustius) etiam ipsi *magno imperio præditi in excelsis atatem agunt, & eorum facta cuncti mortales nouere*: ideoque eiusmodi esse oportet, quæ omnibus ad bonum stimulo esse possint, atque exemplo. Hoc si impetrem, ampla erit exiguo labori merces,

In Con-  
iurat. Ca-  
tilinæ.

ARGVMENTVM.

merces, & tibi, *beneuole Lector*, magnus à cœlo  
prouentus; quem si non assequar, non dubitabo  
cum Saluiano dicere.

*Hoc ipsum infructuosum saltem non erit, quod pro-  
desse tentavi. Mens enim boni studij, ac pij voti,  
etiamsi effectum non inuenerit boni operis: habet ta-  
men premium voluntatis.*

IACOBI.



2

---

IACOBI LOBBETII  
LEODIENSIS  
E SOCIETATE IESV.  
SPECVLVM  
ECCLESIASTICORVM,  
AC RELIGIOSORVM,  
ET IN EO  
*Monumenta Veneranda Antiquitatis ;  
Oportunaq; morum documenta,*  
AD VSVM CONCIONATORVM.

---

CAPVT I.

*Quæ genuina Clerici Etymologia ?*

**D**E Clerico duo quæri posse videntur.  
Primum quid nominis? deinde quid  
rei? de hoc, & illo aliqua mihi erit disce-  
ptatio, eaque ad illius ordinis dignita-  
tem, maiestatemque instituta.

§. PRIMVS.

*Prima Etymologia nominis, Clericus.*

**F**Vit olim illud in more positum, vt nemo vnus  
alijs præficeretur, nemo in sacra, profanaque  
dignitate sublimis consisteret, nisi is. Cui fors, &  
A fortuna

fortuna dedisset. Ita mihi cæteros inter author est

In moral. Plutarchus: *ut in Democratia, inquit, cui sorte con-*  
*tigit imperium, eum oportet imperare: sic in vita ho-*

Dialog. *minum, quod fors dederit boni consulendum.* Ita sanxit

5.

olim Plato cum ageret de Republica benè consti-  
tuenda, sorte statuendum quis cui imperaret. Et  
vero ea institutio non videtur à ratione, bonoq̃ue  
communi aliena: sortes enim in manibus Dei sunt,  
ab eo versantur in eam partem, & sese in ea capita  
inclinant, in quæ suaues, & miræ diuinæ prouiden-  
tiæ leges inclinarint. Secus omnino fit, cum ab aui-  
to parentum sanguine, à natali luce petuntur hære-  
ditates, atque obueniunt imperia, tum enim ei ac-  
quiescendum, quem tibi maternus uterus effuderit,  
sit quamuis ille stupidus, sit bardus, sit inops arduæ  
mentis: sit à natura, ab ingenio potius abiectus ad  
haram, & pascendos porcorum greges, armenta-  
que; quam erectus ad aulam, ad purpuram, sce-  
ptrumque, & hominum imperia destinatus; natu-  
ræ in eo cedendum est, natalique necessitati. Non  
ita cum imperia, cælo, diuinæque sorti commit-  
tuntur, tum enim in ea non incurrit in terris, nisi  
qui prius in cælorum fastis ijs fuerit ascriptus. Ita,  
ut è sacris paginis vnum aliquem petam: cœlesti,  
diuinaque sorte in Regem Israël electus est Saül,  
populoque cum summa potestate præfectus. Quæ  
ad thronum Regium, sceptrumque via fuit, eadem  
deinde

1. Reg. 6.  
10. v. 20.

deinde ad Pedum & Infulas, sacrasque dignitates.

Testis erit Mathias, qui in sortem venit, forteque in Apostolatam: primus ille Clericus fuit, ab eoque ceteri posteris sæculis succedentes Clerici nomen, & appellationem consecuti. Huius propositionis authorem habeo D. Augustinum: *nam & In Ps. 67. Cleros, inquit, & Clericos hinc appellatos puto, qui sunt in Ecclesiasticis gradibus ordinati quia Mathias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Clericus enim dicitur à κληρος, id est, à sorte, quia sorte in sortem Domini affiscitur.* Nimirum habet illud amabilis Dei providentia fortes regit, flectitque ad commune bonum. Quæ autem & cuius generis illæ fortes, inter Doctores sua lis est, eaque adhuc sub Iudice.

Salmeron, Sanchez, alijque pauci, credunt fuisse numerum calculorum, ac suffragiorum, à quibus Mathias undecim Apostolis annumeratus, & veluti communibus calculis in eam Ecclesiæ dignitatem cooptatus. Verum ea deligendi ratio parum consentit cum sorte; quæ vel ex ipsa nominis intelligentia, inditaque vi aliud sonat. Ideoque magis consonat cum communi, tritaque sortis appellatione S. Dionysius, qui censet fuisse ostentum aliquod diuinum, & S. Antoninus, qui radium cœlestem in Mathiæ caput illapsum.

*In Eccl.  
Hierarc.  
can. 5.  
I. Parte  
tit. 6. c. 2.*

Ita plerumque ferunt cœli leges, & pacta, cum

A 2

quis

4 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
quis è puluere, saccoque in sacratiores Infulas, è te-  
nebris, obscuraque nocte in lucem amplissimæ di-  
gnitatis euocatur, fauente superum aura, demitti so-  
let signum aliquod, quod hominem prodat obij-  
ciatque caligantibus mortalium oculis. Sic ad ty-  
ram Pontificiam euectus est S. Gregorius specie  
igneæ columnæ, ceu difertâ cœli linguâ. Sic ad ean-  
dem summi Pontificis maiestatem, electus S. Fabia-  
nus ostento niuæ columbæ quæ è superum arca  
in orbis huius aspectabilis eluuiem emissa, cum  
non inueniret vbi quiesceret pes eius, in sacratissimi  
viri caput elapsa, conquieuit: quod ipsum à D. Ma-  
thiæ sorte obtigisse piè credit Dionysius Carthusia-  
nus, penes quem sit ea fides, & persuasio. Tutius alij  
sortem illam existimât fuisse donum aliquod pro-  
phetiæ, aut sapientiæ diuini cœlitus aspiratum:  
quamquam nec illud alij probant, maluntq; fuisse  
puram, putamque sortem, quam tamen omnipo-  
tens Dei manus dirigeret, & hi quidem fortè magis  
genuinè, & appositè de illa sorte philosophantur.  
Verum vt vt sit, parum interest, ab illa certè dictus  
est Clericus id est sorte electus.

Tu quoque, qui in eam sortem venisti, ab ea di-  
ceris Clericus, hoc est electus, non hominum suf-  
fragijs, sed superum calculis: non casu, sed diuino  
consilio è toto mortalium genere ad id dignitatis  
assumptus. Assumptus, inquam, etiamsi voles per  
mira-

miraculum, per donum altioris sapientiæ, à qua doceris ea sapere, quæ Dei sunt, non quæ mundi, per amœnam & benè ominatam columbæ speciem, cœlestem dico Spiritus Sancti afflatum, à quo fortunatum omen futuræ aliquando fœlicitatis, si tamen in ea sorte consistas, vitamque exigas consonam tuæ vocationi, de qua magnificè & elatè Apostolus: *Gratias, inquit agentes Deo, & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* Ad Coloss. c. 1. v. 12.

Memores & gratos animos spectat, amatque Paulus, & hæc prima clericalis officij ratio, alteram adnectit Ecclesiasticus: ita enim ritè monet. *Cognosce iustitias, & iudicia Dei, & sta in sorte propositionis, & orationis altissimi Dei. In partes vade sæculi sancti cum viuis, & dantibus confessionem Deo;* Cap. 17. v. 24. 25. Initium ducit à cognitione iustitiarum, & iudiciorum Dei, quæ præscribunt quid æquitatis ratio postulet: tum altiore cothurno assurgit, & in sacra militia iam ascriptum Clericum, vno etiam verbulo monet, quid deceat, quid dedeceat, talia stipendia merentem. *Sta,* inquit.

Vox omnino militaris, quæ suadet in acie standum & in eodem vestigio, aut vincendum, fortiter, aut gloriosè moriendum: militi enim turpis est fuga, nec tergum obijcit, sed frontem ostentat generosa turba. Quod ipsum suos olim docuere Lacædemonij qui militibus iam iam cum hoste congressuris

6 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
gressuris modo soleas, siue calceos plumbeos indu-  
cebant, ne forte ad capescendam fugam *pedibus ti-*  
*mor adderet alas*, modo anchoras nauali fune ex  
collo religabant, soloque altius infigebant; vt si flu-  
ctuaret animus, leuisque ac timidus effugij locum  
aspectaret, vel à pedibus teneretur apposita plumbi  
mole; vel à collo fixus ad sacram, & militarem an-  
choram hæreret, cadensque pro patria, pro laribus  
ac focus generoso ore morderet terram, gloriæque  
portum inter conciues suos inueniret.

Quod si in acie, profanaque palæstra ea lex im-  
posita, ea standi, aut moriendi iniecta necessitas,  
quanto magis in sacratione militia, cui nomen iam  
dedimus standum nobis erit *in sorte propositionis*,  
proposita, inquam, vocatione, quæ audit fors *propo-*  
*sitionis*: metaphora ducta à panibus *propositionis*  
quos ita appellare placuit, quod hebdomade tota  
manerent in mensa Domino propositi.

Sic & Clericus obstinato animi proposito om-  
nem reliquæ vitæ cursum exigere debet Deo suo in  
sancta vocatione propositus, nec vnquam in profa-  
nas mensas, profanos, inquam, vsus inferri.

Hoc si assequatur, ibit in *partes sæculi sancti*; hoc  
est in virtutes, insignemque gratiam sanctorum,  
quorum hæc præclara monita posteritati com-  
mendanda.

Rogauit olim quidam S. Antonium. *Quid fa-*  
*ciam*

*ciam ut Deo gratus efficiar ? cui vir sanctus tria  
præscripsit ; primum hoc fuit. Deum semper præ o-  
culis habe. Alterum quodcumque opus aggressus fue-  
ris, S. Scripturæ testimonio illud confirma.*

*Tertium denique. Quocumque in loco confederis,  
non te cito inde moueris, sed in eo permane, hæc tria  
serua & uiues.*

*Hæc S. Antonius, cui consonat & illa S. Ephræm* Apo-  
phtegm.  
SS. Pa-  
trum.  
*ad suos adhortatio. In quo vocatus es opere, firma  
anchors, ac funes, ne in pelagus nauis tua paulatim  
impellatur, & tunc docebit te experientia, quali pa-  
ce in portu constitutus fruereis. Hunc si oculis, si ani-  
mo aspectas, iterum moneo. Sta in sorte propositio-  
nis ut ab illa vadas in sæculum sanctum, sæculum,  
inquam, sanctæ beatæque æternitatis.* Adhort 4.

§. 2.

*Secunda Etymologia nominis Clericus.*

**S**unt Alij qui Clerici appellationem, & etymon  
aliò vocant, creduntque eò dici quod de sorte  
fit Domini, sortemque id est hæreditatem à Domi-  
no consequatur. Nimirum olim statuit Deus ut sa-  
cerdotibus, ac leuitis nulla obueniret hæreditas,  
nulla bonorum possessio. Verba legis hæc erant. Num. c.  
18. v. 20.

*Dixit Dominus ad Aaron, in terra eorum nihil  
possidebitis, nec habebitis partem inter eos, quia ego  
pars & hæreditas tua in medio filiorum Israël. Deus*

*opt.*

8. SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
opt. Max. cui militat Ether, cui panduntur, & fluunt  
immensa maria, cui suas opes, sua spolia, frugesque  
terra concedit, cui summo iure, summo in omnia  
dominio debetur, quidquid vsquam locorum ha-  
bet hic orbis aspectabilis, ( quæ eius in pusillos, in-  
dignosque mortales indulgentia fuit ) tria tantum  
sibi seruata voluit, Primitias frugum, decimas, &  
sacrificia, siue victimas quæ in aris caderent. Ea dein-  
de in Sacerdotes, ac Levitas effusâ liberalitate tran-  
stulit, itaque dicuntur illi adijisse ipsam Domini for-  
tem, ac hæreditatem.

Hic exultant hæretici nostri temporis, Cleroque  
insultant improbè, iactantes antiquum illud, Cle-  
ricos solis decimis contentos viuere oportere, diui-  
no iure omni hæreditate priuari: sed aduertisse de-  
buerant, legem illam ceremoniam esse; & cum  
cæteris eius generis abolitam penitus, atque è sacra-  
rum legum serie expunctam: sed inuidia huic ho-  
minum generi oculos vel oppressit, vel clausit, sola  
lingua ad maledicendum expedita, os apertum &  
patens.

Sed ecce iterum immurmurant, & ad antiqua;  
diuinaque iura, addunt humanas leges, Cæsarum-  
que constitutiones, quibus Clerici prohibentur adi-  
re hæreditates, imò & legata pia capere. Eas Cæsa-  
rum sanctiones, ac decreta non sine magno animi  
sensu excepit olim, & legit Ambrosius, quod vide-  
rentur

rentur ordini sacro insignem aliquam ignominia  
 notam inuisse. Hæc sunt D. Ambrosij verba. *Soli* Cont.  
Sym-  
mach.  
*ex omnibus Clerico ius commune clauditur, à quo solo  
 pro omnibus votum commune suscipitur : officium  
 commune defertur: nulla legata, nil grauium vidua-  
 rum, nulla donatio.* Has vbi querelas graui vt sem-  
 per alias solet, modestoque stylo exposuit melli-  
 fluus Doctor, tum subiicit dignam animo suo, In-  
 fulaque sententiam; qua Clericos omnes vel erigat,  
 vel moneat. *Malo, inquit, nos pecunia minores esse,  
 quam gratia.* Nimirum illa huic æuo breui, ac peri-  
 turo vix malè seruit; hæc æternitati prospicit, pa-  
 ratque diuitias, quas non deterat, non exedat vlla  
 temporum inclinatio, vllaque sæculorum vetustas.  
 Et hanc tamen, quæ primo loco reponi debuit, hæ-  
 retici in postremis ponunt, illam in oculis, in amo-  
 ribus in pretio habent, ideoque illa capti ferre non  
 possunt, aliquem à pecunia, à censibus, Clericali or-  
 dini splendorem, ac præsidium accedere. Repetunt  
 iterum, ac sæpius ingeminant detritas illas, & obso-  
 letas Iudæ voces. *Vt quid perditio hæc?*

Ante bella Bohemica Comes Palatinus, cum  
 fortè Monachij ageret cum Duce Maximiliano, vi-  
 deretque in sacris ædibus appensa anathemata, lam-  
 pades, & candelabra argento fusa, immensi que  
 ponderis: sacræ illius opulentia impatiens, adiecit  
 illicò. *Vt quid perditio hæc?* cui Bauarus, pro serene-

10 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
nissima, augusta, id est, Bauarica pietate, ac solertia,  
scitè respondit. *Domine cognate, ista sunt verba  
Iudæ.* Vtinam ea æquis auribus exciperent hæretici  
nostri temporis, non ea foret maledicendi licentia;  
à qua priusquam discedam, stylum ad auita Iudæ  
tempora reuocabo.

In domum Simonis sese immiserat Magdalena,  
& vt erat Domini sui amans, ac reuerens: ad eius  
pedes sese abiecerat, multoq̄ue lacrymarum imbre  
eos iam lauerat, imò & vnguento pretioso probè  
imbuerat: effusi liquoris fragrantiam læti admitte-  
bant conuiuæ, probabat Seruator optimus, ipsæ au-  
ræ, & vicinus aër eâ demulceri, capi que videbatur:  
at eâ non demulcetur, non capitur vnus Iudas, cuius  
anima in marsupium abiecta, tota auro, nummis-  
que incumbat. Hinc importunæ illæ voces, &  
iniquæ querimonix. *Vt quid perditio hæc? poterat  
enim vnguentum istud venundari plusquam trecentis  
denarijs, & dari pauperibus.*

Hæc olim iactauit impius Iudas fucatus, & adul-  
terinâ pietatis specie, nec enim vnguenti pretium  
effundi in pauperes voluit, sed suo marsupio, & in-  
sanæ libidini, auaritiæque mancipari. Ita penitus  
hæretici nostri temporis, vbi sentiunt piorum mu-  
nificentiam aliquid æris, aliquid vnguenti pretiosi ef-  
fundi in Christi pedes, pedes euangelizantium pa-  
cem, tum verò nauseabundi atque indignabundi  
apud

apud semetipsos infremunt, & in reluctantes auras ex ipsis inferis euocant illas Iudæ voces. *Vt quid perditio hæc?* Poterant ea Christianæ beneficentiæ fluentia in egenos deriuari, poterant ea Christi pedes, pauperes, inquam, eluere & è miseris indigentia sordibus eripere: ita ministelli hæretici, non tam in egenos beneuoli, quam in Clerum, & Romanam Ecclesiam quam pessimè affecti; mallent illam in squalore, & situ paupere iacere, quam aureis Regum, Cæsarumque gazis attolli, & nitere, & hoc vt dixi, non virtutis studio, sed odio religionis.

Ad quod etiam spectant calumniæ Petri Molinæi Ministri Sedanensis, qui pro inueterata sua in maledicendo licentia, iactat & Pontificem & Romanum Clerum à prima sua institutione defecisse, nec amplius vsurpare posse illud Petri. *Aurum & argentum non est mihi.* Imò & subijcit illud petulanti lingua, Pontificem summum posthabitâ literâ Dominicali, *numerum aureum sectari*, insimulans auaritiæ, & immensæ cupiditatis.

Verùm meminisse debuerat illius, quod olim nascens Ecclesia vidit, suspexit, amauit, cum primi Christiani ad pedes Apostolorum abiecti suorum prædiorum pretia, & proventus omnes effunderet, adeò vt Ananiæ & Saphiræ subito interitu steterit, eorum tantum partem obtulisse, reliquam mendaci linguâ suppressisse.

De auita illa pietate ita Chrysoftomus: *magnus*  
*Hom. 11. (inquit) honor, quandoqui dē non in manus sed ad pe-*  
*in Act.* *des Apostolorum ponebat.*

Cuius honoris, demissionisq̄ue rationem alio  
*Hom. 27. loco hanc reddit, Non ad manus ipsorum ponebant,*  
*in Ep. ad* *sed ad pedes, declarando fidem, & pietatem, & reue-*  
*Cor.* *rentiam quam habebant Apostolis, & quod maioris*  
*ducebant quod ab eis reciperentur, quam quod ab eis*  
*darentur dona. Hæc S. Doctor ex totius Antiqui-*  
*Isa. 49. tatis sensu, primoque nascentis Ecclesiæ spiritu, cu-*  
*v. 23.* *ius meminisse debuerat Molinæus, vt & antiqui il-*  
*lius Oraculi de Ecclesia, Cleroq̄ue nobili. Erunt Re-*  
*ges nutritij tui, & Reginae nutrices tuæ, vultu in ter-*  
*ram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuo-*  
*rum lingent.*

Deniq; meminisse debuerat, & alterius eiusdem  
*Isa. c. 60. Prophete vaticinij. Ponam te in superbiam seculorū,*  
*v. 16.* *gaudium in generationem & generationem, & suges*  
*lac gentium, & mamilla Regum lactaberis: que ver-*  
*ba ad ipsam Romanæ Ecclesiæ maiestatem referri vo-*  
*lunt Sancti Patres. Et verò insigni sua munificen-*  
*tiam inde à primis sæculis retulerūt, probaruntq; pij*  
*Cæsares, Regesq̄ue. Tua appello tempora, tuos an-*  
*nos Auguste Cæsar, Cæsarumq̄ue maxime, Con-*  
*stantine. Vix enim è sacro fonte elutus abieras, cum*  
*in vberes, & inexhaustos beneficentiæ fontes erupi-*  
*sti, fontem illum, qui corpori, animoq̄ue saluti fue-*  
*rat, ornasti, ditasti, beasti.*

E Porphyrético lapide ingens vas fuit, quod intrinsecus, argento purissimo vestiebatur eo luxu, ac pondere, quod libras argenti caperet tria millia, & octo.

Baron.  
Anno  
Christi  
324.

In fontis medio assurgebat columna Porphyrética, quæ phialam sustinebat ex auro purissimo librarum omnino quinquaginta: in ea, illucebat lampas balsamo grauida, & olens, quæ sacrum alebat ignem.

In fontis labro visebatur agnus aquam è vase excipiens, & effundens, isque solido auro librarum triginta. Ad agni dexteram conspicuus erat Seruator noster è puro argento librarum septuaginta supra centum. Ad agni læuam eminebat Sanctus Ioannes Baptista, & ipse ex argento factus, pondere librarum centum; hinc, & inde latera stipabant, lymphasque vberè cornu fundebant cerui septem argento fusi, singuli octingentis libris graues: quibus accedebat thymiamaterium ex auro solido, pondere librarum decem, cui lucem, & splendorem addebant gemmæ maiores supra quadraginta, omnes ex vltimo Oriente, & diuite gaza petita.

Hæc tua fuit munificentia, hæc augusta pietas, & religio magne Cæsar, quæ te Coelis amabilem, terris illustrem fecere: cuius æmuli orbe toto fuere viri Principes, Orbis lumina, Reges potentissimi.

Habes in Gallia Carolos, Dagobertos. In His-

14 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
pania Alfonso, Ramiro, Petros, è quibus hic Ara-  
goniæ Regnum Romano Pontifici vectigale fecit.  
Habes in Hungaria Stephanos, Ladislaos, Ludouicos,  
quorum adeò effusa liberalitas fuit, vt tertia  
Hungariæ pars Ecclesiæ, Cleroq̃ue cesserit. Mitto  
alios, Italia, Germania, Polonia, Bohemia, Dania,  
Noruegia fufos Principes.

Verum vt alios omittam, vos tamen præterire  
nec debeo, nec possum Catholicæ quondam An-  
gliæ, decora, Reges inclyti: Teq̃ue in primis Iuna,  
quem in purpura, sceptroque magnum suspexit  
Anglia; maiorem, posito diademate, in vili lacerna,  
& religioso puluere. Tu ad cætera regiæ munifi-  
centiæ, pietatisq̃ue decora, hoc quoque adiecisti, vt  
non ipse tantum Romano Pontifici, Cleroq̃ue tri-  
butum penderes, sed & Anglia tota D. Petro annue  
etiam per domos singulas vectigal, & denarium,  
piæ seruitutis pretium, exsolueret. Tenuit ea tributi  
ratio ad annum vsq̃ue millesimum quingentesi-  
mum trigesimum tertium, quo Henricus Octauus,  
& eam extinxit, & suaue Ecclesiæ Matris iugum ex-  
cussit, vnàq̃ue ingentem, & religionis, & sacrarum  
ædium ruinam traxit, adeò vt vno anno dicantur  
ad decem templorum, & Cœnobiorum millia  
euerfa, soloq̃ue æquata. Ita quod multis sæculis ex-  
tulit Romana religio, pietasq̃ue, hæresis effera vno  
anno duntaxat diruit, absumpsit, dissipauit. Hæc  
nimirum

Caron. à  
Chri.  
740.

nimirum sunt hæreticæ prauitatis trophæa, hæc spolia, hæc strages quas amat, & facit auara ministrorum manus, & calumnijs deuota lingua, quæ ad Cleri opes, ac maiestatem iterum ac sæpius ingeminat illud *Vt quid perditio hæc?*

Verùm vt videat non perdi, non perperam abijci, non malè prostitui, quæ ijs conceduntur, qui altari seruiunt, producam etiam è profanis seu testimonia, seu exempla, quæ probent publicis stipendijs, annuo censu foueri, & ornari debere eos omnes, qui vt Deo diuisq; vacent, alijs sibi interdiciunt.

Certè etiam apud Æthnicos iura ciuilia permittebant hæredes institui Deos ipsos fictitios, Iouem, Herculem, Martem, aliosq; sexcentos, modo vel senatusconsulto, vel Principum constitutionibus Dij fuissent approbati; quæ gentium munificentia à Dijs ipsis ad eorum quoque Mystas est deriuata.

Vlpian.  
libello ti-  
tutorum,  
tit. 22.

Vnum accipe è profanis, ex eoq; disce quis nationum etiam barbararum sensus. Daijri Iaponum Imperator Bonzijs suis tredecim valles addixit, longo tractu diffusas, ipso situ amœnissimas, & terra, coeliq; genio fecundas, atq; amabiles. Quibus addidit in reditus annuos ducenta aureorum millia; insuper, & oppida duo, quorum incolæ teneantur diebus singulis Bonzijs deferre cibos omnes etiã coctos, & probè conditos.

In ijs vallibus sumptu publico erecta idolorum  
fana

16 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
fana ad tria millia, octingenta, totidemque Bonzio-  
rum cenobia. Et ne putes eiusmodifana situ &  
squalore horrida, qualia volūt hæretici, in templo,  
& ara principe visitur idolum prægrande, lamina  
tectum aurea, habet illud tria capita, brachia verò  
quadraginta, totidemque manus. Hoc idolum am-  
biunt mille quingenti colossi, in quibus eminent  
totidolorum statuæ; hominis forma, & magnitu-  
dine omnes aurea lamina tectæ, & gemmis illu-  
stres. Hæc sunt Ethnicæ munificentæ prodigia,  
hæc in muta simulacra, ipsosque Cacodæmones ve-  
neratio, quam ideò huic meo operi inferere volui,  
vt videant hæretici non esse alienum à natura, ratio-  
ne, sensuque communi omnium nationum, vt ho-  
minibus Deo sacris obueniāt opulentę hæreditates.

Et quia huic errori suo præsidium petierunt à  
Cæsareis constitutionibus, ac decretis, non possum,  
quin eisdem verbulo faciam satis. Vt concedamus  
illud ad retundendam insolentem quorundã Cle-  
ricorum auaritiam, atque famem, Imperatores olim  
prohibuisse, ne vel pia legata admitterent, vel hæ-  
ditates assequerentur: vt, inquam, cōcedamus illud,  
at etiam fateantur hæretici necessum est, pios dein-  
de Cæsares ea decreta reuocasse, ne aut in sacrum or-  
dinem iniurij, aut in superos minus pij viderentur.  
Legi potest super ea re Epo Boëtius I. V. Doctor, &  
in celeberrima Duacensi Academia quondam Pro-  
fessor

fessor, libro secundo heroicarum quæstionum.

Legi potest & commendari pronunciatum illud Iustiniani. *In Ecclesijs dotandis optimam esse mensuram donatarum eis rerum immensitatem.*

L. Priuilegia c. de sacrosanctis Ecclesijs.

Est tamen vnum, alterumve, quod Clericorum nomini, animoque memori inscribi velim.

Primum vt longius absint à nimia rerum caducarum appetentia. Vt enim Theodosius in nouella ritè pronunciat. *Decet eum qui sacrosanctis desiderat inherere mysterijs, fide magis diuitem, quam facultatibus adprobari.* Alterum vt si rerum potiantur, diuitesque numerent census, meminerint se eorum non tam Dominos, quam ~~de~~ conomos, ac dispensatores adhiberi. Eum se credidit Augustinus, qui in hoc argumento mihi erit instar omnium: etsi enim Episcopus esset nobilissimæ ciuitatis, diuitiasque haberet propè inuidendas, eas tamen non tam suas, quam Christi & pauperum esse ducebat.

Nouella. 41.

*Nostis, inquit, fratres mei, quia villa ista non sunt Augustini, & si vos non nostis, & putatis me gaudere in possessione villarum, Deus nouit ipse scit, quid ego de villis sentiam vel quid ibi sufferam.*

Aug. Tract. 6. in Ioan-nem.

Hæc D. Augustinus à quo edisces illud: non affici, non affigi terræ, villis, possessionibus: tum etiam alterum ex eius calamo hauries: si tibi ex illis fuerint superflua; ea in Christi pedes, pauperes inquam, abijci, effundi que oportere. Ita te in primis

C

monet

*Aug. Tract. 50. in Ioannem* *monet exemplo Magdalenæ: Vnge pedes Iesu bene viuendo: Dominica sectare vestigia: capillis terge: si habes superflua da pauperibus, & Domini pedes tersisti. Capilli enim superflua corporis videntur. Habes quod agas de superfluis tuis. Tibi superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria. Fortè in terra Domini pedes indigent.*

## §. 3.

*Tertia etymologia nominis Clericus.*

*Pf. 15. v. 5. 6.* **P**ro quodam excessu mentis, ac lætitiæ victus Propheta exclamat. *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei. Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas mea præclara est mihi.*

Ex humili rure, paupereque tecto in solymæ Regiam, diuitesque gazas euectus erat Dauid; non humana sorte; sed diuino consilio, & amabili prouidentia, de qua tamen non gaudet, non exultat, non sibi, suisque gratulatur: sed de hoc vno vel maximè, quod Dominus esset pars hereditatis suæ, portio calicis, præclari funes, à quibus immensa hereditas, non ea quæ mortalibus obuenire solet, quæ est exigui ruris, angusti que soli; non etiam ea quæ Genijs immortalibus, quæ est effusa Cœli vastitas, superum Regia, sedes beatorum: hæc enim omnia vt pusillo homini magna videri possint, ei certè magna videri non possunt, cui nota sit, & perspecta

Dei

Dei magnitudo, quæ quia Dauidi in oculis, in animo erat, de ea vna miris incessit gaudijs, & in memores auras emisit illud. *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei*; merito dixit *calicis mei*; tum vt innueret sibi à Domino abundè prouideri de cibo, potuque, deque vitæ necessarijs, tum vt alluderet ad antiquum morem, quo portiones hereditatis in calicem mitti, & ex eo sorte extrahi solebant: quo spectant illa verba filij prodigi ad Parentem. *Da* Luc. 15. v. 12. *mibi portionem substantiæ quæ me contingit*; tum denique vt tacitus insinuaret æstum illum diuini amoris, à quo vocatus erat in eam Domini sortem, ac hereditatem.

Huius porrò supernæ beneficentiæ symbolum est calix, qui Cassiodoro interprete dicitur à calore, quod eo veteres calidam biberent: fuit ille calix omninò calidus, non musto, non mero æstuante; sed calore, sed luce, sed igne diuinæ munificentiae, à qua venit Dauid in Domini hereditatem, in partem beati calicis, & funes extendit in præclaris; vel vt Hieronymus vertit *in pulcherrimis*; vt Aquila *in venustis*; vt Chaldaeus *in dulcedine*; vt alij *in optimis*: antiquo rursum more, quo hereditas, omnisque terræ portio fune describebatur, isque fortunatus dicebatur, cui funes cecidissent in præclaris, cui amœna, fertilis, salubris regio obuénisset.

Atque hæc ad Dauidem & prisca sæcula specta-

20 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
re videntur: quod subiungam nostræ ætatis est, Or-  
dinis nostri; cuius nomini appendi potest hæc epi-  
graphie.

*Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei,* quod  
facit ad laudem, ad dignitatem, ad maiestatem Cle-  
ricalis ordinis, cui non terra, non maria, non æther,  
non cœli spatia sunt hæreditas, sed Dominus.

Quærant alij, sibi que metiantur in terris am-  
plissimas possessiones, scribant nomina sua in ter-  
ris suis, hic se dicat Dominum à Monte, ille à valle  
sibi nomen, famam que faciat, alius à Palude signari  
se velit: Clerico hoc vnum pro nomine, pro hære-  
ditate, pro titulo honoris inscribitur.

*Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei.* Ex-  
currant alij in regiones externas, traijciant immen-  
sa maria, nouos venentur orbes: Clerico plus satis  
vnum illud. *Dominus pars hereditatis meæ, & cali-  
cis mei.*

Frater  
Paulus  
Carratia  
in mor.  
Theo.

Religiosus olim è Dominicana familia virginis  
Matris amantior in fronte operis sui palmam a cul-  
pi, & erigi voluit, cui media insideret Deipara: sub-  
iecta epigraphæ.

*Ipsa mihi satis, si mihi satis.*

Quod ille, Virgini, quod Matri indulgens ap-  
pinxit amor, hoc Clerico veritas adijciet mutatâ  
duntaxat voculâ.

*Ipse mihi satis, si mihi satis.*

Vadem

Vadem habeo ex eadem religiosa D. Dominici familia, Doctorem Angelicum, S. Thomam Aquinatem, quem omnes scholæ Theologorum loquuntur & pulpita: scripserat ille iussu Pontificis summi, cuius arbitrio, legeque viuebat, scripserat, inquam, opusculum pium de venerabili Sacramento, cumque accuratè elucubrasset, legendum exposuit, probandumque, non hominum calculis, aut sententijs, sed certiore diuinæ sapientiæ oraculo, ac suffragio Dei hominis, Christi Iesu, à quo has è cruce voces excepit.

*Benè scripsisti de me Thoma, quam mercedem à me petis?*

Liberae voces, opulentæ, aureæ, diuinæ: ad quas in puriore Christi schola, altioreque lyceò creatus Doctor.

*Non aliam Domine, quam te ipsum.*

Doctæ, piæ, magnificæ voces, dignæ cedro, dignæ quæ Clericorum omnium animis imprimantur. Legerat nimirum Angelicus Doctor, senseratque quid sibi esset nominis, & quæ vis, in vna Clerici vòcula, à qua fors Deus, & hæreditas de qua ex vero iactare potes illud.

*Ipsè mihi satis, si mihi satis.*

## CAPVT II.

*De Tonsura Clericali.*

**P**Auca dixi de nomine Clerici, ad rem ipsam venio, mihiq̄ue propono, quæ Clericum faciant. Ea duo esse perhibentur. Tonsura, & Corona.

## §. PRIMVS.

*Vnde Tonsura Clericalis originem sumpsit?*

**F**Verunt apud Hæbræos plures hominum ordines diuino obsequio singulari quadam ratione mancipati.

Primus eorum fuit, qui toti, in tabernaculi, aut templi ministeria incumbabant; ij censebantur Sacerdotes, ac Leuitæ.

Alter eos habuit, qui in sacrarum scripturarum custodiam, & interpretationem erant deputati: ij fuerunt Pharisei, Scribæ, Legisperiti, quorum cura, primusque labor is fuit, vt populo diuina scripturarum oracula prælegerent, ortosque ex ijs difficultatum nodos euoluerent.

Tertius eos recensuit, qui è vulgo selecti, in purioris vitæ, & altioris sanctitatis exemplum videbantur euocati. Cuius generis fuere, Rechabitæ, Esseni, & Nazaræi. Vt alios in præsentia omittam, quia nihil faciunt ad institutum nostrum, de Nazaræis, ac Leuitis nonnulla delibabo.

Fuerunt

Fuerunt illi inter Iudæos facile principes tum ex nomine, tum ex ipsa instituti ratione, tum ex auctore, ac parente sui ordinis, qui nõ alius à Deo fuit.

Dicti porrò Nazaræi, hoc est separati, consecrati, coronati, à verbo *Nazar*, quod separare, consecrare, coronare significat. Votum eorum antonomastice dictum est *magnum*, quia, vt inquit Philo, *Nazaræus seipsum dedicat: ideo magnum hoc votum appellatur, nihil enim quisquam possidet seipso pretiosius, qua possessione tunc ceditur.* De Sacrif.

Leges illis impositæ etiam variæ. Prima fuit de non bibendo vino: quia vinum fel Draconum, & venenum *aspidium insanabile*, quia, vt ait Ambrosius, *multi reliquorum serpentum veneno curantur, nemo ebrietate.* Altera fuit de non tangendo mortuo, vt dum ob omni funerea contagione iuberentur abstinere, etiã à peccato cui mors imminet, longius irent. Deuter. 31. v. 33. Ambros. l. de Hælia c. 14.

Tertia fuit lex de cæsariæ nutrienda: ea cælo iudice lata in hunc modum. *Omni tempore separationis sue nouacula non transibit per caput eius, usque ad completum diem quo Domino consecratur.* Num. 6. v. 5. Hactenus expressa verba legis, ex qua conficies illud: Nazaræos olim primùm comam aluisse, & effusam in humeros cæsariem, deinde post longam, & insignem vitæ continentiam capillos posuisse, eosque sacratoribus flammis in sacrificium tradidisse; & is ritus fuit declaratio quædam sanctissimo numini facta,

24 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
 facta, & veluti pignus sanctificationis. Ritus fanè  
 illustris, & diuina lege compositus, atque descri-  
 ptus; in quo sine dubio fuerunt adumbrata, quæ  
 deinde in Ecclesia Dei, viuos colores, & plenam  
 lucem sunt consecuta: sic enim posteris sæculis  
 deinde sancitum est, vt sicuti Nazaræi capillos res-  
 cindere, atque adolere iuebantur *vt perfectionem  
 deuotionis suæ Domino consecrarent*: ita & Clerici,  
 iam inde ab Apostolis, Ecclesiæ principibus, iussi  
 sunt comas deponere, vt vel ex eo se intelligerent  
 in omni vita Deo consecratos, & noui generis Na-  
 zaræos: hoc est separatos, consecratos, coronatos,  
 separatos quidem à vulgo, & communi viuendira-  
 tione, separatos à mundo, Deoque vni consecratos,  
 & hoc quidem voto maximo, vt enim Origenes,  
 hoc est *votum Nazaræi, hoc est votum Clerici, quod  
 est super omne votum: nam filium offerre, vel filiam,  
 aut pecus, aut prædium, hoc totum extra nos est. Se-  
 metipsum Deo offerre, & non alieno labore sed pro-  
 prio placere, hoc est perfectius, & eminentius omni-  
 bus votis, quod facit imitator Christi. Ille enim de-  
 dit homini terram, mare, & omnia quæ in ijs sunt.  
 Sed post hæc omnia semetipsum dedit. Idem qua po-  
 test & audet, molitur Nazaræus, molitur & Cleri-  
 cus: seipsum Deo deuouet, eoque verus Nazareus,  
 separatus, consecratus, coronatus audit; sic enim se-  
 parati, & consecrati summa laus & corona gloriæ.*  
 Sed

Hom. 24.  
 1. Num.

Sed ad aliam huius instituti originem transeo, neq;  
enim de illa consentit inter authores.

In re antiqua, & dubia suus cui sensus, suum esto  
iudicium, modo à religione, & pietate non aberret.  
Sapit enim hic, quisquis piè sapit.

Ita sapere se autuant qui hanc nascentis Ec-  
clesiæ ceremoniam reuocant ad ritum consecratio-  
nis Leuitarum, quem his verbis exprimit Scriptura.

*Aspergantur aqua lustrationis, & radant omnes pi-  
los carnis suæ: quod ad mores traducit S. Gregorius  
gravi ut solet eloquentia. Pili carnis, inquit, sunt  
qualibet superflua humanæ corruptionis. Oportet  
ergo Leuitas pilos carnis radere, quia is qui in obse-  
quiis diuinis assumitur, debet ante Dei oculos à cun-  
ctis carnis cogitationibus mundus apparere. Vnde &  
Leuitarum pili radi præcepti sunt, non euelli: rasis e-  
nim pilis in carne radices remanent, & crescunt ite-  
rum, ut recidantur: quia magno quidem studio su-  
perflua cogitationes amputanda sunt, sed tamè fun-  
ditus amputari non possunt, semper enim caro super-  
flua generat, quæ semper spiritus ferro sollicitudinis  
recidat, hactenus Diuus Gregorius, cuius rationis  
momentum infra fusius expendemus: interim quid  
sentiant alij paucis audiamus, sunt enim qui hunc  
ritum spectasse credunt ad morem Prophetarum,  
quos ut plurimum ad purioris animi iudicium, &  
magnarum rerum significationes rasis capitibus fuisse  
D scriptura*

Iunius  
Cōment.  
de Comē.  
c. 2.  
Num. 8.  
v. 7.

scriptura meminit. Ita quondam Ezechiel cum à  
 cœlo vocaretur ad fundenda genti suæ oracula, &  
 Dei voces per amplissima regna spargendas: hæc à  
 Ezech.c. superis audiit. *Et tu fili hominis sume tibi gladium*  
 5. v. 1. *acutum radentem pilos, & assumes eum, & duces per*  
*caput tuum, & per barbam tuam.* Iubetur gladium  
 acutum, siue nouaculam per caput, & barbam du-  
 cere, id est barbam, capillosque radere.

Ita deinde Zacharias è minoribus Prophetis v-  
 nus, longa post sæcula, obscuro solo erutus, & luci  
 Sozom.l. redditus; inuentus est raso capite, colore viuido, ni-  
 9. c. vlti- hil omnino læsus à præteritorum annorum vetu-  
 mo. state, sepulchrique iniurijs.

Ita denique Elizæus, Eliæ magni discipulus, spi-  
 rituum hæres, crebi domitor, & tot prodigiorum  
 stupendus artifex, & ipse raso capite fuit: quod ip-  
 sum indicarunt petulantes illæ puerorum voces.  
 4. Reg. 2. *Ascende calue, ascende calue.* Ea porro caluities in eo  
 v. 23. naturæ vitium <sup>non</sup> arguit; sed Prophetæ morem osten-  
 dit; in quem conuitio dum incurrit insolētior grex  
 puerorum, maledictionis fulmine percussus, etiam  
 4. Reg. 6. in Vrſi dentes incurrit. *Egressi enim sunt duo Vrſi de*  
 2. v. 24. *saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos.*

Ad hoc Prophetarum more, rituque sacratione  
 nonnulli volūt deductam Tonsuram Clericalem,  
 quæ sententia, si vero proxima est, plurimum con-  
 ducit ad huius ordinis dignitatem, ac sanctitatem:

arguit

arguit enim Clericos cælo propitio, auræque superum benigniore electos esse, ut aliquando Prophetarum more, genioque diuina edicant oracula, spargantque in vulgus omne, Dei sui voces; quo quid illustrius, quid sanctius conferri possit non video.

Alij tamen aliò consilia flectunt, putantque Tonfuram capitis emanasse ex insigni iniuria illata quodam D. Petro Apostolorum Principi. Cum ille Antiochiæ diceret ad frequentem populum, insana plebecula in contumeliam Christiani nominis ei capitis verticem abrasit, quæ iniuria ei ad decus versa est æuiternum: primùm enim ipse eam turpitudinis notam omni diademate potiolem ratus, in omni reliqua vita similem capitis, & crinium habitum retinendum esse censuit: tum etiam in legem abiit, ut Clericus omnis sibi verticem raderet, & cum suo capite consentiret. Ita quod D. Petro dedecori, & ignominia fuisse videbatur, suauis Dei prouidentia honori, summæque gloriæ cessit. Eius insigne, notamque vertici impressam dum gestat Clericus, meminerit etiam Christi opprobrium in capite, in animo, in amoribus gestare, in eoque prima nascentis Ecclesiæ lumina, authores fidei, progenitores religionis imitari. Et hæc dicta velim de ipsa institutione, à qua ad illius rationes delabor.

Beda in  
Histor.  
Angl.

German.  
in Theor.  
ret. Eccl.

*Rationes, ob quas Clericis imponitur tonsura.*

**I**Am inde à temporibus Apostolorum inualuit ille ritus, vt Clericis attonderetur coma: & hoc quidem sine vlla scripta lege, solo vsu, & consuetudine. Cum enim Apostoli legatione pro Christo fungerentur, & aperti cœli præconium facerent, Christiani omnes in eorum exemplo, & traditione conquiescebant, nimirum erat illis mens alia, genius alius, quam sit is, qui hæreticos nostri temporis in transuersum agit: hi enim litteræ malè inhærent; & scripturæ typos amant, mutosque characteres: illis Apostolorum vita, & exemplum viua lex erat: maiorumque traditio fidem faciebat, ad quam tamen etiam aliquando accessere summorum Pontificum, ac Conciliorum decreta, ne quod de mente Ecclesiæ dubium suboriri posset. Videri potest de hoc argumento Concilium Carthaginense IV. canone 34. Agathense c. 20. Aquisgranense c. 1. Lateranense sub INNOCENTIO III. c. 18. Denique Tridentinum sessione 23. de reformatione c. 6. quibus addi potest SS. Patrum authoritas, vitæ, morumque regula, & testis venerandæ antiquitatis: D. in primis Dionysij quem pubescens Ecclesia vidit, & amavit. D. Chrysostomi quem adolescens Ecclesia genuit, & luci dedit: aliorumque

*De Eccl.  
Hier. p.  
2. c. 3.*

que Patrum luculenta super ea re testimonia proferri possunt, sed ea mihi omittenda putavi; neque enim hic seueram disputationem instituo, sed potius apud matutinæ more, modoque ex illis Sancto-<sup>In 1. ad</sup>rum Patrum areolis, flosculos lego, quibus Clerico <sup>Cor. 2.</sup> suaueolentem virtutum coronam parem, & contexam, quod ut mollius faciam huius institutionis rationes inquirō.

## PRIMA RATIO.

**D**ixit olim ex antiquis nō nemo comas laxiores ventorum, & auræ tenuioris ludum esse imo ludibrium: ego vero mollitiei, leuitatis, ac vanitatis argumentum esse pronuntiabo: adeo enim in illis ludit, sibi que illudit leuisculus adolescentum animus; quibus indici potest ea lis, quæ olim Cælo teste, Ioue arbitro, & indice, capræ barbatae ab hirco mota dicitur. Ita habet non inelegans apologus, de quo Poëta.

Barbam capellæ cum impetrassent à Ioue,

Hirci mcerentes indignari cœperunt,

Quod dignitatem feminæ æquassent suam,

Quibus è folio Iupiter

Sinite, inquit, illas gloria vana frui,

Et vsurpare vestri ornatum muneris,

Pares dum non sint vestræ fortitudini.

Hæc vatis ore, calamoque respondit Iupiter,  
litemque diremit; at non æquè dirimi potest ea lis,

30 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
quæ adolescentibus, imo quod mireris ac lugeas  
nonnullis Clericorum intentari potest: quod com-  
ptos habeant capillos, & madentes, de quibus ad  
speculum disputant; certantque etiam ad horas,  
non sine nota sui ordinis, cui nihil molle, nihil  
quod feminam olet conceditur, sed virile, sacrum-  
que robur relinquitur.

Fœminis certe gloriæ ducitur, si comam nu-  
triant. Hoc enim eis integumentum, & diuinum  
veluti peplum natura dedit, vt præcipuam mulie-  
bris mundi dotem, adeò propriam, vt vix mulier  
Pin. I. 2. naturaliter calua fieri possit, vt docet Hippocrates,  
c. 37. & tota medicorum schola. Viris autem istam mol-  
litiem, capillorumque luxum eadem parens natura  
negauit, nec concedet vnquam, nisi quædam à de-  
prauatis animi affectionibus, virilis animi fiat in-  
clinatio, qualis ea fuit, quæ Lydiæ populis olim in-  
cubuit; his erat effusa cæsaries, & comæ molliores,  
quas Persarum Rex rescindi cum iussisset, aut tribu-  
to redimi; admiserunt tributum, & ingenti ære  
spolia capitis redemerunt; quod insignis stultitiæ  
ac vanitatis fuit. Vt ab ea quam longissimè absint  
Clerici, iubentur comam rescindere, capillorum  
luxuriam abijcere, & cum ea quidquid in animo  
mollitiei, aut vanitatis inesse potest: vt ijs apprimè  
conueniat effatum illud magnæ mentis. *Regnum  
mundi, & omnem ornatum sæculi contempsi propter  
amorem*

*amorem Domini mei Iesu Christi, quem vidi, quem  
amaui, in quem credidi, quem dilexi.*

## SECUNDA RATIO.

**P**rimæ rationi consona est & altera, quam sub-  
ijcio. Tonsura tacitè monet Clericum super-  
flua, terrenaq; refecare, quorum symbolum sunt ca-  
pilli: sunt enim superflua naturæ, imo illius excre-  
menta. Vt in mundo magno, & sublunari duplex  
est halituum copia; quidam humidi & calidi, qui  
solis æstu è locis humentibus excitati, in rorem, in  
pluuiam soluuntur; dicunturque Philosophis va-  
pores: alij sicci & calidi, quos eadem vis è terræ ele-  
mento ad ignitarum impressionum materiam e-  
duxit, vocanturque exhalationes. Ita & in homine,  
qui paruus mundus est, quidam sunt halitus humi-  
di, oportuni ad conciliandum somnum, aliaque na-  
turæ munia: quidam sicci, qui in pilos, vngues, &  
cornua excrescunt, oriunturque ex fuliginosa, &  
terrea quadam exhalatione, quæ cutis spiramentis  
impacta addensatur in minuta corpuscula, quos  
capillos vulgò dicimus. Ex quo etiam conficies eo  
yberiores fore capillos, quo maior fuerit istorum  
halituum, & excrementi copia.

Quod corpori, hoc & animo, sua illi excremen-  
ta sunt, sua vitia, suæ affectiones prauæ, quas vna  
cum capillis deponere iubetur Clericus, cui ne so-  
la à me sit fides, ab Augustino pondus, momen-  
tumque

32 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
tumque faciat. Ita loquitur libro de contemptu  
saeculi.

*Caput radere significat cogitationes terrenas, & superfluas à mente refecare: quia sicut capilli non sunt pars corporis, sed quaedam superfluitas procedens à corporis humore: sic bona temporalia non sunt nobis naturalia, sed aliena, & superflua. Vnde sacerdotes minimam partem capillorum in capite retinent, ut per eorum abrasionem se minimam terrenorum sollicitudinem agere designent.*

Sed & alia capillis significatio, eaque mystica,  
*Math. 9.* quam paucis indicat Ambrosius; in illud Magda-  
lenæ: quæ Domini sui pedes lacrymis lauit, capil-  
lis terfit: *bonæ*, inquit, *lacrymæ*, quæ non solum no-  
strum possunt lauare delictum, sed etiam verbi cœ-  
*L. 6. Luc.* lestis rigare vestigium. *Bonæ lacrymæ*, in quibus non  
*6. 7.* solum redemptio peccatorum, sed etiam refectio est  
iustorum. Hæc ubi lacrymis illius dedit, tum pæ-  
nitentis animæ capillos explicat, docetque qua ra-  
*ibid.* tione Domini pedes extergant. *Expande*, inquit,  
*capillos*, *sterne ante eum omnes tui corporis dignita-  
tes*, quarum nimirum capilli symbolum esse, di-  
cuntur. Certè negari non potest illud longa mul-  
tarum nationum consuetudine firmatum, cum ali-  
quis ex regibus, augustaque stirpe in plebeium or-  
dinem redigeretur; aut cuiuspiam è domo regia, re-  
gni adeundi spes adimeretur, statuta die tondeba-  
tur,

tur, eratque vulgare, & notum abdicationis signum, siue illud voluntate propria suscepisses, siue alieno imperio adactus admisisses.

Eò pertinet illud Chlotarij, qui captis dolo Clodomeris filijs, ad Clotildem matrem Arcadium misit, qui vna manu forficem, altera nudum ensẽ præferret, faceretque optionem, vt quod vellet illa filiis suis eligeret: stupuit illa, hæsitque parumper anceps quid cui præferret. Pateretne infami forfice regiam cæsariem excindi, vnaque spem omnem amplissimi dominatus; an ferrum in carissima pignora, innoxiasque ceruices immitteret. Vbi datum aliqui d̄stupori, dolori, lacrymis, derepentè strictum ensẽmprehendit, forfices abiecit, mortemque filiorum longè amantissimorum, tonsuræ prætulit. Ita caput iniusto, impioque ferro dedere teneræ animulæ, spes regni, matris amor, ac delitiæ, in primo ætatulæ flore, erat enim septennis vnus, decennis alter: sed illud insanæ ambitioni, ac crudelitati datum est, hoc pietati, ac religioni.

Bulgarorum Rex cum recens Ecclesiæ Catholice adiunctus esset, vt aliquo indicio suam erga sedem Apostolicam submissionem, ac deuotionem testaretur: resectum propria manu crinem legatis Apostolicis tradidit in datæ fidei tesseram, & signum seruitutis: adiecitque hæc verba digna cedro.

*Omnes Primates, & cuncti populi Bulgarorum*

*E*

*terræ,*

*S. Greg.  
l. 3. c. 18.  
de gestis  
Francorum.*

*Anastasi-  
us bi-  
blioth. in  
Adriano  
2. in  
praf. ad  
S. Syno-  
dum.*

34 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
*terra, cognoscant ab hodierno die me seruum fore  
post Deum Beati Petri, & eius Vicarij: hoc est suc-  
cessorum eius. Hæ fuerunt regiae voces, testes ma-  
gnæ mentis, quæ sese quodammodo purpura, &  
corona exuit, vt fidem indueret, & insignem erga  
Christi Vicarium pietatem proderet.*

Et hoc ipsum Clerici testatum volunt, vbi cri-  
nem fecant, capillumque abijciunt: sese libera &  
expedita mente ita deuouent sanctæ sedi, ita illius  
seruituti mancipant, vt omnino paratos se osten-  
dant, & regna, & imperia, & primas orbis dignitates  
ponere, imo spem omnem ea aliquando recupe-  
randi vnâ cum capillitio rescare: quod sine du-  
bio ardui est animi, & humana omnia infra se de-  
spicientis.

Vidit olim Gallia, & luxit Chararicum cum  
adolescente filio, Clodouæi iussu attonsum, & il-  
lum quidem Presbyterum, hunc diaconum conse-  
cratum: sed & illius iras excepit, & huius voces au-  
dijt: ita enim de illata vi querenti Patri, respondit  
filius. *In viridi ligno hæ frondes succissæ sunt, nec  
omnino arescunt, sed velociter emergent, vt cresce-  
re queant. Vtinam qui hæc fecit, tam velociter inte-  
reat.* Liberæ voces, quæ & illi, & Parenti vita, ac  
sanguine stêtere: indices tamen non sponte susce-  
ptæ, sed per vim, ac iniuriam impositæ seruitutis.  
Non is Clerico est animus, non ea vox, yltro sese  
abdicat

*S. Greg.  
Turon.  
de gestis  
Franc. l.  
2. c. 41.*

abdicat mundi regno, vt altius, augustius, diuinius Christi regnum inueniat: libertate sæculi se priuat, vt Christi iugum, ac seruitutem admittat: seruitutem dico omni libertate potiolem; vt enim difertè Ambrosius.

*Pretiosa hæc seruitus quæ virtutū constat expensis.* In Ps.

*Gloriosa seruitus, quæ pro nobis seruiuit & Christus, è cœli regia in terræ casus abiectus. Beata seruitus quæ & tu seruis. Vocatus es liber vt seruus esses Christi. Vtræque conditio optima, esse sub Christo, sub quo, & pretiosa seruitus, & gloriosa libertas.* In Ps. 118. Ser. 16. In Ps. 118. Ser. 3.

*Pretiosa seruitus, quia tanti sanguinis pretio comparata. Gloriosa autem libertas, quam nulla seruitus culpa, nulla peccatorum vincula constringunt, nulla flagitiorum onera, nulla criminum commercia, degeneris nexui seruitutis addicunt. Eius notam cum tonsura clericali in corpore accepisti, age, labora, enitere, vt ad animam vsque peruadat, eiusque seruum te faciat, qui pro te, cum liber esset, seruus esse dignatus est.*

## TERTIA RATIO.

**D**Vci potest & alia Tonsuræ ratio ex ipso more, sensuque Antiquitatis: inualuit enim ea consuetudo apud nonnullas nationes, vt qui fidem alteri obligasset suam, eam resecto capillo traderet: eratque ritus ille, pignus & arrha datæ fidei, eaque longè certissima.

Ep. 39. Ita Longobardi, Francique eo more vsi ad vltima ferè tempora, vt mihi author est Hildébertus Cenomanensis Episcopus: qui agens de fœdere inter Rothrocom Cenomanensium Comitem, eiusque parentem sic loquitur. *Ac ne simulatoriè loqui putaretur, abscissos de capite suo capillos matri suæ transmisit.*

Vbi quis in Clerum asciscitur, vna etiam vocatur vt minister sit, vt dispensator mysteriorum Dei: *queritur autem inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur.* Vt is esse, & inueniri debeat Clericus etiam data fide, sacroque fœdere sese astringit, capillum secat, & Ecclesiæ, tanquam bonæ matri transmittit in pignus, & arrham suæ fidelitatis. Quod si illam rationem non improbas, neque hanc, vt opinor, improbabis.

QUARTA RATIO.

**T**Onderi Clericum in signum luctus, mœroris, ac pœnitentiæ: & hanc, & illum insinuat D. Paulinus ad Seuerum scribens.

Ep. 7. *Nos adeant, inquit, & reuisant conseruuli, & compallidi nostri, non vestibus pictis superbi: sed horrentibus cilicijs humiles: nec chlamyde curta lini, sed sagulis palliati: nec balteo, sed veste succincti; nec improba attonsi capitis fronte criniti, sed casta informitate capillum ad cutem cæsi, & inæqualiter semitonsi, & destituta fronte præarsi, & ornatu pudicitie*

*dicitiæ inornati.* Hactenus Paulinus de Tonsura Monachorum, è qua nonnulla ad Clericalem transferri possunt, ut ea quoque poenitentiae testis, humanitatis nota, luctus indicium sit.

Certè etiam apud Gentiles abrasio capitis symbolum fuit, lugentis, atque mœrentis animi, quod ipsum veterum monumenta prodidère.

Regulos quosdam barbam posuisse, & uxores capita rasisse testatur Suetonius, & hoc quidem in signum magni luctus, & ingentis mœroris, qui eorum animis incumberebat.

Id etiam consuevisse Argiuos mœroris causa testatur Herodotus, quod Lucianus affirmat de Syris, qui funera, fatalemque pompam raso capite ducere, ac celebrare soliti. Et hic omnium propè gentium mos fuit, si Romanos exceperis, qui quod tonsa barba, ac capite solerent incedere, in maximo luctu capillum, & barbam promittebant; quod de Iulio Cæsare sic tradit Suetonius.

*Diligebat usque adeò, ut audita clade Tituriana, barbam, capillumque summisserit, nec antea dempserit quam vindicasset, & de Augusto. Cum audisset cladem Varianam in Germania acceptam. Adeò, inquit, consternatum ferunt, ut per continuos menses barbâ, capilloque submisso caput interdum foribus illideret.*

Imo vero etiam apud Romanos, rei mœroris causa

E 3

causa

Suet. in  
Caio Ca-  
lig. c. 5.Herodot.  
l. 1. Hist.  
Lucian.  
de Dea  
Syria.Sueton.  
in C. Iu-  
lio c. 67.Plin. l. 7.  
Ep. 27.

38 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
causa capillos demittebant, nec illi tantum; sed &  
omnes illis sanguine iuncti, vt hac ratione etiam se  
in luctus, iusti que doloris sensum, ac communio-  
nem venire testarentur.

Neque solum is gentium barbararum mos fuit:  
sed & earum, quibus annuente cœlo maius aliquod  
fidei lumen affulserat, & illæ hoc ritu conceptum  
animo dolorem exprimebant. Sic mortalium om-  
nium patientissimus Iobus, vbi suarum cladum  
nuncios accepit, vbi graui ruina oppressas proles,  
*Iob. 1. v. 20.* obruta, ac sepulta carissima pignora: *surrexit, &  
scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in ter-  
ram, adorauit.*

Sic etiam Israëlitis ore præfago nuntiat Isaias, in-  
gentem calamitatem, & ab ea luctum cœlo vindi-  
*Isaias c. 22. v. 12.* ce impendentem. *Vocabit, inquit, Dominus Deus  
exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad  
caluitiū, & ad cingulum sacci.* Caluitium statuit, ve-  
lut indicium immanis luctus, ad quem etiā inuitat  
*Mich. 1. v. 16.* Michæas. *Decaluate, inquit, & tondere super filios  
deliciarum tuarum: dilata caluitium tuum sicut aqui-  
la.* Samariam appellat, & alloquitur Propheta, vult-  
que in signum imminentis mœroris, desolationis,  
atque excidij tonderi, & dilatare caluitium: sed in-  
star Aquilæ.

Aquila iam senio marcescens, & propè cōfecta,  
veteres plumas toto corpore dimittit, seque de-  
caluat,

caluat, & depilat, moxque nouas induit: itaque ab  
 effœta, & elanguida senectute, fœcundæ, & animo-  
 fœ iuuentuti redditur, ideoque symbolum est pœ-  
 nitentiæ, & pœnitentis animi, qui à dolore, luctu-  
 que vitæ malè anteaçtæ eò descendit, vt veteres plu-  
 mas, id est prauos mores, & inueteratam longo vsu  
 consuetudinem deponat; & hoc ipsum molitur,  
 ac facit Clericus vbi comam rescindit; testatur enim  
 quis animum occuparit sensus, quis dolor, quis lu-  
 ctus pœnitentis, & ad meliora aspirantis animæ:  
 renouat, vt aquila, iuuentutem suam, & vt ait Chry-  
 sostomus: *veterem hominem deponens, nouum, qui in* In p. 102.  
*Creatoris agnitionem renouatur, assumit.*

Eadem etiam de causa statuit tertia Synodus c. 12.  
 Toletana, vt publicè pœnitentibus, in primis Epif-  
 copus, vel Presbyter caput tonderet, vt sic in cinere,  
 & cilicio pœnitentiam agerent: sed hoc, inquit,  
 etiam laicis commune, nec sine præuia labe, næuo-  
 que inuri potest: demus aliquid quod & Ordini sa-  
 cro singulare sit, & omni macula liberum: imo  
 magnarum virtutum ornamentis illustre. Erit il-  
 lud, si asseruerimus, quod ex veritate dici potest,  
 ideò tonderi Clericum, vt primum sua, tum etiam  
 aliorum peccata deplorare discat, pro ijsque tan-  
 quam obnoxijis diuinæ Iustitiæ, reijsque æternæ  
 mortis, insigni commiseratione, ac pietate lugere.

Quod olim à Ioele docti mystæ antiquæ legis,  
 de

de quibus illud Prophetæ. *Inter vestibulum, & altare, plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent parce Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominantur eis nationes.* Ea nimirum esse debuit Sacerdotum, ac ministrorum illius legis in peccatores indulgentia, ea commiseratio, is æstus pietatis, à quo dum caleret animus in lacrymarum fluentia soluerentur oculi. Maiorem certè oportet esse Mystrarum nouæ legis, quæ non lapidi, duroque saxo inscribitur, sed tenebræ cordis tabellæ, ceu molli ceræ Dei digito imprimitur: utque imprimi etiam in ipso corporis habitu ostendatur; datur Subdiacono, & Sacerdoti manipulus, qui modo facit ad ornatum, olim pietati seruiuit, & strophium fuit, ad excipiendas, tergendasque lacrymas, quas inter sacrorum mysteria fundebant ministri Domini: nobis certè, quod cum venia, ac rubore dictum velim, mirum quantum absimiles: quis enim hoc, quo viuimus æuo, inter diuina Missarum solemnia, ita totus incalescit, & accenditur ruentis populi commiseratione, ut in lacrymas effundatur, & colliqueat. Sed ista parcius: neque enim hic seuerum censorem agimus: sed è veterum monumentis, rituque venerandæ antiquitatis, quis Clericus esse debeat, inquirimus. Quod ut assequamur, demus aliqua huiusce pietatis exempla: quæ vel sua, vel etiam aliena scelera lacrymis eluant.

Qui ex auita memoria primus occurrit, is est regius vates, & pastor bonus: quid ille? *lauabo*, Ps. 6. v. inquit, *per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* In Hebræo est *natare faciam lectum meum, stratum meum liquefaciam*, eo nimirum impete, eo torrente fluebant lacrymæ, vt pœnitentis ora non tenuiter irrigare, non modicè lectum eluere viderentur: sed ea copia diduci, vt in ijs quodammodo natare, imo mergi posset: tantum potuit ab admissio scelere pœnitentia, quam *audiant*, inquit Chrysoſtomus, *qui lectos habent ar-* Chryſ. in eum locum. *genteos, qualis erat lectus Regis, non ex gemmis contextus, non ex auro contextus, sed ablutus lacrymis.*

Hæc aurea fandi copia Chrysoſtomus, qui eodem lacrymarum fontes ijs aperiri vult, quos eadem peccati sordes commaculant.

Sed antiquæ & veræ D. Augustini querelæ, multi enim sunt, qui flenda faciunt, & ipsi flere nesciunt: *quis*, inquit (S. Doctor) *stupris deditus, flagitijs inuolutus lauat per singulas noctes lectum suum? nescit* Aug. Ser. 7. in Ps. 118. *flere qui flenda committit, & cum sit ipse lacrymabilis, non habet pœne lacrymas sue.*

Quod si non putes ijs te querelis peti, quod iam ante laxaris amaros illos pœnitentis animi latices à quibus amas suauiores, eos tibi fundet amor, & in sinum deuotæ mentis immittet, vtque immittat vltorius, dic age cum Augustino. *Da, mihi Domine,*

F

*euidens*

42 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,

Aug. 1.  
med. c.  
86.

*euidens signum amoris tui : irriga lacrymarum fontem iugiter manantem : Ut ipse quoque lacrymæ tuum in me testentur amorem, ipse prodant, ipse loquantur, quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit se à lacrymis continere.*

Thren. 2.  
v. 18.

*Benè ait, ipse loquantur lacrymæ, nam & interdum lacrymæ pondera vocis habent, ideòque scitè monuit Ieremias. Deduc quasi torrentem lachrymas, per diem & noctem non des quietem tibi : neque taceat pupilla oculi tui. Vbi illa pro se locuta fuerit, & lacrymas tanquam pœnitentiæ, amorisq̃ue voces in coelum emiserit, tum etiam pro alijs loquatur, & fluenta soluat.*

Ioan. 2.

*Ita soluit non semel seruator optimus, qui risisse visus nunquam, fleuisse sæpius. Lazaro mortuo, & altè sepulto illacrymatus est : Ciuitati Ierusalem à peccatis obrutæ, & à pœnis obruendæ lacrymas in-*

Luc. 19.

*fudit. Iudæ infandam, & post homines natos inauditam proditionem meditati humentes oculos resoluit, turbatus enim est spiritu, hoc est interprete*

Ioan. 13.  
v. 21.

*Chrysoftomo, lacrymatus est tantum potuit vel vnicum scelus, vt ipsi Deo lacrymas elicuerit insigni prodigio vel amoris, vel commiserationis.*

*Ita deinde à magistro benè doctus discipulus, vocatus à Iesu Paulus, in copiosas lacrymarum fontes erupit, vt vel ouium sibi commissarum maculas detergeret, vel arentia, duraq̃ue corda molliret.*

*Per*

*Per triennium, inquit, nocte & die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum. Vberes lacrymæ, quæ non abiectam, non arentem terræ superficiem, irrigant; sed animos præcellos, & cælo natos. Fœlices lacrymæ: quæ roris instar cœlestis, ita fidelium mentes imbuunt, vt fructum efferant Deo dignum, & æternitate. Beatæ lacrymæ, quæ in ipsos æterni patris oculos admisæ, parata iam in manibus vindicis iustitiæ fulmina temperant, atque extinguunt: quam fœlix & beatus is erit, qui ijs seu Christi, seu Pauli lacrymis suas quoque infuderit. Sed ad aliam huius institutionis causam festino.*

## QVINTA RATIO.

**F**Vit olim, eritque in ævum Tonsura nota humilitatis, animique demissionem, & opprobrium Christi inter Mortales amantis; & quia ij erant Apostoli, ij Clerici, & Monachi studio humilitatis eum habitum elegerunt, qui vilium esset, & despiciatissimorum hominum, & hoc quidem vt inanissimæ mundi pompæ nuntium se remisisse testarentur.

Et verò abrasionem capitis dedecoris, & infamiæ signum fuisse prodidit tota Antiquitas, sacræque litteræ varijs in locis tradiderunt. Vbi elato hominum supercilio, & insolente superbia, ad iustas iras, vindicemque manum euocatus est Deus: hæc ferè vel intentare, vel immittere solet supplicia, quæ & malo

44 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
malo opposita sint, & medelam faciant: ita nimirum à natura, ab arte comparatum est, vt sicuti contraria contrarijs curantur, & calida frigidis, frigida calidis temperantur: ita efferuescens superbia, insigni aliqua abiectione, probroque demittatur, penitusque frangatur. Sic olim Israël luxum, vanitatem, & coelis ipsis insurgentes animos edomuit vindex Deus, monuitque priusquam faceret ore fatidico magni Prophetæ: *Inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput caluitium.*

*Amos c.  
8. v. 10.*

Quibus verbis calamo notat duo symbola impendentis calamitatis, ac humiliationis: scilicet saccum, & caluitium: ita nimirum communi nationis illius sensu receptum illud, vt protensa Cæsaries, honoris insigne esset, ac gloriæ: decalatio abiectionis, & ignominia: quod ipsum in leges quoque euasit: hæ enim ad pœnas, quibus fontes afficiendi essent, etiam rasionem capitis ad probri, & ignomi-

*Balsam.  
ad can.  
67. syn.  
in Trull.*

nia cumulum addiderunt. Sic in nouella 58. Leonis Sapientis Imperatoris statuitur, eos qui sanguinem animalium comedunt, esse ad publicam ignominiam ad cutem usque tonsura notandos: sic in Martyribus damnatis ad metalla factum testatur D.

Ep. 77. Cyprianus: hi enim ludibrii causa abrasionem capitis patiebantur: præterea ita tonsi, & rasi vndique moriones, & abiectissimi qui que mimi inducebantur in theatrum, vt in omnium oculos, linguas, probroque

braque incurrerent: Eos Nonnius Marcellus appellat *Caluos mimicos*.

Cum is esset hominum sensus; Monachi, & Clerici, quorum auribus, & animis insonuerat illud Apostoli. *Nos stulti propter Christum*. Huius Tonsuræ modum secuti, qui susceptæ vitæ rationi, studioque demissionis Christianæ conueniret.

Ad prima illa tempora memori mente recurat Clericus, tum ad seipsum redeat, seipsum examinet, atque excutiat, nam eo consilio, ea mente tonsuram admittat, vt sit in eo demissionis index, & clara professio humilitatis?

## SEXTA RATIO.

**M**Entem aliò vertit magnus Dionysius, qui ab Apostolis purioris sapientiæ fluentia hauserat, docet ille capillorum tonsuram significare vitam *puram & candidam, nullo vitio & artificio fucatam*, impedimentis omnibus nudam, & spoliatam, in qua libera mens, & vndique expoliata, è capite velut arce, ac domicilio mentis, magnarumque cogitationum, Deum authorem suum spectet, atque ad illum ardenti studio contendat; & hæc ratio facit ad mores, & præclara virtutum documenta. Accedat

De Eccl.  
Hierar.

## SEPTIMA RATIO.

**E**Rit illa consona vocationi Clericorum, illiusque ordinis commoda, dignitatemque commendabit

46 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
mendabit, commoda quidem ex eo, quod in illum  
ordinem quisquis assumptus est, euasit ille ex hoc  
mundo velut turbulento mari, & in tuto, tranquil-  
loque portu spei suæ, ac desideriorum anchoram  
fixit: Inualuit olim ille mos apud veteres, vt qui  
è naufragio enatasset, caput raderet: habet mundus  
fyrtes suas, habet & charybdes, scopulos habet, ad  
hos allisa iuuentus naufragium frequenter patitur,  
ad illas adhærescit, lentaque sed periculosa, sed fatali  
vertigine ita conuoluitur, vt primùm in vitiorum  
omnium barathrum demergatur, tum in salutis  
discrimen, æternamque damnationem præcep-  
ruat: ab hac & illo reuocat Ordo Clericalis, dum  
è mundi voluptatibus, & sæculi obsequijs, vocat  
in Dei cultum, atque obsequia, quibus cum fueris  
semel mancipatus, liber euadis. Et ista ad illius sta-  
tus commoda pertinere videntur; hoc ad dignita-  
tem; quod tonsura libertatis nota, & insigne sit  
Christianæ nobilitatis. Apud Romanos certè co-  
mam ponere libertatis indicium erat, salutis, ac no-  
bilitatis, & hinc qui à seruitute libertatem conse-  
quebantur raso capite pileum excipiebant.

Quod illis olim, hoc in præsentia Clericis usu  
venit, abeunt illi à dura & abiecta mundi seruitute,  
transeunt in suauem ac decoram libertatem filio-  
rum Dei, vtque accepta libertatis nota sic transeant,  
raso capite pileum Clericalem admittunt; vnaque  
insigne

insigne Christianæ dignitatis, ac nobilitatis; à quâ etiam in Ciuili iure, ac legibus Imperatores Augusti, *Clericos, Reuerendissimos* appellarunt.

Et hæc quidem de Tonsura fusius persequi placuit, tum vt pateret quis fuerit sensus Antiquitatis, tum vt non leuiter perstringerem Clericos illos cirratos, calamistratosque, qui non sine iniuria sui ordinis, notaque bonæ famæ muliebrem in morem comam alunt: quos etiam sua ætate arguit D. Hieronymus grauis morum Cenfor. Sic enim illos pingit, & pungit. *Crines calamistri vestigio rotantur, digiti de annulis radiant, tales cum videris, sponsos magis æstimato, quam Clericos.*

CAPVT III.

*De Corona Clericali.*

**I**N ipsis adhuc Ecclesiæ cunis Simon Magus, cum videret ab Apostolis, heroibus nostris, emanasse tonsuram quoddam instituti genus: inuidia quadam animi excellere cupientis, & potentem Christianæ religionis dominatum imminuere: nouum & ipse tonsuræ genus excogitauit, & pro corona effigie perfecta, quadrum induxit, de quo meminit venerabilis Beda, magnum Anglicanæ Ecclesiæ lumen. Is nimirum omni æuo genius fuit eorum, qui ab Ecclesia defecerunt, vt illius æmuli essent, & veluti  
L. 5. Histor. Anglic. c. 22.  
 ridiculæ

48 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
ridiculæ quædam simiæ, quæ pios ritus etsi non ex-  
primerent, effingere tamen conarentur. Vt explo-  
dantur illi, simulque probetur pia illa Romanæ, &  
Catholicæ Ecclesiæ institutio, nonnulla subiun-  
gam de Corona, de eius nomine, authore, solidif-  
que rationum momentis, quibus ea niti videtur.

§. PRIMVS.

*Quid sit Corona, & unde dicta.*

l. 9. Orig.  
30.

**D**E Corona dicere meditati, succurrit pri-  
mum quid ea nominis sit, & cuius etymolo-  
giæ? tum cur ea vertici Clericorum impressa?

Ad primum, quod attinet, Authores in varias  
abeunt, diuidunturque sententias.

Isidorus coronam dici putat à choro, quod effi-  
cta sit ad ordinem, & imitationem illius chori, qui  
olim circum aras ducebatur.

Festus coronam appellatam credit, eo quod co-  
honoret eum, cui imponitur: itaque corona dice-  
tur quasi cohonora. Hæ sententiæ ex eo fortasse  
nonnullis displicebunt, quod non placeat illa aspi-  
ratio, si enim ab illa, prodijt corona, cur eam depo-  
fuit? vt in ea sententiarum pugna leniorem partem  
sequamur.

L. 1. de  
Coron. c.  
3.

Dicemus cum Carolo Paschali, Coronæ nomen  
deductum à voce græca κορυνη, id est summitas ar-  
cus, & vertex orbis: hæc enim etymologia confo-  
sonat

nat magis, consentitque cum ipsa coronæ figura, quæ spherica est. Sed parum est quid nominis, de eo certent grammatici, litemque inter se moueant: nobis de re ipsa erit disceptatio: vnde, & qua ratione corona in Clerici verticem ascenderit?

§. 2.

*Quæ Coronæ institutio? quæ ratio institutionis.*

**Q**Uæ hoc paragrafo, & sequenti dicturus sum, intelligi velim de Corona tum Clericali, ac minima; tum sacra, & Sacerdotali paulò laxiore, tum etiam Episcopali, ac Pontificia longè omnium amplissima; de qua primum quæri potest, quis illius author? tum quæ ratio institutionis? Satis constat inter authores Catholicos, Coronæ initia ab ipsis Apostolis petita, & communi traditione in posteras omnes ætates continua serie deducta: quid De Eccl. Hierar. p. 2. c. 3. quid hîc reclamant hæretici nostri temporis, nouatores, & venerandæ antiquitatis inimici. Videri potest super ea re D. Dionysius, Chrysostronus, & Baronius tomo primo ad annû Christi octauum supra quinquagesimum, quem dum consulis, transeo ad ipsam institutionem, illiusque rationes inuestigo. In 1. ad Cor. II.

PRIMA RATIO.

**C**Redunt nonnulli Apostolos Ecclesiæ Principes, ad communem omnium gentium consuetudinem respexisse, apud quas Sacerdotes diu-

G

nis

50 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
nis rebus operabantur coronati: vnde & *σεφανοφόροι*  
sunt appellati. Censebant nimirum illi rem diui-  
nam & melius fieri, & numini gratiorem esse, si pu-  
blicus rerum administer corona esset redimitus.  
Erant autem ex coronæ aliæ, atque aliæ pro cuius-  
que nationis ingenio, atque affectu. Athenis qui-  
dem aureæ, Romæ floreæ; nec has, nec illas ama-  
runt Ecclesię primipili, paupertatis amantes, & lon-  
gioris æui; imò aternitatis candidati.

In auro diuitiæ, & luxus: in floribus labilis, &  
fluxa pulchritudo; nec hanc, nec illas sectari volue-  
runt Apostoli, sacrorumque diuinorum Mystæ,  
sed illas efformarunt pilorum abscissione, id est ab-  
iudicata rerum labentium cupiditate, & erasis futi-  
libus cogitationibus, quæ mentem inficiunt, &  
quas, aiunt sapientes, per capillos significari. Ex quo  
conficis sacrosanctæ Religionis nostræ admini-  
stros, non fertis, sed virtutibus coronari oportere.  
Sed de his fusius deinde dicemus.

SECUNDA RATIO.

**A**lia est de hac quæstione sententia, quæ nihil  
è profanis ducit, sed è sacro fonte puriores la-  
tices haurit, ac propinat. Ea est Albini Flacci, & alio-  
rum, qui Coronam Clericalem ab Apostolis in-  
uentam, & excogitatam esse contendunt ad imita-  
tionem spineæ coronæ, quam Deus homo, Iesus-  
Christus, generis nostri instaurator optimus in die  
despon-

desponsationis suæ circumtulit, vt Episcopi, Sacerdotes, Clerici meminerint esse se sub spinoso capite sub quo membra non conuenit esse delicata.

Meminerint deinde, se Christi imitatores esse debere, & velut secundos humani generis seruatores, qui proinde boni communis causa, salutisq̄ue mortalium minimè horreant spinarum, id est, difficultatum aculeos, probra, contumelias, verbera, mortemq̄ue per ferrum, & ignes, perq̄ue acerba quantumuis supplicia exigendam.

Certè hos animos quærit, & amat ipsa corona Clericalis, animos Christo seruatori suppare, quos vel in ipsa voce legere poteris: dicitur enim Græcis *παπαλότρα*, à Græco *λότρα*, quod pretium redemptionis significat: etsi enim Sacerdotes, atq̄ue Episcopi pro humano genere pretium redemptionis, de suo quasi ære non pendant: tamen potestate clauium sibi commissarum pretium illud è diuinis Christi gazis depromptum, alijs applicant, ideòq̄ue dicuntur & sunt secundi generis humani seruatores, quos prodit, & populo visendos ostentat ipsa corona, index acceptæ potestatis, notaq̄ue magnarum virtutum, quibus Clericorum animos ornari oportet, & hînc ad aliàs rationes delabor.

## TERTIA RATIO.

**D**iximus Simonem Magum pro figura spherica quadram inuenisse, & suorum Clerico-

52 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
rum verticibus impressisse: quam enim potius? ho-  
mo erat fordidus, qui etiam Spiritum Sanctum pe-  
cunia venalem credebatur, ideòque amabat figuram  
quadram, & habentem angulos, quia, vt scitè D.  
Bernardus, *vbi angulus, ibi sordes*. At Ecclesia sphæ-  
ram ambit, & suorum capitibus incidit, quod ea  
angulos non patitur, adeòque neque & sordes.

Quæsiuit olim D. Chrysostomus, cur olim spon-  
si, in solempni nuptiarum pompa coronati incede-  
rent, & respondit id factum esse in pulcherrimum  
pudicitiae argumentum & honorem. *Ideò, inquit,*  
*coronæ imponuntur capiti, vt victoria signa sint,*  
*quod videlicet antea libidini impenetrabiles, ita de-*  
*num cubiculum ingrediantur.*

*Chryf.*  
*Hom. 9.*  
*in 1. Ti-*  
*moth.*

Quod si illi in castimoniae argumentum glo-  
riose coronati, longè gloriosius Clerici, illi enim  
post nuptias in thalamo geniali coronas ponebant,  
& castitatis lilia quodammodo deuenustabant: hi  
autem nec coronas vnquam ponunt, nec sinunt  
marcescere: sed illibatum, & perennem casti animi  
vigorem conseruant, vtque seruent tenacius, etiam  
castimoniae voto sese obstringunt: vt in eos quam  
optimè cadat illud regij Vatis. *Super ipsum efflore-*  
*bit sanctificatio mea, in sacra lingua, super ipsum ef-*  
*florebit Nazareus meus, vel vt vertit D. Hierony-*  
*mus: Corona mea, corona inquam, albens casti-*  
*moniae lilijs contexta, quæ floreat in omnem æter-*  
*nitatem.*

*Ps. 131.*  
*v. 18.*

nitatem. Et hoc primum pulcherrimæ virtutis est decus, accedit alterum, pro quo sit

## QUARTA RATIO.

**C**Orona symbolum est veritatis, quia vt figura spherica angulos non habet, ita nec veritas: vt doctè aduertit Stephanus Episcopus Tornacensis. Ep. r.

Inter figuram sphericam, aliasque omnes hoc interest, quod alia angulos admittant, & in ijs occultos quasi sinus, ac diuerticula. At verò circularis simplex est, aperta, explicata, nec angulos patitur, ideoque veritatis hieroglyphicum est.

Ex illo sensu, indicioque de natura veritatis factum existimo, vt Hebræi sapientes ineffabile Dei nomen circulo inscripserint supponendo *camets* tribus, *Iod.* docebant enim ex arcana sua, sacraque theologia bonitatem esse in centro, veritatem in circumferentia.

Ita porro se res habet, Dei bonitas est in centro, imo ipsum centrum, à quo duci debent omnes lineæ humanorum actuum, & ad diuinam veritatem tanquam ad illius circumferentiam flecti: hoc vno certè recti, foelices, beati erimus, si omnes vitæ nostræ lineæ, dies omnes & anni, cogitationes, verba, opera à diuina bonitate ceu centro ducantur, ad eamque reducantur. Si pro circulo, circumferentiaque vitæ mortalis sit ipsa diuina veritas, si extra illam, ne lineam, ne vitæ punctum trahamus. Hoc

54 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
certè docet, ac testatur corona capitis nostri, index  
& nota veritatis, quæ non sinit se falli mendacibus  
huius mundi pollicitationibus, vt à summo bono,  
summo vero, id est, Deo deflectat.

QVINTA RATIO.

**F**Vit olim inter Academicos agitata illa quæstio,  
quæ figura foret omnium perfectissima? itum  
est in varias sententias.

Pro quadratâ stetere Philosophorum nonnulli,  
quod ea firmitatem designaret, vti contrâ circularis  
inconstantiam. Vnde sapientia in quadrato hærens,  
fortuna globo pendens à veteribus pingebatur.

Pro spherica tamen pugnauit Aristoteles, & to-  
ta Peripateticorum schola, faniorque pars philoso-  
phorum: & meritò.

Primum enim figura circularis omnes alias suo  
sinu claudere, & continere potest, ipsa verò à nulla  
aliâ claudi, & circumscribi potest: deinde figura  
spherica omnium prima, adeoque perfectissima:  
primam esse ex eo conuincit Philosophus, quod  
vna linea contineatur, aliæ verò omnes pluribus  
componantur. Vnum autem, & simplex pluribus,  
& composito prius esse debet.

Denique cuiuslibet lineæ rectæ aliquid semper ad-  
di potest, aliquid detrahi, circulari verò nihil addi  
potest, nihil detrahi, & inde illa imperfecta, hæc  
perfecta est, imo symbolum aliquod perfectionis.

Et

Ethinc ad institutum meum redeo. Sicuti Coelo, vtpotè primo, & perfectissimo corpori tribuitur figura circularis: ita & Clericorum Ordini, vtpotè primo, ac perfectissimo corona vertici inciditur: vt ex ea pateat, cum è vulgo euocantur in eum statum, simul inuitari ad singularem aliquam, & eximiam perfectionem.

Etsi enim omnibus communes illæ Christi voces, illa cohortatio. *Estote perfecti, sicut Pater vester* Mat. c. 5, v. 48. *cœlestis perfectus est.* Maximè tamen Clerico, viri- que Apostolicis propria, qui ipsomet oraculo primæ veritatis *lux sunt mundi*, & parui soles, quibus vt luceant exemplo bonæ vitæ, vt ardeant æstu charitatis, etiam coronæ, veluti parui soles imponuntur, multò illustriores illis pulchræ vetustatis regibus, qui ad prodendam imperij sui maiestatem, & splendidissimæ gloriæ magnificentiam radijs solis pro corona utebantur. Erant illi tenues radij, & emendicatus deforis fulgor: at Clerico intrinsecus est fons luminis, virtus in animo, studiumque perfectionis in amoribus, quod etiam in verticibus honoratis, velut sublimibus polis circumferunt, diuino sanè, ac cœlesti augurio, cum è mirabili saluatoris elogio lumina sint orbis terrarum.

## SEXTA RATIO.

**N**on sine causa, & consilio magnæ mentis 1. Pet. 2, v. 9. scripsit olim Beatus Petrus *regale esse Sacer-*  
*dotium,*

56 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
*dotium*, quod iam inde à primis sæculis ad hæc vs-  
que tempora sic audiit.

In ipsa naturæ lege primogeniti familiarum, ea-  
rum quoque erant Sacerdotes, & si quidem illæ ma-  
gnæ essent, & amplæ; etiam Principes, ac Reges: In  
lege Moysis Synagoga Iudæorum dicta *regnum Sa-*  
*cerdotale*, vel vt Hebræus legit, *regnum Sacerdotum*,  
quod vel maximè conuenit Ecclesiæ: in qua ex ve-  
ro Sacerdotes etiam Reges: tum quia Christus eius  
Author, Sacerdos est, & Rex vniuersi, tum quia vi-  
ctima, quam sacris manibus immolat, regalis est, ac  
diuina, tum denique quia summa ei indita potestas,  
summus etiam in animos dominatus. Regibus cer-  
tè huius æui quidquid dignitatis, maiestatis, poten-  
tiæque fortuna ascripsit, ea vel luteis vrbiū septis  
continetur, vel in sola mortalium corpora sese ex-  
plicat, atque effundit: at Sacerdotalis, euadit ad ipsas  
animas immortales, ipsque cœlum vel aperit, vel  
claudit: quæ regia, diuina, ac summa quædam est  
potestas, de qua magnificè S. Ignatius: *Sacerdotium*,  
inquit, *summa est omnium bonorum, quæ in hominibus*  
*consistunt*: cætera enim bona è terra, lutoque peti-  
ta huic æuo breui seruiunt: at Sacerdotium suas è  
cœlo haurit opes, commissis sibi clauibus regni  
cœlorum, à quo Sacerdotes omnes coronati ince-  
dunt, vt & regiam, & Sacerdotalem dignitatem  
præseferre videantur: regiam dico, non quæ à ma-  
ris

Exod. 19.  
v. 6.

Ep. ad  
Smyrn.

ris dominio, à terræ regno ducitur, sed quæ à cœlo, in honoratos vertices descendit : de dignitate Leuitarum, de tribubus ad sacrificium ascendentibus cecinit olim David. *Illuc ascenderunt tribus, tribus Domini* : seu vt vertit Chrysoftomus, *sceptra, sceptrum Domini* : dignus enim est sceptro, qui Deo sacrificat; imo diuino oraculo, congregatio sacrificantium dicitur *sceptrum Domini*. Ita enim quondam Aarõni Deus. *Fratres tuos de tribu Leui, & sceptrum patris tui sume tecum*. Sceptrum vocat Sacerdotij dignitatem, quæ quolibet imperio, sceptroque quam maximè antecellit.

Vt mihi videatur amabilis, & augusta libertas magni Pontificis INNOCENTII III. qui ad Imperatorem Constantinopolitanum scribens, vt ostenderet quantum Pontificia Sanctitas, Cæsarum maiestati præstaret; hanc cum luna, illam cum sole componit; eoque trahit illa verba Geneseos. *Fecit Deus luminaria magna, luminare maius vt præesset diei, & luminare minus vt præesset nocti*.

Illud in prima huius vniuersi molitione Deus, hoc in eius reparatione Deus homo, fecit: *luminare maius*, scilicet Pontificem, qui præesset diei; id est immortalibus animis, atque æternitati, quæ occasum non videt; *luminare minus*, videlicet reges, ac Cæsares, qui præessent corporibus, & nocti huius vitæ mortalis: *vt quanta est inter solem & lunam,*  
 BA H tanta

L. I. Decretalium  
Ep. ad  
Imp.  
Const.

Gen. I. v.  
16.

38 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
*tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Haecenus oraculum magni Pontificis: quem ne pro seipso magis quam pro Ordine loqui putes, è profanis regibus vnum producam, qui de profana, sacraque maiestate proferat, quid sentiat. Is erit Rex Agrippa, qui ad Caium Cæsarem ita scribit.*

Philo de  
Legatio-  
ne ad  
eundem  
Caium.

*Auos, inquit, Proauosque Reges habui; & ex his etiam aliquot summos Pontifices: quam illi dignitatem pluris faciebant, quam regiam, rati quanto Deus antestat homini, tanto Pontificatum regno excellentiorem: ad illius enim curam diuinas res, humanas ad huius pertinere.*

Audisti quo in loco apud mortales fuerit Sacerdotium, audi, quo in honore apud immortales. Mouet D. Chryostomus illam quæstionem. Cur stella Magos Reges ad Christi cunas duxerit? cur deinde ab ijs reduxerit Angelus? respondet illud dignitati regiae, hoc Sacerdotali maiestati, ac sanctimoniam fuisse concedendum.

Chryf.  
hom. 7. in  
Matth.

*Nec iam, inquit, eos stella, sed Angelus suscipit, qui scilicet adorando facti fuerant Sacerdotes cum supplicatione, etiam muneribus oblatis.*

Ita Regibus obsecuta stella, Sacerdotibus Angeli, magnæ illæ mentes, & supremæ cælorum Intelligentiæ: vt ex eo conficias quantum stellam inter & Angelum interest, tantum Regem inter & Sacerdotem interesse.

Ad

Ad hoc ipsum discrimen reuocari potest & illud, quod olim pro Sacerdote maior Deo, superisq; litaretur victima, quam pro Rege, si forte tam hic, quam ille deliquisset: Ita enim ferebant verba legis.

*Si Sacerdos, qui unctus est peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino. At verò si peccauerit Princeps, offeret hostiam Domino hircum de capris immaculatum.* Leuit. c. 4. v. 3.

Hæc expressit olim Moses, vt ex dignitate victimæ, exprimeret ipsam Sacerdotis dignitatem: vnaque sub oculos poneret, quanta ab illius peccato inferretur clades, quæ scilicet in eo non hæret (quod ipsum solum graue foret) sed ad populum quoque transit (quod est longè grauissimum.) Et ista hætenus pro regali Sacerdotio, & corona dignitatis symbolo, atque ornamento: venio ad postremam pro ea rationem, in qua etiam finem facio.

## SEPTIMA RATIO.

**E**st corona symbolum gloriæ, ac beatitatis, cuius aliquod simulacrum dum gestamus in capite, memores æternæ coronæ reddimur.

Eam rationem extulit D. Hieronymus. Coronam, inquit, habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ *in signum regni, quod in Christo expectatur.* 12. q. 7. c. duo sunt.

Crediderunt nimirum Diuini illi Patres, piorum mentes excitari ad cœlestis, & opulentissimæ coro-

60 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
næ cupiditatem, quam in luce & omnium propè  
oculis esse positam viderent. Habet enim suaues, &  
miras illecebras vel vna tantum obtinendæ gloriæ  
recordatio. Hebræi quondam bis leguntur coro-  
nam in caput extulisse in præclarum effusæ lætitiæ  
argumentum.

**Lyranus.** Primum quidem cum à Deo legem tabulis in-  
scriptam acceperunt, tum enim ita omnibus inces-  
serunt lætitijs, vt vix ipsi sese caperent, tanto, tamque  
mirabili superum beneficio præ cæteris mortalibus  
obstricti: in cuius indicium coronas sibi texuere, &  
lætis imposuere verticibus: & hæc vna floreis fertis  
festiua dies: altera fuit cum à longa, & immani  
Ægypti seruitute, in libertatem euocati, & terræ  
promissæ iam proximi.

Ascenderat Israël in montem *Amana*, è quo pro-  
missæ regionis amœnitatem, vbertatem, ac delicias  
oculis haurire poterat. Vix sub aspectum venerat  
fœlix ille terræ tractus, totque votis expetita regio,  
cum in lætitiæ signum sibi ferta fecit populus om-  
nis, eaque circum tempora duxit; vt lætior, & or-  
natioꝝ promissam sibi hæreditatem adiret: si tan-  
tum potuit in populo, cæteroquin duræ, ac ferreæ  
cervicis, vel vnus illius soli prospectus; quid non  
poterit in Mystis sacratioꝝ, certa fide, speque  
iam vsurpata cœli regia? poterit certè, quod illud  
olim in Israëlè potuit; & meritò amplius: Sacer-  
dotis

dotis animo, fronti que regie inscribuntur hæc verba. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem eius requiram de ore eius*: neque enim eius animo contineri, celari que debuit, sed in os elabi, atque ascendere, & per illud sacratione fandi copia in populum deriuari: eo quippe sine Dei legem accipit Sacerdos, ut & ab illa coronam mereatur accipere. Huius atque illius indicium est corona, quam capite circumgestat: legis videlicet amor, ac custodia, spes gloriæ, ac libertatis, ad quam obtinendam si labore, pugnave, sit opus, ad eam animos facit corona, quæ in medio vitæ cursu, & periculis laboriosis, in furentium tyrannorum barbarie, in quotidianis sudoribus, in sollicitudine omnium Ecclesiarum, dulcissima æternæ gloriæ memoria, ac recordatione mentem reficit.

Eandem ob causam improbus Dæmon, æmulatione quadam diuinæ sapientiæ, simile quippiam in Mithræ sacris excogitavit, in quibus gladius, & corona proponebantur, ut infandis illis superstitionibus initiati, & *mithræ*, ut dicebantur *milites*, coronæ recordatione, nec ferri aciem, nec horribiles alias corporis vexationes formidarent.

Ita in diuinis Mystis fieri necessum est, cum oberrarit animo corona æternæ gloriæ, cum in vertice infederit aliquod illius veluti expressum vestigium, piam mentem extimulabit ad altiores de

62 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
beata vita cogitationes, ad illius amoris æstus, ad  
luctam sacrationem, ad brauium ijs promissum, qui  
sub corona Clericali positi certarint fortiter, vice-  
runt foeliciter, gloriosè triumpharint.

Et hæc sunt, quæ de corona dicenda mihi occur-  
rerunt, superest modo, vt quoniam ea nota est exi-  
miæ amplitudinis, index honoris, pignus sanctita-  
tis, eloquium venerationis, per illam vos orem, at-  
que obtester: vt sub corona constituti, ea digni vi-  
tam omnem exigatis.

Ita suos olim obtestari magnus Augustinus;  
*Per coronam tuam*, hoc est per sacrosanctum mu-  
nus Sacerdotij, per venerandam illam, augustam-  
que dignitatem, cuius argumentum est corona.  
A seipso, ab Ecclesia, à Deo procul excesserat Pro-  
culianus Episcopus Donatista, quem ad se, ad Ma-  
tris Ecclesiæ gremium, ad Dei misericordiam reuo-  
cat Augustinus, obsecratque his verbis.

Aug. Ep.  
147.

*Per coronam nostram vos adiurant vestri, per  
coronam vestram vos adiurant nostri.* Vt nimirum  
tibi, officioque tuo reddaris: ita per eandem coro-  
nam te tibi reddi volo, quisquis ab ea per profliga-  
tos mores, & indignam hoc ordine, graduque vi-  
ram abiisti.

CA-

## CAPVT III.

*De tempore, & die ordinationis.*

**H**Actenus dixi de Tonsura, & Corona Clericali, à qua Clericus audit, superest modo, vt elabar longius, gradumque faciam ad Ordines, quibus initiari solet, admitti que ad ipsas aras, diuina que ministeria.

Prius autem quam aliquid de sacris Ordinibus attingam, occurrunt nonnullæ circumstantiæ, quæ ad eorum vel dignitatem, vel sanctitatem plurimum conducere videntur. Eæ porro sunt tempus, & dies ordinationis ab Ecclesia præscriptus.

## §. PRIMVS.

*De tempore, quo ordines conferri solent.*

**V**Sque ad tempora Simplificij Papæ, dicuntur Romani Pontifices ipso mense Decembri ordines contulisse. Inualuit deinde consuetudo ipso iure firmata, vt darentur per sabbatha quatuor anni temporum, in quo duo videntur digna luce, accurataque censura.

Cur enim diuina prouidentia, quæ Ecclesiam moderatur, ac regit, & ad ea quæ Sacramentorum sunt, veluti manu ducit, cur, inquam, è tota mensium serie, quæ vno anno euoluitur, quatuor tempora designauit?

Ne

Ne temerè, casuue factum putes, ne humano iudicio, calculo que decretum: sed certo, ac destinato diuinæ prouidentiaë consilio, vt etiam ab illis temporibus sua sacris ordinibus dignitas accederet, atque reuerentia.

*Ps. 49.  
v. 2.* Vt sese vniuersi Dominum ostentaret Deus, vt probaret effatum illud. *Meus est orbis terra, & plenitudo eius*: ex omni genere primitias sibi offerri, consecrari que voluit.

Qui primus ex humano connubio nascebatur puer, is ipso natalium iure Domino dicabatur; ita illi gratæ hominum primitiaë, nec eorum tantum, sed & brutorum animalium, sed & plantarum, atque frugum.

Quod in illis, hoc & in temporibus obseruatum. Habet annus quatuor omnino tempestates, ex his Deo optimo max. tanquam æui, temporis que Domino veluti primitiaë quædam offeruntur.

Ineunte vere, adulto que Martio, cum primum enasci, & virere cœperint omnia, solemne trium dierum ieiunium indicitur, vt illius tempestatis auctori, supremo que Domino gratiores veris primitiaë dedificentur.

Accedente deinde Iunio, cum altior exurgit æstus, sol que purior incumbit vertici, tres rursus alij dies ieiunio sacrantur, vt suas quoque Domino primitias æstas ipsa deuoueat. Suas etiam vices Au-

tumnus

tumnus habet; suas legit temporum exuuias, vbi fructus vbere manu, copiaque legerit.

Denique suum & tristis hyems locum obtinet, aurasque gelidas tempestati suae consonas dicat, seueroque ieiunio consecrat.

Hæ sunt temporum primitiæ, in quibus ex Ecclesiæ instituto dantur ordines, vt ij qui illos admiserint, sciant se è toto hominum genere quasi primitias Deo offerri oportere; in quo certè plurimum est dignitatis, ac religionis: Certè si frugibus suis esset sensus, si brutis sua mens, si tempori sua consilia, gauderent utique se non profanis, sed sacris vsibus addici, non homini, sed Deo consecrari. Ea lege gaudeat is, qui ad sacros ordines diuino beneficio fuerit assumptus.

Et hæc prima ratio è quatuor illis temporibus petita; accedit deinde & altera quæ luce clarius ostendit, qui esse debeant qui ad ordines euocantur.

Consecrantur ij vere vt virtutibus ceu folijs, & floribus tegantur, & niteant. Consecrantur æstate, vt eminentiori charitate, ceu sole excocti, dignos cælo prouentus faciant.

Consecrantur Autumno, vt fructus bonorum operum demetant.

Consecrantur denique etiam hyeme, vt collectam spiritualis vitæ annonam, ac sementem in longa patientia, per aspera persecutionum frigora,

66 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
conferuent tamen in gremio prouidæ mentis, ijs-  
que fruantur in Domino.

Duci potest, & alia huius institutionis ratio ad  
Clericorum mores efformandos, ad præclara ma-  
gnarum virtutû ornamenta; quæ quatuor illis tem-  
poribus notari quodammodo, describiq; videntur.

Ea petuntur à virtutibus, quas Theologi Cardi-  
nales appellant, quod in ijs velut in cardine verta-  
tur vita. Sicque à tempore suæ ordinationis mone-  
tur Clericus, vt ijs sese virtutibus ornet, ac muniat.

Sit in primis illi singularis prudentia, quæ do-  
ceat, quæ perscribat quid in vna quaque re sequen-  
dum sit, aut fugiendum.

Sit æqui, rectique tenax iustitia.

Sit temperantia appetituum domina, passio-  
num Magistra.

Sit in rebus arduis fortitudo, quæ quantumuis  
dura, ac difficilia vel molliat, vel frangat.

Et hæc quidem sunt animi decora, quæ sub qua-  
tuor illis temporibus tegi voluit suavis, & amabilis  
Dei prouidentia. Sed & aliud occurrit, quod ad Ec-  
clesiæ præsidium plurimum conducet.

Quatuor anni tempora nobis exhibent, offe-  
runtque quatuor Euangelia, quæ iam inde nosse,  
quæ peruidisse, quæ deinde tueri ac defendere debet  
is, qui eo dignitatis vocatur, vt sacris aris per susce-  
ptos ordines assistat.

Visum

Vifum illud in primitiua Ecclesia, vt initiati nihil haberent antiquius, nihil commendatum magis, quam vt illa cœli oracula, diuinafque scripturas euoluerent; quippe fatis intelligebant quod etiam Ifidorus afferuit, diuinarum litterarum ftudium eſſe L. 2. Ep. 73.

*ἱερόδιον τῆς σωτηρίας, viaticum salutis.*

Vt nihil in prefentia attingam de dignitate ſcripturæ ſacræ, quam Chryſoſtomus ait, excipi oportere *velut oracula de Cœlo miſſa.* Beatus Cyprianus De Sanct. Pent. pag. 400. tanquam *ſancta, & adorabilia verba.* Vt iſta, inquam miſſa faciamus, taceamusque etiam S. Bonifacij Epifcopi, & Martyris, qui petijt à locuplete virgine aureis ſibi litteris deſcribi Epiftoſas S. Petri, *ob honorem, & reuerentiam ſcripturarum,* producam nonnulla monita Sanctorum Patrum quibus initiatos vrgent, atque obteſtantur, vt à diuinarum litterarum lectione, diligenti que meditatione nunquam recedant. Baron. Tom. 9.

D. Hieronymus qui vires omnes, ætatemque in euoluendis ſcripturis attriuerat, ſuaque doctus experientia didicerat, quantum in ijs eſſet momenti, tum ad vitam ſanctius inſtituendam, tum ad efformandos fingendofque Chriſtianorum mores, graue illud monitum ſuis litteris inſcripſit. *Diuinas ſcripturas ſepius lege. Imo nunquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur, diſce quod doceas.* Hier. Ep. 2.

D. Hieronymo pondus addet Ambroſius, ille  
I 2 forti,

68 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
forti, hic mellea & suauis, vt solet, eloquentia, quæ  
sic habet. *Cœlestium Scripturarum eloquia diu tere-  
re, ac polire debemus, toto animo, & corde versan-  
tes, vt succus ille spiritualis cibi in omnes se Venas  
anime diffundat.* Quibus verbis insinuat magnus  
Præsul, Mystas omnes, sacrifque deputatos, & ieiu-  
nos & propè fame enectos fore, nisi cœlo lapsas  
animi vires assidua illa scripturarum lectione refi-  
ciant, ac recreent.

Ad illa sanctorum monita, grauesque præce-  
ptiones addi possent & exempla, à quibus momen-  
ti plurimum ac ponderis accederet. Sed hic per  
transennam tantum hoc argumentum attingo.  
Plura qui volet legat Mystagogum R. P. Ludouici  
Cresollij: opus sanè, varium, doctum, pium, in quo  
nescias, quid mireris magis, an argumenti dignita-  
tem, an styli nitorem, & elegantiam.

Genna-  
dius in  
Catal.

Profert ille Honoratum Massiliensem Episco-  
pum, qui assidua lectione, ita diuina scripturarum  
oracula peruiderat, ita animo, tenaci que memoria  
comprehenderat, vt à Gennadio dictus sit *Arma-  
rium scripturarum.* Producit deinde Nepotianum,  
de quo illud Diui Hieronymi testimonium. *Le-  
ctione assidua, & meditatione diuturna pectus suam  
bibliothecam fecerat Christi.*

Hier. Ep.  
3.

Affert denique & illud summi Pontificis de S.  
Antonio de Padua oraculum, quo audiit *Arca te-  
stamenti,*

*stamenti*, quasi copioso mentis suæ sinu testamen-  
 tum vtrumque complexus esset, adeò concio tota,  
 quam exceperat Pontifex, scripturæ sacræ flosculis af-  
 persa, imo contexta: nimirum ex abundantia cor-  
 dis os loquebatur, ea quæ oculis, quæ animo sacra-  
 rum scripturarum lectione hauserat, eructabat.

Optandum esset hac qua viuimus ætate, vt sacri  
 Mystæ, & quicumque altari seruiunt, essent & ipsi  
*Armarius scripturarum, bibliotheca Christi, Arca*  
*testamenti.* Sed antiquæ; veræ tamen querelæ scri-  
 ptoris cuiusdam Christiani apud Eusebium. *Multi* L. 5. c. vl-  
 timo.  
*sunt, qui relictis & depositis sacrarum litterarum stu-*  
*dijs, omni cura, & cogitatione in geometriam incum-*  
*bunt, tanquam de terra editi, de terra loquuntur.*

Non sic legere, non sic loqui docuit Ecclesia,  
 morum magistra: illa ex ipso ordinum suscipien-  
 dorum tempore, docet quid legere, quid loqui,  
 cui potissimum studio incumbere debeas, nimi-  
 rum scripturarum, & Euangeliorum historijs, tan-  
 quam demissis è cælo litteris, atque monumentis.  
 Sed ista hæctenus à tempore petita. Accedamus  
 propius ad ipsum diem, quo iubet Ecclesia ordina-  
 tiones fieri, est illa sabbathum; quæ causa? quæ  
 mysterij ratio, ex ea ad institutum nostrum deriuari  
 potest?

*De Sabbatho, in quo ordinari solent  
Clerici.*

**V**T quæ sub eo lateant arcana eruamus, atque in lucem emittamus, agitanda primum erit quæstio, de voce *sabbathi*; tum, de eius in sacris paginis commendatione, à qua Ordini nostro decus, non exiguum addetur.

*Genuina etymologia nominis  
sabbathum.*

L. 4.  
Sympos.  
g. 5.

**H**Anc vocem *sabbathum* à *sabbo*, id est Baccho deductam olim crediderunt Ethnici, ut mihi author est Plutarchus.

In eam opinionem venerunt ex eo, quod Iudeos aduerterent inter sacrificandum varijs computationibus deditos; hinc eos Bacchi cultores, & à Baccho, qui *sabbus* dicebatur, *sabbathum* dictum esse crediderunt. Error is fuit, cui occasionem dedit infana Iudæorum temulentia.

Ex vero autem vox illa *sabbathum* originem habet ab Hebræo *sabbat*, id est cessauit, vel requieuit, indeque *sabbathum*, quies est, atque operis intermissio.

Hunc orbem vniuersum, elementa, Cælos, & quidquid ijs aut tegitur, aut voluitur, molitus erat Deus diebus omnino sex, non amplius: à quibus ab opere nouo data quies, & oportuna cessatio; ea-  
que

que die septimo, quæ iam inde sabbathum audiit, auditque modo. Ab illa quiete benedixit ei Deus, hoc est laudavit, commendavit, approbavit. Vel si maius benedixit, id est, sanctum, & festum esse decrevit in ætates omnes longè consequentes. Hoc enim Adamo primum ab ipsomet authore vniuersi, datum est in mandatis vt dies septimus sacer, & festus esset, dicatusque recolendæ memoriæ illius beneficij, quod in orbis fabrica acceperat homo. Quod præceptum deinde ab ipso Moysè non tam datum est quam instauratum: facile enim cum ipsa sæculorum inclinatione, fit aliqua morum pietatisque inclinatio; quæ vt erigatur, nouis præceptis est opus.

Ea Dei nutu, iussuque Israëlî indixit olim Moyses his verbis. *Videte vt sabbathum meum custoditis, quia signum est inter me, & vos in generationibus vestris.* Exod. 31. v. 13. Eæ voces diuino oraculo editæ miram in Iudæorum animis indiderè sabbathi religionem, cui ne deessent, etiam sabbathulum de suo addidere: cum enim nescirent quo momento, aut inciperet, aut desineret sabbathum (momenta enim temporis & oculos nostros, & cogitationem fugiunt) hora vna citius auspicabantur cultum sabbathi, & hora vna tardius finiebant; adeo in eius obseruantia, cultuque religiosi fuere Iudæi: à quibus certè habet vnde erubescat Christianus, qui dies Dominicos, festosque ita vel parcè colit, vel prodigè violat.

Alterum

Alterum in quo sacram sabbathi æstimationem testati sunt Iudæi: est; quod ab illo dies omnes hebdomadæ nominandos censuerint: ita enim eam in suos dies descripsere. Prima sabbathi, secunda sabbathi, tertia sabbathi, quarta sabbathi, quinta sabbathi, sexta sabbathi, denique & sabbathum: ut in singulos septimanæ dies sua transfiret sabbathi reuerentia.

Ad eius obseruationis normam Gentiles hebdomadam quoque in dies diuisere: eosque suorum Deorum nomina præferre voluerunt. Prima dies audiit dies Solis, secunda Lunæ, tertia Martis, quarta Mercurij, quinta Iouis, sexta Veneris, septima Sabbathum; vana certè superstitione. Sibi enim persuadebant, Dijs istis omnia deberi. A Sole spiritum se haurire opinabantur, à Luna corpus, à Marte feruorem, à Mercurio sapientiam, à Ioue temperantiam, à Venere voluptatem, à Saturno tarditatem, quæ suum rebus omnibus consilij pondus adderet.

Ut horum omnium memores gratique viderentur, dies omnes, quibus æuum hoc mortale describitur, eorum nominibus probè, improbè notandos esse censuerunt, vana certè, & futili ratione, quam ut è sacris fastis, Clerique tabulis eraderet Ecclesia, primum Hebdomadæ diem Dominicum appellauit, quia Domino sacrum, reliquos Ferias dixit; quia suos Clericos omni die cessare voluit, &

ab

ab opere seculari feriari, vsquedum affulgeret Sabbathum, hoc est longa quies aternitatis.

Et hæc ad Sabbathi notionem, cultumque faciunt, à quibus redeo ad sacros ordines, quaeroq; cur ij Sabbatho potius, quã alio quouis die conferantur.

Rationes cur ex Ecclesiæ instituto ordines  
dentur in Sabbatho?

PRIMA RATIO.

*Quies ab opere seruili.*

**I**N oculis, in manibus est ratio, dies Sabbathi mysterio seruit: docet enim Clericum, cum primum ad ordines ascendit, debere ab opere seruili quiescere.

Quanam inquires ea sunt opera seruilia?

Non ea crede, quibus implicantur manus, & obruuntur humeri: sed potius ea quibus malè distinetur, & occupatur immortalis animus: ea inquam ad quæ trahimur impotenti tyrannide passionum nostrarum, de quibus Ambrosium audi facundè differentem.

*Est, inquit, qui cum paucioribus præsit, pluribus Dominis, & grauioribus seruit; seruit enim proprijs passionibus, seruit cupiditatibus suis, quarum dominatum, nec nocte fugere potest, nec die, quia intra se Dominos habet, intra se seruitium patitur intolerabile.*

*Ambros.  
l. 2. Epist.*

Vt autem abeamus ab illo seruitio, ab illis Do-

K

minis,

74 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
minis, seu potius tyrannis, qui opera seruilia libera-  
menti imponunt, monet ipsa dies Sabbathi, quæ  
fui nominis etymologia quietem indicit; primum  
à passionibus, earumque operibus, tum etiam à cu-  
ris, nimiaque sollicitudine rerum huius sæculi, vi-  
tæque mortalis, à qua vt discedamus, etiam vrget  
Paulus, vas electionis, Gentium Doctor, *nemo, in-*  
*quit, militans Deo implicat se negotijs secularibus.*

*Ad Ti-*  
*mot. 2. c.*  
*2. v. 4.*

Ea porrò sunt vitæ negotiationes, tractationes  
vulgarium rerum, quæ ad victum, ad rem familia-  
rem, ad commutabilia fortunæ bona pertinent,  
vnde existit auaritiæ labes, aliæque animi cupidita-  
tes inflammantur. Ijs sese implicare non debet, qui  
Deo militat: miles enim, qui sub aliquo Principe  
stipendia meret, nec mercaturam curat, nec agricul-  
turam exercet, nec sese abijcit ad opificium, aliasque  
domesticas curas. Imo nec de victu adeo laborat:

*L. 14. In*  
*exhort. ad*  
*Castitatē.*

nimirum ea cura penes est Duces, ac Principem:  
militis est armis intédere, spectare prælia, victorias  
meditari. Vnde & militibus olim vetitum fuisse  
coniugium probat Tacitus, & suo æuo cœlibes  
fuisse author est Tertullianus: ita nimirum fieri o-  
portuit, ne qua familiæ cura distraheret, ne vxoris  
aut prolium amor, à bello reuocaret. *Mens enim*  
*deuota prælijs non debet alijs cogitationibus occupa-*  
*ri,* inquit Cassiodorus.

*L. 1. Var.*  
*Ep. 7.*

Quod si eos qui mundo, terrisque militant, à re-  
bus

bus sæcularibus pœnitus abstinere necessum est: multò magis hi, qui cœlo merent atque æternitati, rebus inanibus contemptis, abiectaque cura sæcularium, sacris tantum operari, & amore Numinis curare cœlestia, proculque à terrenis recedere debent. Ad eos enim spectat illud Isaia. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini.* Isa. 52. v. 11.

*Vasa Domini ferunt*, inquit D. Gregorius, *qui proximorum animas ad æterna perducendas in sua conuersationis fide suscipiunt. Apud semetipsos ergo quantum debeant mundari, conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viuientia in sinu propriae spon-* D. Greg. 2. p. Pa- stor c. 2. *sionis portant.*

Quod si forte ab illo secessu, & negotiorum sæcularium turba, quæ verè animos inquinat, & pollut (quis enim vt aureo ore Chrysologus. *Per vitiorum gurgites impollutus incedit? quis carnis negotia, vitæ causas, actus mundi sine querela per agit?*) si te, inquam, ab illo secessu, ab illa quiete, & ordinationis tuæ Sabbatho auocat importuna amicorum turba, si aliqua sanguinis communio, & vt videtur necessitudo quedam, dic age cum Romano sapiente. *Non vaco ad istas ineptias, ingens negotium in manibus est.* Seneca Ep. 49. *Negotium dico Cœli, salutis, æternitatis, & immortalis Dei.*

Quod si sapientis illius voces, & propè Christia-

na oracula, amici, parentesque plus æquo importu-  
ni non audiant, sponsam appella, & de cœlesti sede  
euoca. Audient heroinam illam diuinam exutam  
omni rerum abiectarum colluue: exaggerabit il-  
la, atque opponet animi sui, tuique votum, dicet-  
Cant. 5. que: *expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?*  
v. 3. *laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Hæ sunt voces, iustaque excusatio, quam præ-  
textit sponsa, id est, mens Deo, & sacris aris deuota.  
Expoliaui me tunica mea, ea inquam, quam à primis  
Gen. 3. parentibus Adamo, & Eua acceperam. Fecerat illis  
Deus tunicas pelliceas, & induerat eos. Meritò pel-  
liceas esse oportuit, & mortuorum animantium  
exuias, vt quia à peccato mortui, & bestiarum in-  
star ad pastum abijci, & huius æui mortalis curis  
vacare debuerunt, easque vna cum tunica pellicea,  
cum vestibis mortalitatis erant in posteros emissu-  
ri. Verum eas fœlici forte exiit sponsa, exiit ani-  
mus Deo sacer, ideòque cum illa è lectulo quietis  
suæ, ac Sabbathi: iterum ingeminat illud. *Expoliaui  
me tunica mea, quomodo induar illa; laui pedes meos,*  
(affectus, inquam, & abiecti animi propensiones)  
*quomodo inquinabo illos?* quomodo ad pristinas for-  
des, ad amorem vilium rerum, tractationemque re-  
dibo; ab ijs iam inde piè, ac beatè spoliatus, & vin-  
di que lotus, per me, per superos, redibo nunquam,  
nunquam abiecta tunica induar, nunquam lotos  
pedes

pedes inquinabo. Hæc decreta magnæ mentis, hæc quies, hic Sabbathismus.

## SECUNDA RATIO.

*Quies, & secessus spiritalis.*

**A**lterum ad quod nos tacitè vocat Sabbathum ordinationis nostræ, est otium spiritale, secessus opportunus, & pia dierum aliquot solitudo, ad quam etiam nos ipsa natura, ratio, necessitas, maiorum exempla allicere videntur.

Naturam ipsam eò propendere euincit illud, quod etiam illam amarint Ethnici.

Romanus Orator Tullius non existimauit eum esse liberum, qui huic otio non vacaret, *mibi*, inquit, *is liber esse non videtur, qui non aliquando* 2. de Orat. *nihil agit.* Eam porrò libertatem vt assequeretur in Tusculanum suum secedere solitus; vt qui Romæ Reipublicæ fuerat, in suo Tusculo suus esset: ita enim scripsit olim. *Moror in Tusculano meo semiliber.* Nimirum à Reipublicæ curis, ab æstu negotiorum, aliquid de natiua libertate quodammodo decesserat, quod ab illo secessu accedebat.

Ciceronem imitatus Seneca de seipso ita loquitur. *In hoc secessu me recondidi, & fores clausi, vt* Ep. 81. *prodesse pluribus possem, nullus nisi per otium dies exit, partem noctium studijs vendico, non vaco somno; sed succumbo, & oculos vigilia fatigatos, cadentesque*

78 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
*tesque in opere detineo. Seceſſi non tantum ab homi-  
nibus; ſed etiam à rebus, & primum à meis. Poſtero-  
rum negotium ago, illis aliqua, quæ poſſent prodeſſe  
conſcribo.*

Ea Senecæ fuit ſeceſſus illius ratio, vt poſtero-  
rum negotium ageret, vt aliqua conſcriberet, quæ  
poſſent prodeſſe, nobis autem alia longè, potiorque  
cauſa, non enim poſteriorum, aut temporis huius  
negotium agimus: ſed noſtrum, ſed æternitatis, nec  
ea meditamur, aut ſcribimus, quæ alijs, ſed quæ no-  
bis ſeros in annos prodeſſe poſſunt. Quæ verò ſint  
ea diſce ex S. Paulino Epistoſa ad Seuerum ſibi fa-  
miliarem, quæ ita habet.

Ep. I.

*A fori ſtrepitu remotus, ruris otium & Eccleſiæ  
cultum placita in ſecretis domeſticis tranquillitate  
celebraui, vt paulatim ſeducto à ſecularibus turbis  
animo, præceptiſque cœleſtibus accommodato, pro-  
cliuius ad contemptum mundi, comitatumque Chriſti,  
iam quaſi de finitima huic propoſito via demigrave-  
rim. Hæc ſibi ſeceſſus illius commoda propoſuit  
vir ſanctus. Primum fuit Eccleſiæ cultus, dum enim  
pijs exercitationibus excolitur Præſulum animus,  
& Eccleſiam ipſam in præcipuis ſuis membris ex-  
colieſt neceſſe.*

Alterum fuit inſignis animi tranquillitas, vt  
enim aduerſo ventorum impete turbantur maria,  
ijsque tacentibus ſubſidunt, & conquieſcunt. Ita  
animus

animus insolente illo negotiorum, forique strepitu concutitur, atque agitur, eoq; sedato, sibi, & tranquillitati redditur; itaque pacato mentis sinu cœlestia præcepta mollius, ac fœlicius excipit, & ad contemptum mundi, Christi que comitatum excitatur.

Eandem secessus illius causam habuit, attulitque D. Hieronymus Epistola ad Celantiam. *Ita habet* 14.  
*to, inquit, solitudinem domus, ut aliquam tamen vacationem animæ tribuas. Eligatur tibi opportunus, & aliquantulum à familiæ strepitu opportunus locus, in quem tu velut in portum quasi ex multa tempestate curarum te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus, secreti tranquillitate componas. Tantum ibi sit diuinæ lectionis studium, tam crebræ orationum vices, tam firma, & pressa de futuris cogitatio, ut omnes reliqui temporis occupationes facile hac vacatione compenses. Nec hoc ideo dicimus, quo te retrahamus à tuis, imo id agimus, ut ibi discas, ibique mediteris qualem tuis præbere te debeas. Hactenus D. Hieronymus, cum quo sentiunt alij SS. Patres, qui ut hunc secessum, otiumque liberæ mentis amarunt: ita & de eo locuti magnificè; ut non solum exemplo inuitarent, sed etiam verbo.*

D. Gregorius Nazianzenus, qui sæpius ita secedere solitus, ut seipsum inspiceret, atque exploraret, illam solitariae mentis exercitationem appellat. *In* Orat. 41.  
*morbis animi medicinam.* S. Paulinus Ep.

S. Aper 29.

S. Aper Tullensis Episcopus, *familiare secretum tacitiruris*, quod etiã ipse pia consuetudine petebat.

D. Paulinus sui æui miraculum, altiore verbo vsus *Cœlestem officinam* vocitabat. Rogatus autem quid in ea officina cudi debeat, respondet. *Instructioni sanctæ vacare, & intendere studijs spiritalibus. Verbo vno formare in se Christum.*

D. Leo non à tiara Pontificia tantum, sed à doctrina & vitæ sanctimonia magnus, solitudinem illam inscribere solebat. *Aulam mentis, in qua (mens) diuinæ vacet sapientiæ, & omni strepitu terrenarum silente curarum in meditationibus sanctis, delicijs lætetur æternis.*

S. Leo  
Ser. 8. de  
Ieiunio.

C. 58. v.  
13.

Isaias in diuinis scripturarum oraculis, otium illud dixit esse Sabbathum delicatum: Ad illud te vocat, imò cogit illa dies qua primum sacris insignitus es honoribus; fuit illa Sabbathum, quod vel solo nomine te quietis illius admoneat.

Erit illa quies, *animi medicina*, vt enim corpus ipsum lapsu ætatis, ac temporis vitium contrahit, noxiosque humores, quos arte medica, opportunisque pharmacis euacuari necessum est: ita & animus cupiditatum suarum ignibus; seu febribus æstuat, vitiumque patitur.

Ei porrò remedio erit illa ipsa exercitatio, quam propono, ne eam respue, neve te ab animi robore & valetudine Nazianzeno firmiorem crede, vsus  
ille

ille hac medicina, & tu utere: erit etiam illa pro secreto familiari, quo arcana mentis iam sparsa colligas, & ad seipsa reuoces. Erit *officina cœlestis*, in qua singas, & excudas scutum fidei, galeam salutis, gladium spiritus, quo & hostem petas, & omnia eius tela, vel eludas, vel frangas. Erit *officina cœlestis*, in qua ardeat, atque æstuet ignis diuini amoris, à quo deinde Christum in teipso efformes, qui forte à liberiore vita, geluque rigidi pectoris malè fuerat deformatus. Erit *aula mentis* in qua libero pede, liberis, inquam, affectibus ambules, & Deo plenius delectijs fruaris æternis. Erit denique *Sabbathum delicatum*, in quo parentur escæ, coquatur panis, in cuius fortitudine ascendas, non dico vsque ad montem Dei Oreb, sed ad cœlum vsque, ad sedem gloriæ, thronum beatitudinis, Sabbathum æternitatis.

## TERTIA RATIO.

*Sabbathismus, seu annua veneratio primæ consecrationis.*

**I**Am inde à prima huius vniuersi molitione benedixit Deus diei septimo, id est Sabbatho, eumque sanctificauit, id est festum, ac solennem Adamo, posterisque esse voluit, vt sic in ætates longè consequentes abiret memoria creationis, quæ etiam omnino decet diem illum quo primum per manus Pontificias inaugurati sumus: ex vero enim in illa

L

die.

die abijmus in *nouam in Christo creaturam*, vt discretè inculcat Paulus, & ipsa loquendi ratio, iam inde à primis sæculis, à sacris historiographis vsurpari solita. Vbi enim recensent illi gesta summorum Pontificum, vbi sacras Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum ordinationes: vulgò vtuntur hac voce; *creauit* Episcopos per diuersa loca tot, *Creauit* tot Presbyteros, Diaconos, vt hac loquendi formula insinuent eos ex illo die quodammodo creatos, & recreatos esse, atque omninò in nouam transisse creaturam. Quod si ita est, dies ille benedictus, sacer, ac festiuus esse debet, annuaque solennitate recolendus, ne vnquam tanti beneficij memoria ex animo dilabatur. Et certè iam inde à primis annis is videtur fuisse tener, & lacteus sensus pietatis, quo sacriati mystæ, & diem illum sedulò colere, & se ad omnem muneris sui partem instaurare.

Appello prima Ecclesiæ lumina, augustaque nomina, quibus diem illum albo, fœlicique calculo notauerunt Sancti Patres. Græci enim dixerunt ἑορτήν, id est, festum, Latini *diem natalem*. Leo magnus, *Natalitium diem*, & *annua festa Pastoris*. S. Ambrosius *natalem Sacerdotij*. S. Augustinus *diem solennem Episcopatus: diem anniuersarium ordinationis*. Gregorius Turonensis *solennitatem natalitij*. Hilarius Papa *natalis festiuitatem*. Petrus Chrysologus *festa natalitia*.

Censabant

Censebant nimirum isti Patres lucem illam sibi natalem, qua in sacros ordines fuerant ascripti. Et meritò, si enim ea natalis censeretur, à qua habes esse, multo magis ea à qua benè esse sortitus es.

Et hînc alterum exurgit beneficij caput, ex quo huic plus debeas, quam illi.

Ab hac enim nactus es esse quoddam cœleste, ac diuinum, ab illa tantum relinquitur mortalis quædam, & humana conditio, nihilo cæteris hominibus superior. Nimirum ea dies, quæ tuæ inaugurationi illuxit, eo te euexit, vt in aliquam Dei similitudinem, & beati Numinis communionem admittereris, & humanam quodammodo deposuisse videreris. Audisti enim ipso primæ veritatis testimonio. *Ego dixi: Dii estis. Et, ipse Deus stetit in* ps. 81.  
*Synagoga Deorum* id est Sacerdotum, quam nominis maiestatem agnouere Sancti Patres Apostolis Constit. Apost. l. 2. c. 26. propiores, è quibus Clemens Romanus Sacrorum Præfectum, cultusque diuini magistrum vocare solitus *Terrestrem Deum.*

Et magnus ille ab Arcopago Dionysius eam De Eccl. Hierar. c. 1. vim Sacerdotij Christiani esse prodit, vt *Pontifex Deus fiat, inter homines diuinus, & numine sacrosancto plenus*: quæ persuasio non tantum ab Ecclesia, virisque sanctis recepta ex pio quodam excessu mentis, gustuque diuinorum, verum etiam ad barbaros vsque dimanauit, eorumque animos au-

84 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
gusta quadam illius ordinis maiestate commouit.

L. 12. c.  
45.

Nicephorus grauis auctor scribit Theotimum  
Scythiæ Episcopum à virtute, & mirifica dignitatis  
amplitudine in ea fuisse opinione, vt passim ab  
Hunnis appellaretur *Deus Romanorum*.

Imo iam inde ab exordijs mundi inualuit ea ap-  
pellatio, vt Sacerdos Deus diceretur. Clemens Ro-  
manus ex Apostolica traditione refert iustum Seth  
vocatum esse Deum quod religione præstaret, &  
primus Sacerdotio fungeretur: primus enim cœpit  
inuocare nomen Domini, adeoque primus Sacer-  
dos, primus in terris Deus.

Ex quibus omnibus id tantum confici velim,  
diem ordinationis, diem Sacerdotij natalem esse: in  
ea quippè desijsti quodammodo esse quod eras, &  
esse cœpisti quod non eras: factus enim, vt cum  
2. Cor. 5.  
v. 17. Apostolo loquar. *In Christo noua creatura, vetera  
transierunt, ecce facta sunt omnia noua.*

Ea porro nouitas, is diuinorum natalium splen-  
dor facit vt eum diem æstimemus nobis verè fuisse  
sabbathum, id est sacrum, festum, solennem, cui vt  
olim sabbatho benedixit Deus, & quem omnino  
sanctificauit.

Vt autem ea Dei benedictio, & ab illa ducta  
sanctitas duret in seros annos, imo excitetur, &  
augeatur magis, visum est eum diem anniuersaria  
deuotione recolere, vt si fortè lapsu temporis ali-  
quid

quid de prima illa sanctitate exciderit, reparetur.

Eam rationem affert D. Paulus ad Timotheum, quem in hunc modum inuitat. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Sicut sopitus ignis, & sub obscuro cinere latens sensim imminuitur, atque interit: ita igneus ardor, feruorque entheus, qui in die ordinationis excitatus fuerat, facile tegitur multo temporis cinere, à quo nisi suscitetur, obruitur, & omninò perit.

Suscitatur autem annua illa deuotione, & grata primi illius sabbathi memoria.

Ad eam antiqui Patres tria olim contulisse leguntur, quæ R. P. Ludouicus Cresollius in suo *Mytagogo*, ea qua cætera solet dicendi copia, fusius explicat: ego paucis attingo.

Primum enim, qui natalitia celebrabat sua, diuinis sacris operabatur, & tanquam nouus Aaron in sancta veniens, non quidem fulgentibus in gemmis inscripta Tribuum nomina: sed religioso in pectore admissa populi Christiani vota deferebat.

Tum sacram è pulpito habebat concionem, in qua diserta lingua, accenso spiritu de Sacerdotij præstantia, de muneris sibi impositi magnitudine, de Ecclesiæ dignitate multis differebat.

Tum denique re diuina perfecta, & votis ritè, pieque solutis, inibat conuiuium, quod non tam

86 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
effusa vini copia, & varius ciborum apparatus,  
quam liberalis, & innocua modestia condiebat. Id  
epulum, & quæ ex eo fluebat honestissima, ac suaui  
reliquæ diei hilaritas, à D. Chryfologo nominatur  
*Sacerdotum gaudia*. A D. Leone *communis lætitia*  
appellatur: ita ad omnes omninò fideles illius diei  
festiuitas emanabat. Vt ab illis ad te etiam deriuari  
patiaris, vrget ipsa dies sabbathi, quæ te primum Sa-  
cerdotem, nouamque in Christo creaturam vidit,  
suscepit, amauit.

---

CAPVT V.

*De Sacramento Ordinis.*

**I**N hoc argumento duo mihi tractanda propo-  
sui. Primum sitne in Ecclesia verum ordinis Sa-  
cramentum? tum quis ordinum numerus, & quæ  
numeri ratio?

§. PRIMVS.

*Sitne in Ecclesia verum Ordinis Sa-  
cramentum?*

In Lib. de  
Cap. Ba-  
byl. c. de  
Ordine.

**L**Vtherus, qui ab ordine suo transfuga discesse-  
rat, & in immanè chaos, confusionemque  
perditæ mentis totus excesserat; insolenti, temera-  
rioque ausu negauit ordinem inter Ecclesiæ Sacra-  
menta reponi oportere.

Calvinus

Calvinus, etsi plerisque in locis duo tantum Sacramenta statuisse videatur, Baptismum, & Cœnam: tamen libro quarto Institutionum, agnoscit C. 14. Ordinationem esse Sacramentum, verum illud quidem, non tamen fidelibus omnibus commune.

Ego cum hoc, aut illo congregari nolim, nec enim cum hæreticis contendere hoc loco fuit animus, sed tantum libellum pium meditari, & excudere.

Quod ut assequar, id statuo, quod inter Catholicos extra controuersiam est. Ordinem esse verum Sacramentum.

Illud probat, euincitque ratio; est enim symbolum, seu ritus externus annexam habens promissionem gratiæ, & quidem ex mandato, atque institutione diuina: quæ tria ad verum Sacramentum & requiri, & sufficere in confesso est apud omnes. Pro ritu, symbolove externo habes manuum impositionem, de qua Apostolus ad Timotheum. *Cum* 1. c. A. *impositione manuum Presbyterij.*

Pro diuinæ gratiæ pacto, certa que promissione spondet idem Apostolus dum ad eundem Timotheum ait. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Pro mandato, diuinæque institutione illud accipe, quod in actis Apostolorum habes. *In quo* Act. 19. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos.*

Ad hanc illius Sacramenti institutionem addi potest

88 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
potest ipse sensus Ecclesiæ iam inde à prima origi-  
ne: legetur ille è Sanctis Patribus, è quibus duos  
tantum produco.

D. Chrysofomus facunda vt solet mente, au-  
reoque calamo, libro tertio de Sacerdotio hæc scri-  
psit ad illius ordinis fidem, ac maiestatem.

*Sacerdotium in terra peragitur, sed in rerum cæ-  
lestium classem, ordinemque referendum est. Atque id  
perquam meritò, quippè non mortalis quispiam, non  
Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata po-  
tentia; sed ipse Paracletus ordinem eiusmodi instituit.*

Agnoscat hic Lutherus, & suspiciat Sacerdotij  
characterem, & gratiam, cuius artifex est ipsa Dei  
potentia, quæ vna hunc ordinem orbi nostro effe-  
re potuit, damnetque ignauiam, imo, & perfidiam  
suam, qua hanc à se muneris olim impositi digni-  
tatem abiecit, foedèque per errores suos prostituit.  
Sed ne longius, è Sanctis Patribus vnum adhuc au-  
diamus, is erit D. Gregorius, à rebus præclare gestis  
omninò magnus, qui hoc de ordinis gratia protu-  
lit testimonium.

L. 4. Reg. c. 5. *Is qui promouetur benè foris vngitur, si intus  
virtute Sacramenti roboretur.*

Denique pro coronide adiucio Concilij Triden-  
tini definitionem, ac decretum, quo dicitur anathe-  
ma ei, qui ordinationem aut negarit esse Sacramen-  
tum, aut figmentum quoddam humanum esse  
pronuntiarit.

Mitto cætera, quæ eam in rem fufius inter fe difputant Theologi.

Quis autem è feptem ordinibus in Sacramentis reponendus fit? Alterius eft fori, & ſcholæ Theologicæ, cui relinquo; quia hîc nō ago Theologum, ſed ea tantum quæ ad mores conducunt, ſequor; id tamen affirmo paucis; quod communi Doctorem calculo conſtitui ſolet.

Sacerdotium, Diaconatum, & Subdiaconatum eſſe Sacramenta, ideòque inter maiores, & ſacros ordines numerari.

De alijs autem ſua fit inter Theologos lis, atque contentio, ego in præſentia ijs conſultò ſuperſedeo; quia ad meum inſtitutum nihil conferre videntur.

## §. 2

*Quot ſint Ordines, & unde petatur  
eorum numerus?*

Communis Doctorem ſententia ſeptem recenſet hac ſerie. Ordo *Sacerdotij, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolyti, Exorciftæ, Lectoris, Oſtiarij.*

Si ex me quæras unde deſumatur ea ſeries, is numerus ordinum? audies quod in quæſtione non abſimili olim Iudæi audierunt. Agitabatur inter fideles ea quæſtio, deberentne gentiles Chriſtiani circumcidi, legemque Moyſis obſervare? coactum ſuper ea re Ieroſolymis concilium, anno à Paſſione

M

Chriſti

90 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
Christi decimo sexto, Ei præerat D. Petrus Ecclesiæ  
Princeps, & caput; aderat Diuus Iacobus Hieroso-  
lymitanæ vrbis Episcopus; aderat & Paulus vas  
electionis, qui hoc D. Petri effatum è Cathedra ve-  
ritatis extulit. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis ni-  
hil ultra imponere vobis oneris.*

Act. 15.  
v. 28.

Et hoc Ecclesiæ, Petriq̄ue pronunciatum Antio-  
chiam retulit Paulus, & Barnabas, cui illicò omnes  
velut oraculo de Cœlis emissò acquieuerunt.

Et tu pariter acquiescas est necesse, vbi intellexe-  
ris Ecclesiam, quæ diuinæ sapientiæ specula, fidei  
sedes, columna & firmamentum est veritatis, se-  
ptem omninò ordines recensere. Vbi animo me-  
mori, oculo ve etiam, si voles, ingressus fueris augu-  
stum illud, sacrumq̄ue conclaue, seu concilij Car-  
thaginensis quarti, seu etiam Tridentini, legeris-  
q̄ue quid in eo sentiant, quid loquantur euocati è  
toto orbe Patres: septem ij ordines numerant, tu si  
sapis nec pauciores ama, nec plures sectare: sed in  
septenario numero conquiesce: & certè quidni tu-  
tus conquiescas: si enim, vt benè arguit Theodorus  
Epistola ad Leonem Papam, si, inquam, Paulus  
*præco veritatis, tuba Sancti Spiritus ad magnum  
Petrum concurrat, vt ijs, qui Antiochiæ de legalibus  
institutis contendebant, ab ipso afferret solutionem:  
multò magis nos, qui abiecti sumus, & pusilli ad Apo-  
stolicam vestram sedem currimus, vt Ecclesiarum  
vulneribus*

*vulneribus medicinam à vobis accipiamus. Vobis enim per omnia primos esse conuenit.*

Si ita saperent hæretici nostri temporis, non ea inter illos lis foret ac contentio; non eæ cauillationes, & controuersiarum inexplicabiles labyrinthi, quibus non euoluitur, sed inuoluitur, imo etiam obruitur nuda, & simplex veritas, cui testimonium redderet supremus Iudex, Ecclesiæ caput, & controuersiarum arbiter.

Sed longius elabor ab argumento; ad institutum reuertor, & secundam adijcio rationem, quæ septem in Ecclesia ordines statuatur, & probet. Ea petetur ex officijs singulorum. Ab infimo ad summum, gradum faciemus. Infimus ordo est Ostiarij, cuius officium est templum aperire, claudere, custodire, fideles admittere, repellere infideles, & aliqua excommunicationis censura notatos, procul à sacro limine arcere: hinc ei ab Episcopo traduntur sacræ ædis clauis, cum hac graui, & seuera monitione.

*Sic age, sic uide, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur.*

Lectoris munus est legere in nocturnis officijs, ea quæ è veteri testamento proponuntur. Inde ei ab Episcopo liber offertur hac verborum formulâ; quæ ad plures cum fuerint, ita dirigitur.

*Accipite, & estote uerbi Dei relatores, habituri si*  
*M 2 fideliter*

92 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
*fideliter, & vtiliter impleueritis officium vestrum,  
partem cum ijs, qui verbum Dei benè administraue-  
runt ab initio.*

Exorcistæ ( qui latina voce adiurans, increpans  
dicitur ) incumbit manus super Energumenos im-  
ponere, exorcismos Ecclesiæ legere, & dæmones è  
corporibus, velut ex alienis hospitijis expellere. Ideò-  
que è manu Episcopi librum accipit exorcismo-  
rum adiectis ad eum, cæterosque hisce verbis.

*Accipite, & commendate memoriæ, & habete  
potestatem imponendi manus super Energumenos, siue  
baptisatos, siue Catechumenos.*

Acolyto ( qui latinè ceroferariis, siue accensor  
luminum dicitur ) hæc imposita cura, vt luminaria  
ad sacrificium præparet, & teneat: maximè vero  
cum prælegitur Euangelium: insuper, & vrceolos  
cum aqua, & vino Subdiacono tradat; quod vt se-  
dulò faciat, ab Episcopo vnà cum alijs hæc audit.

*Accipite ceroferarium cum cereo, & sciatis vos  
ad accedenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomi-  
ne Domini.*

Subdiaconi pius in Ecclesia labor est, oblationes  
in templo Domini à fidelibus factas suscipere, cali-  
cem, & patenam ad altare Dei deferre, ideòque cali-  
cem vacuum, patenamque de manu Episcopi acci-  
piens audit illud, audiunt & alij.

*Videte cuius ministerium vobis traditur, ideo  
vos*

*vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis. Vbi hæc excepit ore Pontificis, tum sacrum ab eodem accipit amictum hac verborum lege.*

*Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Tum deinde manipulus in brachium sinistrum immittitur, animoque, ac fideli memoriæ committitur monitum illud.

*Accipe manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum.*

Induitur deinde tunica; illudque haurit auribus. *Tunica munditatis, & indumento letitiæ induat te Dominus.*

Denique accipit librum Epistolarum, & dum vna cum alijs manu tangit; hæc audit.

*Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei, tam pro viuis, quam pro defunctis.*

Accessit enim ad officium <sup>Sub</sup> Diaconi Epistolæ lectio, quæ tamen ab eo in primitiua Ecclesia non fuit vsurpata: sed tum demum cum Diacono Evangelij lectio est præscripta.

Diaconi ( qui hebraicè Leuitæ; latinè ministri, siue assumpti, siue offerentes appellantur ) debent ex muneris sibi impositi dignitate; assistere Sacerdoti, sacra altaris mysteria peragenti; imo & Evangelium

94 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
gelium populo prælegere. Hinc & illi excipiunt ab  
Episcopo hæc verba.

*Accipite potestatem legendi Euangelium in Eccle-  
sia Dei, tam pro viuis, quam pro defunctis. In nomi-  
ne Domini*

Sacerdotis denique ( qui & Presbyteri, id est se-  
nioris nomen accepit ) officium est, immortali  
Deo, ineffabile, sacrosanctum diuinumque sacrifi-  
cium offerre, & sacras inter aras corpus, & sangui-  
nem Christi consecrare, qui ad id muneris, & di-  
gnitatis hac ab Episcopo forma initiari solet.

*Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, mis-  
samque celebrare, tam pro viuis, quam pro defunctis  
in nomine Domini.*

Et hæc de numero ordinum dicta sunt ex eorum  
officijs: subdamus quæ ex alio capite rationes oc-  
currunt.

§. 3

*Rationes aliæ deductæ ex mysterijs  
numeri septenarij.*

**E**Rit fortasse nonnemo, qui hunc numerum  
ordinum referri volet ad ea mysteria quæ in  
se complectitur numerus septenarius. Ea fusè, &  
operosè deducit Philo Iudæus libro de mundi opi-  
ficio. Ex illo pauca petemus.

PRIMA

## PRIMA RATIO.

*Septenarius numerus est Sacer.*

**P**rimum, quod ad huius numeri lucem, gratiamque facit, est quod Antiquis sanctus sit appellatus, quod eius usus etiam in sacris frequens, eo quippe superi, Deusque visus est delectari.

Vbi magnus ille multarum gentium Parens Abraham fœdus iniire voluit cum Abimelecho: *statuit septem agnas gregis seorsum.*

*Gen. 21.*

In pretium putei, & circumiacentis agri dederat Abraham Abimelecho opimos greges, quibus deinde addidit, & secrevit agnas septem.

Si quæras cum Abimelecho. *Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum?* audies ex Abrahamo, *ut sint mihi in testimonium*, in signum initi fœderis, & fidei datæ, acceptæque tesseram.

Et meritò in symbolum fœderis, quod sacrum, & inuiolabile esse debuit offeruntur septem agnæ, innoxia animalia, numero sacratione, ac diuino, cuius mysteria iam inde peruaserat Abraham: nec enim credibile est secreuisse septem agnas, neque pauciores, neque plures, nisi eo numero magnum fidei, fœderisque Sacramentum portendi censuisset. Habes ex eo, numerum septenarium seruiuisse firmandæ fidei; accipe, quod insuper & religioni seruiat.

Genuerat Hebræus sub immani Ægyptiorum  
seruitu-

96 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
feruitute, vbi eam diuina manu opitulante excuffit,  
in perennem accepti beneficij memoriam iuffus est  
Deo feruatori immolare *Phase*, edere paschalem  
agnum, & septem diebus azyma comedere: ita

*Exod. 12.*  
*v. 15.* enim ferebant verba legis. *Septem diebus azyma  
comedetis.* Ecce septenarius numerus, qui gratitudi-  
ni, qui religioni præscribitur: vtpote symbolum  
gratitudinis, ac religionis. Adijciamus & alterum  
quod ad institutum nostrum plurimum conducit.

Vbi Aaron, filijque initiandi fuerunt Sacerdotio,  
hæc inter cæteros ritus Moysi præcepit Deus. *Se-  
ptem diebus consecrabis manus eorum.* Sacra scilicet  
*Exod. 29.*  
*v. 35.* vnctione, qua ad diuina deliniri, & parari manus:  
nimirum iam inde Sacerdotio, altarique facer, &  
deuotus erat ille numerus septenarius: vt proinde  
mirum videri non debeat, etiam septenario ordi-  
num numero Ecclesiam delectari.

Sed abeamus à Sacerdotio; veniamus ad victi-  
mas, & illas eodem numero amauit Deus.

Fuit apud Hebræos solennis dies, & festus tu-  
barum, in quo vt alios ritus omittam, per dies se-  
ptem offerendi agni, anniculi, immaculati septem:  
adeò hoc numero gauisum numen, vt eum sibi &  
in diebus, & in victimis describendum esse censue-  
rit. Quod si voles hunc numerum ab aris ad arma  
transferri, & ipse vindex scelerum Deus transtulisse  
visus. Vt Ierichontinam ciuitatem, Israëli, Deo-  
que

que rebellem subigeret vltrix superum manus, hoc numero vt machina murali vsus; iussit enim septimo die Sacerdotes tollere septem tubas, quarum vsuserat in Iubilæo, septiesque circuire ciuitatem, & tubis clangere. Mirum dictu, visuque, immanes illæ turrium moles, ingentesque murorum minæ, ad clangorem tubarum septem concussæ, conquassatæ, dirutæ, insolentem fecere ruinam.

Sed ista hæctenus de mysterijs numeri septenarij, superest vt paucis ea ad ordines traducamus.

Quisquis ad eos admissus es cum Ecclesia Matre, cum Christo Parente, cum Authore Deo foedus pepigisti, fidem obligasti, etiam solenni voto si ad sacros ordines transiisti, tibi commissi, tibi traditi thesauri Ecclesiæ cœli clauis, diuinæ gazæ meritorum Christi, eorum dispensator es: *queritur autem inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.* I. Cor. 4. v. 2.

*Fidelis erit, inquit Theophylactus, si herilia bona sibi non vindicet, & attribuat, vt non veluti Dominus res tractet; sed veluti aliena, & herilia dispenset: non sua esse dicens, quia sunt heri; sed è diuerso quæ sua sunt, heri esse.* Theoph. in Luc. 12. v. 42.

Fidelis erit, inquit Bernardus, si necessitatis, si utilitatis proximorum rationem habeat; si ex Domini sui nutu, ac voluntate, quæ sui muneris, & ordinis sunt, faciat, non vanæ gloriolæ, ac turpis lucri gratia. Vt enim pulchrè Bernardus ad Eugenium.

N

Vbæ

Bev. 1. 3.  
de Con-  
fid.

*Vbi necessitas urget, excusabilis dispensatio est, ubi utilitas prouocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis non propria, nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Ne eius aliquando reus arguaris, fidei datæ monet vel ipse numerus septenarius ordinum, quibus initiatus es.

L. 2. de  
Sacra-  
men.  
parte 7.  
s. 6.

Monet deinde gratitudinis, ac religionis; eras ut olim Hebræus in saculo, in Ægypto, id est atra peccati feruitute, ab ea te eduxit Deus, voluitque ut comederes azyma, ederes paschalem agnum, ad eum immolandum per septem ordines euocatus: proponunt illi, censentque septem dies consecrationis tuæ, quia, ut inquit Hugo Victorinus, *septem sunt dona Spiritus Sancti, alium diem habet sapientia, alium intellectus, alium consilium, alium fortitudo, alium scientia, alium pietas, alium timor.* Ecce qui tibi, quam amœni, quam sancti, diuini que surgant dies illi septem consecrationis tuæ, qui cum aurea, sacraque luce, cœlestium donorum influentias vehunt, donaque septem Spiritus Sancti, quibus ut gratus viuas, urget & ille tuorum ordinum numerus, qui etiam te victimam habet, facitque, imò si nescis Athletam, pugilemque Christi, qui Ierichontinam ciuitatem, mundum inquam, à Deo superisque auersum edomet, atque subijciat verbo oris sui, clangore Euangelicæ prædicationis. Certè

vt

vt Athleta habearis, & sis, rogat pia Mater Ecclesia, vbi consecrationis tuæ chrisma solenni ritu benedicit. Ita enim omnipotentem alloquitur.

*Domine Deus in tuo nomine fiat hæc creatura iam chrisma, & habeatur vt chrisma, forma crucis, signum frontis, sacri titulus bellatoris, in hoc chrismate mulceatur auditus, purificetur visus, vt talibus stipendijs Christi milites decorati, atque ambrosio rore madidi, imperanti seruiant, non suadenti, & signati chrismate sancto signiferi esse mereantur cœlestes.*

Sic orat Ecclesia, sic exorat Mater, & ab illa vinctione Presbyteros suos in Athletas efformat, & in campum pulueremque gloriosos emittit. Sic quippe ore magnifico testatur Ambrosius.

*Occurrit Presbyter, vinctus es quasi Athleta Christi, quasi luctamen huius sæculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina, qui luctatur, habet quod speret, vbi certamen, ibi corona.*

*Ambros.  
l. 1. de  
Sacra. 6.*

## SECUNDA RATIO.

*Septenarius numerus à maiestate nomen habet.*

**A**lterum, quod in eo genere statui potest, est illud, quod septenarius numerus à maiestate nomen habeat, Primi nominum impositores, vt potè sapientes vocarunt hunc numerum ἀπὸ τῆς ἑβασμοῦ, ab insita maiestate, honestateque.

N 2

Majesta-

Lib. de  
Mundi  
opificio.

Majestatem ex eo petit Philo Iudæus, quod Au-  
thor naturæ Deus postquam vniuersus hic mun-  
dus perfectus est, opera, laboreque sex dierum, diei  
septimo honorem addidit: benedixit enim diei se-  
ptimo, & sanctificauit illum. Sanctum, inquit, ap-  
pellare dignatus est, vt esset festus, non vnius popu-  
li, regionisve: sed in vniuersum, omnium omni-  
no populorum ac regionum. Itaque septenarij fe-  
stiuitas sola digna est, vt dicatur popularis festiuitas,  
& mundi natalis.

Ex hoc septenarij maiestatem ostendit Philo, &  
ego ordinis nostri dignitatem ex iisdem mutuabor.  
Est enim Sacer ille ordinum ritus eiusmodi, vnde  
ducantur alta nomina, nomina plena gloriæ, deco-  
ris, amplitudinis.

V. 8. D. Iudas Apostolus in sua canonica ijs omni-  
bus, qui sacris aris assisterent, vel præficerentur, tri-  
buit *maiestatem*. Inuehitur in eos, qui Religionis  
nostræ ministros pro nihilo putarent, & ait, *maie-  
statem blasphemant*. Concedit illis insuetum quod-  
dam genus amplitudinis, suspiciendam authorita-  
tem, celsissimam dignitatis sedem, verbo vno *maie-  
statem* S. Gregorius Pontifex eorundem munus,  
gradumque nominat *gloriæ locum*.

In Pa-  
stor. par-  
te 1. c. 11.

Orat. de  
Sacerd.

In 4. d.  
25. q. 2.

B. Ephræm sacros ordines appellat *donum al-  
titudinis*.

D. Thomas *Eminentiam gradus*. Quærit An-  
gelicus

gelicus Doctor, vtrum mulier aliqua suscipere sacros ordines possit? Res ea Catholicos inter, ac hæreticos olim in disputatione posita. Apud Cathaphryges, & Priscillianos (vt testatur Epiphanius) mulieres in Episcopi, Presbyterique gradus adlegebantur: apud Catholicos, ad Ordines ijs negata via, præclusus omnis aditus, ratione magistra, natura iudice, vtenim doctè D. Thomas, cum sacrorum ordinum initiatio in quadam eminentia gradus hominem constituat, ea in fœminam cadere non potest, quæ iure ipso, & à natura subijcitur. Mulier esse quidem Regina potest, & orbis terræ imperio Augustæ nomine sceptro insignis, & corona dominari: capere ordines non potest.

Ex illo sensu de dignitate, ac maiestate ordinum Ecclesiæ, factum vt in linguæ sanctæ institutione: vox eadem Hebræa & Sacerdotes significet, & Principes.

Hic ego paucis tecum queri velim, quisquis cœlo propitio in eum gradum per ordines tibi viam fecisti: & tamen in ijs vitam agis ad vitia pronam, ac præcipitem, abiectam, & dissonam tuæ dignitati: in quo certè, non tibi tantum: sed & alijs malum creas, vt enim verè Sidonius Apollinaris. *Est hæc quedam vis malis moribus, vt innocentiam multitudinis deuenustent scelera paucorum.* Ita etfi Clericos inter, & sacris imbutos sint quamplurimi:

L. 7. in  
Conc.

102 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
non solum à gradu: sed à virtute sublimes, ac præ-  
celsi, eorum tamen lux, & splendor omnis offusca-  
tur, imo obruitur aliorum tenebris, & maligna sce-  
lerum nocte, in quam vertuntur illæ querelæ Ie-  
remiæ Vatis, *Dispersi sunt lapides sanctuarij in capi-*  
*te omnium platearum:* vel vt Chaldæus habet: *Effuse*  
*sunt margarite sanctæ.* Quæ sint, illæ inter Theo-  
logos sua disceptatio.

*Thren. 4.*  
*v. 1.*

Hebræi, & Rabbini suo in Regem amori ni-  
mium indulgentes, credunt fuisse guttas sanguinis  
è vulnere Iosifæ Regis defluentes, quas pro sua in Re-  
gem obseruantia, religiosè in templo custodiuit Ie-  
remias, & babylonici hostes contumeliosè dissi-  
parunt.

D. Hieronymus interpretatur de lapidibus præ-  
tiosis, qui in Sacerdotali veste collucebant, & quos  
profana manus attigit, euulsit, & barbarico fu-  
rore disseminauit.

Opportunius glossa per lapides sanctuarij intel-  
ligi vult Sacerdotes. Hi enim (vt inquit D. Grego-  
rius.) *In platearum sunt capite ex honore sanctitatis:*  
at vbi eam per scelera posuerint, desinunt esse *lapi-*  
*des sanctuarij, margarite sanctæ,* fiuntque rudes, &  
impoliti lapides platearum, in quarum capitibus  
abijciuntur, & conculcantur: atque vtinam ita con-  
culcarentur, vt sibi tantum exitio essent, non etiam  
alijs offendiculo. Sed ingens est illud malum, ij qui  
Cælo

Cœlo iudice positi sunt in capitibus platearum, vt docerent, quæ angusta via, quæ virtutum, quæ cœli femita: ostendunt exemplo suo, quæ via lata, quæ ducit ad perditionem. Audi D. Bernardum huic malo, (vt alias solet) piè ingemiscentē: audi inquam, & in viam meliorem redi, si fortè ab ea declinasti.

*Lapides, inquit, sanctuarij, id est Sacerdotes sunt in capitibus, id est in introitu lateram viarum, docent enim populos per praua exempla, ingredi vias latas quæ ducunt ad mortem, & demergunt in profundum inferni. Quod quam alienum sit à tuo instituto, quam dissentaneum ordini tuo, videris ipse, qui coronam in capite gestas indicem regix, sacræque maiestatis.*

## TERTIA RATIO.

*Septenarius numerus virgo.*

**A**liud est, in quo septenarium numerum præ cæteris commendat Philo, hoc nimirum quod solus inter numeros virgo sit. L. 1. leg. allegor.

Probat è duplici capite. Primò quod septenarius numerus nec vllum numerorum ex se gignat, nec vicissim ab aliquo eorum gignatur.

Secundo quia die septimo nec quicquam gignere, nec gigni natura dedit.

Eam ob causam Pythagorici numerum hunc assimilabant Virgini sine matre natæ; quia illa nec partu edita est, nec vnquam pariet. Ea fuit bellona, siue

104 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
siue Pallas, quam è Iouis cerebro exortam Poëtæ  
veteres fabulantur.

Et hoc ordinibus sacris conuenit quam optimè,  
varias ob causas, è quibus prima duci potest ex eo,  
quod ordines illi hominem disponant ad Sacerdo-  
tium, cui omnium gentium, omnium sæculorum  
calculo germana castitas. Appello vel ipsam Eth-  
nicorum fidem. Vesta nonnisi Virginibus sua sacra  
committebat. Apollo sicut à suo limine profanos  
arcebat, & impuros: ita ad sua oracula nonnisi Si-  
byllas castitatis exinias cultrices admittebat.

Iouis Sacerdotes in Creta castam duxere vitam,  
vt testatur Euripides; hinc illud Ouidij

1. Fast.

*Castus Iouis æde Sacerdos.*

Cybeles Deorum mater nonnisi euiratos Sacer-  
dotes suis sacris adlegebat, vt si minus virtute, at sal-  
tem necessitate adacti sese continerent. Idem ferè  
de cæteris Ethnicis esto iudicium, quibus id in pri-  
mis fuit persuasum castos esse debere mystas, vel  
hoc vno nomine, quod sacrificijs assisterent: quo  
in genere vt antiquum, ita mirum illud, quod re-  
fert D. Augustinus, se cum Euangelij prædicandi  
causa in Æthiopia vagaretur incidisse in populos  
Idololatras, & partus naturæ monstruosos; care-  
bant enim capite principe membro, & sede maie-  
statis, oculosque in pectus abiecerant. Horum my-  
stæ quidem coniugati, ea tamen erant continentia,

Tom. 10.  
ser. 37. ad  
Fratres in  
Eremo.

VI

vt nonnisi semel in anno vxores suas attingerent, quo die etiam sacrificio abstinebant. Horum continentiam vbi suspexit, & amauit Augustinus, tum æstu quodam orationis, & stylo concitatae mentis in Christianos inuehitur, eosque pungit. *Grandis*, inquit, *Christianorum miseria, ecce pagani Doctores fidelium facti sunt, & peccatores, & meretrices praecesserunt fideles in regno Dei.*

Eadem orationis vi, & castae eloquentiae neruo vsus Tertullianus. *Achææ*, inquit, *Iunoni Virgo sortitur. Quæ Delphis insaniunt nubere nesciunt, Viduas Africanæ Cereri assistere scimus, durissima quædam obliuio matrimonij adlectat.* Hæc vbi de eorum continentia præfatus est, tum grandi, elatoque cothurno in impuros Sacerdotes insurgit, *hæc*, inquit, *diabolus præcipit, & auditur, prouocat nimirum Dei seruos continentia suorum quasi ex æquo: ô continentiam gehennam Sacerdotum.*

L. r. ad  
Vxor. de  
mono-  
magia c.  
6.

Vibid.

Grande certè & deplorandum est malum, ingens, ferreusque stupor, castitatem suis sacrificulis diabolus præcipit, & auditur, Christus suis commendat, imò & præcipit, nec auditur; diceres continentiam gehennam esse Sacerdotum, cum solatium, & in mundi, carnisque æstu refrigerium esse debuisset.

Dicuntur olim Patriarchæ veteres, ferè ad puteos, & fontes aquarum matrimonia inuenisse, sic

O

Isaac,

*Gen.* 24. *29.* *Exod.* 2. Isaac, sic Iacob, sic Moses, iuxta puteorum latices, & puriora fontium coniugia infuere, non casu non fortuna, sed destinato diuinæ prouidentiae consilio, ne inter æstuantis concupiscentiae ignes, sed potius inter expiantes cœlestis gratiae fontes matrimonia contraxisse viderentur.

Quod illis hoc sacratoribus mystis vsu venire solet, his foelici, sacroque connubio Ecclesia, sponsa obuenit, non ad æstus, & incendia carnis; sed ad defecatos angelicæ continentiae fontes, à quibus mundi ad diuina mysteria accederent.

*C. 52.* Et hinc est altera ratio, quam affert Isaias: *mundamini*, inquebat, *qui fertis vasa Domini*. Si mundos esse voluit Isaias vel eo tantum quod ferrent vasa Domini, quam enim vero munditiam exegisset si non vasa Domini sed ipsum ferre Dominum exaudisset? Certè si vasa sacra, si augusta ciboria, si anathemata religiosa, hierothecæ venerandæ, cum animi nitorem requirunt, quanto magis, qui ijs capitur Dominus? non patitur ille impuris manibus, polluto corde circumferri.

*De Glo. Mart. c. 86.* Notum illud, quod scriptis edidit D. Gregorius Turonensis. Impurus Diaconus cum argenteam turrinam, sacram videlicet hierothecam, in qua venerandum Christi corpus continebatur, ad aram ferret, indignatus est mundi seruator flagitiosissimis illis teneri manibus. Ipsa turrinam per medium aera cuolauit,

euolauit, & diuinitus ad altare contendit; nudum & inanem relinquens Diaconum quem ante pudor, & continentia reliquerat. Quidni enim improbis illis, pollutisque manibus se eriperet Saluator optimus, qui sub sacro panis velo in amoris scenam elabatur, & ministros suos in ea velut actores exhibet.

Et hæc alia est causa, quæ pudorem illum amat, virgineamque mentem consentaneam ipsi numero ordinum, quod ijs initiati religiosi, ac diuinis operibus perpetuo occupentur: ideoque, vt dicit D. Ambrosius. *Mundiores debent esse cæteris, quia actores sunt Dei; non comici, aut tragici, nisi forte velis esse tragœdiam amoris, ac caritatis, quæ tragicam illam, & cruentam scenam aperuit in Caluarieæ theatro, & modo incruentam ostentat in sacrosancto missæ sacrificio, in quo Ecclesiæ ministri actores sunt, & geminam illius tragœdiæ imaginem exhibent, ne tam antiqui, tam noui actus memoria vnquam euanescat, sed in dies, in horas refricetur, & hominum oculis obijciatur: ijs enim solis in Christo lusit diuinus amor, & modo etiam ludit.*

Accedit, & alia ratio, quæ nitorem illum, pudicitiamque conciliat, quod sacri mystæ Deo sint proximi; aut certè proximi esse debeant, *Incorruptio, autem, facit esse proximum Deo, proximum cælo: vt enim rectè D. Ambrosius. In cælo patria est castitatis,*

108 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM.  
*castitatis, hic aduena, ibi incola est.* Cui consonat ore  
aureo Chrysoftomus, qui Virgines ducit in com-  
munionem Angelorum; *Semper, inquit, est Ange-  
lis cognata virginitas, in carne præter carnem uiue-  
re, non terrena vita est, sed cœlestis, & si vultis scire,  
angelicam gloriam acquirere, maius est quam habere:  
esse Angelum felicitatis est, Virginem esse, virtutis.  
Virginitas enim hoc obtinet ex viribus, quod habet  
Angelus ex natura.* Sed de his fuus adhuc erit di-  
cendi locus.

## CAPVT VI.

*De Vestibus sacris, quibus induuntur Ordini-  
bus initiati, & quid ea portendant?*

**P**riusquam agam de diuinis officijs, quibus  
Ecclesiæ ministri mancipantur, præmittam  
nonnulla de vestibus sacris, sine quibus ad aram  
prodire est nefas. Et hoc quidem eo consilio, vt in-  
telligas dum ijs tegitur, & ornatur corpus, etiam  
animum virtutibus tegi, atque ornari oportere.  
Sunt enim eæ vestes, aperta virtutum symbola, ad  
quæ reuocari potest illud Prophetæ regij. *Sacerdo-  
tes tui induant iustitiam, & sancti tui exultent.* Imo  
si voles etiam sunt arma, quibus probè tectus, in  
campum erumpat Athleta Christi: & in Ecclesiæ  
hostes depugnet acriter, vincatque foeliciter.

De

De hac pugna, amorumque genere loquitur Apostolus, dum hæc ad Corinthios, posterasque ætates emittit. *Induite vos amaturam Dei. Quæ sit* 2. Cor. 10. illa deducam ex Apostolo, & ad sacras vestes transferam; si tamen prius pauca præmisero de vestibus ministrorum, & Sacerdotum antiquæ legis, vt ex ijs liquido appareat perperam hæreticos nostri tēporis damnare Romanam Ecclesiam, quod sacris vestibus vtatur, quibus abutuntur impij, vt varijs in locis non sine stomacho, & iusto doloris sensu vidimus.

## PARS PRIMA.

*De Veste Leuitarum, & Sacerdotum  
Antiquæ Legis.*

**H**Æc olim Moyfi Deus dedit in mandatis, Exod. 28. v. 2. *facies vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem.* Dicitur ea vestis sancta, tum quia oleo consecranda; tum quia dicata diuino cultui, tum denique quia non nisi à sanctis, id est Sacerdotibus vsurpanda. Subijcitur deinde, quod ad decus facit illius ordinis, sit illi vestis *in gloriam, & decorem*, qua ministrantium Domino, qua sacrorum munerum. Et quia vestis erat alia, atque alia, subdemus nonnulla, quæ & opportunam Antiquitatis memoriam renouent, & nouitatis arguant huius æui hæreticos, qui sua templa & aras, vt haras amant, & squallidum, ac sordidum ministrorum suorum pallium.

## §. PRIMVS.

*Quid superhumeralis siue Ephod?*

**D**Iuina prouidentia, quæ amat vnicè decorem domus suæ, sacro Moylis calamo, accuratoque penicillo describit, ac depingit, quæ Aaroni, quæ posteris successoribus velit esse indumenta.

Primum est illud, quod latina voce, *superhumeralis*, hebraica *Ephod*, appellatur, de quo magna inter Authores lis est ac contentio; ex eo orta, quod

*Gen. 46. ex vet. Test.* vt ait D. Augustinus: *Ephod unum quidem nomen est, sed non unam rem significat.*

Alijs enim: *Ephod* dicebatur armariolum quo Sacerdotes ad interrogandum Deum utebantur:

*Ep. 130. ad Marcellam.* alijs thuribulum, quod & D. Hieronymo placuit: alijs denique simulacrum, ita Gedeon creditur ædificasse, & erexisse *Ephod* ex auro puro, quod & idolatriæ occasionem dedit, & Israël in ruinam traxit.

*Judic. 8. v. 27.* Hæc de vna voce disceptatio, pugnaque ex eo nasci potuit, quod hebræa lingua vt fecunda fit, ita multas habeat radices, è quibus dum ducitur, vna eademque vocula, in varias, pugnantisque trahitur significationes, quas accuratius excutere non est huius loci, mei que instituti, sit interpretum iste labor, curaque; ego in præsentia, & sentiam, & loquar cum communi Doctorum opinione, dicamque *Ephod* esse vestimenti genus, quod *superindumentum*

*superindumentum*

mentum seu *ἐπιώμια*, *superhumeralē* seu *ἐπιὲς ὀμων*, hoc est *superius pallium* vocari potest. Erat porro aliud, atque aliud: minoribus Sacerdotibus ac Leuitis, imo, & Laicis si quando admitterentur ad sacra: erat Ephod linea vestis. Ita *Samuel ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus Ephod lineo.* 1. Reg. 2. v. 18.

Ita David posita purpura, sceproque exultabundus saltabat coram arca Domini, & ipse *accinctus Ephod lineo.* At verò Pontificale, cui sacra quædam maiestas insidebat, aliud omnino, & mirum quantum excellentius visebatur Ephod: de quo hoc scripturæ pronunciatum. *Facient superhumeralē de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere polymito, opere textili,* Exod. 28. v. 6. cui gratiam conciliabat amœna quædam colorum varietas, ex hyacintho, cocco, purpuraque petita, ad quam accedebat auri pretium fulgorque: cui etiam lucem addebant, nitoremque duo Oceani sidera, duo terræ oculi, duæ gemmæ, seu lapides onychini, in quibus insculpta nomina filiorum Israël legebatur.

Erat Ephod Ordini Pontificio in decus, & gloriam, Israël, ut scriptura loquitur, in *memoriale Aaroni ob recordationem.* Ut enim disertè Venerabilis Beda, diuino consilio, suauique Numinis providentia factum, ut summus Sacerdos, nomina duodecim Patriarcharum humeris ascripta circumgestaret quatuor potissimum ob causas. V. 12. L. 3. de Tabern. c. 4.

Vt

Vna, vt quoties incurrerent in oculos ea heroum, Patrumque nomina, toties animo recurreret grata, & formandis moribus opportuna, fidei, magnarumque virtutum, quibus illi, in omni vita enituerant, memoria.

Altera, vt duodecim tribuum Israëlis, quarum hi authores, ac progenitores extiterant, in sacrificijs meminissent.

Tertia, vt ipse populus, qui suorum Parentum nomina Sacerdotis humeris incisa vsurparet oculis, moneretur iisdem insiftendum esse vestigijs, quæ heroes illi magni pridem triuerant, viamque fecerant ad eximiam quandam in Præsules obseruantiam, in superos pietatem, in Deum opt. max. religionem.

Denique, vt vel ex eo nosset Præsul sibi subiectas animas, earumque onera humeris valentibus esse deportanda. Et hæc ab insculptis illis nominibus ducuntur morum documenta.

Alia à candore, niueque qua præstabat in minoribus sacrorum ministris.

Primum enim lineum illud Ephod, symbolum, & indicium pœnitentis animi; vt enim vestis linea affusa aqua à sordibus eluitur: ita mens peccati lutum, ac maculas multo lacrymarum imbri, gemituque oculorum fonte expurgat, ita de illo censuit, ita locutus est D. Hieronymus.

*Quod*

*Quod Ephod illud lineum, atque candidum figuravit, ostendit candidum effici posse, qui per poenitentiam nomen Domini inuocans nigredinem peccati diluerit.* In Ps. 98.

Alterum quod à lino virtutis probandæ sumitur argumentum, est candor animi, sincera quædam ingenuitas, & insignis morum castimonia, de qua Venerabilis Beda. *Accinguntur, inquit, Sacerdotes tunicis lineis, ut castitatem habeant, non sericis, non laneis, quæ ex animali mortuo sunt; ne scilicet castitas aliquid mortuum sapiat.* Lib. 3. de Taber. c. 8.

Denique linea tunica indicium fuit longæ patientiæ, quia vt linum innumera sui ipsius patitur detrimenta, vt candorem illum induat, fecatur enim, maceratur, flagellatur, tunditur, diffringitur, peccitur, torquetur: sic animus, vt candorem illum niuæ, castæque mentis assequatur, labore multo teri debet, & atteri: sed hoc calamo notasse suffecerit, veniamus ad rationale, quod oracula explicabat, & longam futurorum præfagitionem, cuius modum, ac rationem inquiremus.

## § 2.

*Quid esset Rationale?*

**H**Æc est altera vestis Pontificis, & sacratissima pars ipsius *Ephod*, id est superhumeralis, omniumque vestium Sacerdotalium.

P

Audijs

Audijt ab hebræis *chosfen*, à græcis λόγιον, à latinis rationale, quod quasi mentis, ac rationis particeps, responsa atque oracula redderet, figuræ fuit quadrangularis constans tela duplici, vt quatuor ordines gemmarum admittere posset, ac sustinere: vel vt opinatur Rabbi Salomon apud Abulensem: vt inter illos duplicatæ telæ sinus immitteretur nomen Domini tetragrammaton in aurea lamina artificiosè elaboratum: censet enim Rabbinus ille, summum Sacerdotem non tantum in fronte (quæ magnæ mentis est ianua) appensum gestasse ineffabile Dei nomen: verum etiam in pectore, in corde, amoris sede, atque officina: sit illi sua opinio, quam nec omnino probo, nec etiam improbo; in re obscura suus quandoque Rabbinicis inuentis dari potest locus, modo ad vanas, & inanes obseruatiunculas non deflectant, interim elabor ad ea, quæ rationali vel appensa, vel inscripta:

Exod. c. 28. in

Appensi videbantur *quatuor ordines lapidum.*

v. 17. *In primo versu erat lapis sardius, topazius, & smaragdus.*

v. 18. *In secundo carbunculus, sapphirus, & iaspis. In tertio ligurius, achates, & amethystus.*

v. 19. *In quarto chrysolitus, onychinus, & berillus inclusi auro per ordines suos.*

Hæc scriptura teste, Deo iudice & arbitro, quem vtinam audiant Caluini, Lutherique asseclæ: qui cum

cum sint Epicuri de grege porci, aras non amant, sed haras, & incultum templorum, ac Sacerdotum squallorem, & situm: nec ferunt sine nausea, & stomacho auream illam Ecclesiæ Romanæ in sacra supellectile maiestatem: saltem eam legant in mystis antiquæ legis, & ex ea aliquid dignitatis, ac splendoris ad nouam gratiæ legem accedere potuisse fateantur: sed descendo ad ea quæ gemmis illis inscripta. Erant illa *nomina filiorum Israël, quæ* v. 27. *portabat Aaron in rationali iudicij super pectus suum, quando ingrediebatur sanctuarium memoriale* v. 29. *coram Domino in æternum.*

Et hæc scripturæ verbis, ac fide; è qua nascitur Quæstio, an gemmis illis duodecim inscripta fuerint nuda nomina filiorum Israël, an verò gentilitia eorum signa, ac stemmata?

D. Hieronymus credit tam in duobus onychinis, quam in 12. gemmis rationalis, incisas non ipsorum nominum litteras, sed notas quasdam, & signa hieroglyphica, Ægyptio more: ea vulgo arma, insignia, & stemmata gentilitia vocitamus: quæ sententia si vera est. Tribus Iuda cum suis exhibebat speciem Leonis.

Dan cum socijs tribubus effigiem volantis Aquilæ. Ephraim bouis, Ruben hominis.

Malunt alij fuisse pura, puta nomina singularum tribuum, quod certè cum ipsis scripturæ verbis

116 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
magis consentire videtur; vt vt sit hic non disputo,  
neque enim interpretem ago; sed ex ijs scriptu-  
ræ flosculis aliquid ad mores delibo, & ex illis con-  
ficio summum Sacerdotem, bonum Præsulem  
ac Pastorem hac vna nominum serie admoneri, vt  
animarum sibi commissarum nomina circumge-  
stet, non humeris tantum eorum oneribus veluti  
succollando: verum etiam in corde, hoc est in a-  
moribus, in sedula memoria circumferendo.

§. 3.

*Quid Vrim & Tummim Doctrina & Veritas in  
Rationali, & quæ ab illis futurorum  
præsagitio?*

**D**Octrina & veritas inscripta Rationali, ex-  
primitur duabus vocibus hebræis *Vrim*, &  
*Tummim*, de quibus tanta inter Theologos, ac In-  
terpretes est controuersia, vt mirum sit in duabus  
vocalis adeò luisse hominum ingenia; dubia sem-  
per, nutantia, & incerta quo calculum iacerent.

Rabbi Abraham ex suo sensu, ac iudicio, statuit  
fuisse duas laminas, auream vnam, quæ indicium  
esset diuini amoris, argenteam alteram, quæ signum  
puritatis, ac castimonie, quam in suis Mystis a-  
mant, voluntque superi.

Rabbi Salomon fuisse nomen tetragrammaton  
quod & in corde suo ferre debuit summus Sacer-  
dos,

dos, & cura, studioque pastorali in aliorum corda, animosque inferre.

Rabbi ben-esra sphaeram coelestem amavit, eamque summo Sacerdoti in rationali appensam voluit, eo superum consilio, vt ad coelestia erigeret sese, & omnes animi motus, ad caeli, diuorumque motus, ac nutus componeret.

Arias Montanus, & Procopius volunt fuisse duas *In Dent.*  
gemmas eximij cuiusdam nitoris; non ex ijs, quas <sup>33.</sup>  
in littus euoluunt maria, quasve parit terrae sinus:  
sed à diuina manu singulari quodam beneficio in  
sacros vsus productas, & Moyfi in manus datas, vt  
suo splendore, luceque claritatem, & veritatem re-  
ferre viderentur.

Cui sententiae affinis est ea quae Anastasio Nice- *Gen. 38.*  
no tribuitur, & *Vrim*, ac *Tummim* habet pro Ada- *in Script.*  
mate miri nitoris, & elegantiae: cuius eximia vis erat  
ad effectus futuros populo demonstrandos. Si enim  
summo Sacerdoti sancta sanctorum subeunti; ni-  
gresceret ille lapis, lucemque contraheret, arguebat  
a peccato pollutum fuisse populum: sin autem è  
contra albesceret vt nix, ostentabat, quae in populo  
mundities, quis candor esset animorum. Quod si  
sanguineo colore tingi videretur, portendebat ira-  
to caelo fulmina, caedes, & strages Israël: & secus,  
si insolito splendore emicaret, omen erat propitio  
Numine magnum aliquod, & singulare benefi-

118 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
cium esse conferendum: Ita Zachariæ dicitur fū-  
pra modum illuxisse, vt portenderet imminere orbi  
Baptistam aliquem, lucernam agni, & auroram, in-  
dicem solis, hoc est diuini verbi orientis.

Oleaster, Lyranus, Abulensis autumant *Vrim*, &  
*Tummim* fuisse illas ipsas duodecim gemmas ra-  
tionali insertas; quæ si nitescerent, ostendebant po-  
pulo placatum, & propitium fore Numen, seu in  
castris hæreret ad sarcinas, seu arma in hostem fer-  
ret; sin autem obscurarentur illæ, & aliquam sui lu-  
minis defectionem paterentur, iam inde portende-  
bant aliquid sinistri Israëlitis capitibus impendere.

Et hoc cælo iudice miraculum, cui aliud addunt  
hebræi litteras, ac characteres his lapidibus inscri-  
ptos prominuisse, & insigni prodigio ita coire, ita  
inter se commisceri solitos, vt in ijs responsa lege-  
res, ad ea, quæ Sacerdos diuina oracula inuestigans,  
à Deo petijisset.

Ita Dauidi euenisse credunt, cum Ephod appli-  
cari voluit, Numenque consuli, deberetne in vnam  
2. Reg. 2. è Ciuitatibus Iuda ascendere, necne? eo enim lo-  
ci, ac temporis credunt respondisse Dominum: *ale*,  
hoc est, ascende, quam voculam indicem oraculi,  
restem diuinæ voluntatis censent efformatam è tri-  
bus litteris, quæ illicò ex Ephod, è gemmis emine-  
re, ac quodammodo prodire visæ sunt. Vna fuit *Ain*  
ex nomine *Simeon*, Altera *Lamed* ex nomine *Leui*,  
tertia

tertia *He* ex nomine *Iebuda* : quod si verum est ;  
infigne profectò miraculum fuit , sin minus, in-  
geniosum est Rabbinorum commentum.

Cui non absimile est illud Hugonis , qui con-  
tendit fuisse characteres rationali inscriptos , quos  
cum Pontifex commiscuisset , in ijs legebat expressa  
responfa eorum , quæ à cœlo exigebantur , de quo  
lectorem iudicem , & arbitrum facio.

Cyrillus in collectaneis procul abit ab illa gem- c. 24.  
marum gratia , cœlestiumque prodigiorum benefi-  
cio , docetque *Vrim* , & *Tummim* , doctrinam , & ve-  
ritatem Sacerdotis pectori non fuisse inscripta , sed  
magis animo : putat enim ea fuisse cognitionem  
spiritualem diuinamque lumina , quæ Sacerdotis men-  
tem & vim intelligendi mirum quantum acue-  
bant , cum pectori suo *rationale* appenderet , dices  
illi diuinitus insitam esse vim animo affundendi  
cœlestem lucem , & altiores humanis viribus cogi-  
tationes , quæ etiam in longè posita , in futuros euen-  
tus excurrerent.

In hac sententiarum pugna , & obscura antiqui-  
tatis nocte , quæ arcana illa tegit , ac velat , tutius est  
sequi , quod magis obuium , nec remotum à com-  
muni sensu , scripturæque fide , atque autoritate.

Erit illud , si dixerimus *Vrim* , & *Tummim* , fuisse  
ex vero duas illas voculas , *doctrinam* , & *veritatem*  
Rationali , diuino iussu inscriptas. Hanc interpre-  
tationem

120 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
tationem amant vt germanam, & planam ipsa  
scripturæ verba, nec aliam facile patiuntur: ita e-  
nim ferunt. *Pones in rationali iudicij doctrinam, &*  
*veritatem.*

His ornari, nitereque debuit Sacerdotis mortale  
pectus, & magis ipse immortalis animus, vt ex il-  
lis sua illi ordini dignitas accederet, maiestasque, vbi  
populo innotuisset eam esse diuinæ prouidentia  
rationem, eas cœli leges, & pacta, vt sacro Ponti-  
fici inesset doctrina, quæ incultę plebis dubia solue-  
ret, dissiparet ignorantia nebulas, & veritatis luci,  
soli que redderet: vtpote delecta à Deo sedes do-  
ctrinæ, ac veritatis ad effundenda diuiniora cœli  
oracula. Ex quibus omnibus conficies illud *Vrim*,  
& *Tummim* non fuisse oraculum, sed indicium ora-  
culi, & acceptæ à Deo potestatis.

Ea quippe summum Pontificem decebat quam  
optimè.

L. 14. c. 54. Aliano teste apud Ægyptios summus Sacerdos,  
qui & populi Iudex, appensam è collo gestabat  
imaginem sapphiri, in qua legebatur hæc Epigra-  
phe: *Veritas*. Est sapphirus carulei, cœlestisque co-  
loris, eo que opportuna tabula, sedesque veritatis, quæ  
è cœlo, è Deo est, imo etiã ipse Deus, qui & veritas.

Et Pontifex alter veluti in terris Deus, Dei certè  
Vicarius, ideòque doctrinæ, & veritatis expressa  
quædam imago esse debet.

Visebatur

Visebatur apud Ethnicos fidij simulacrum, in quo honor viri forma expressus, veritati, quæ virginis specie fingebatur manum porrigebat: his mediis intererat amor, generis humani corculum, ac delitiæ.

Ingenioso sanè inuento, quod tacitè monet veritati honorem, & amorem deberi, vel si mauis, fidem (qua nihil in terris vtilius) niti veritate, honore, amore; ex quibus fluxit vulgata illa paræmia. *Hominum fidem* (adde si lubet & Diuorum, ac Dei) *veritas parit, honor sustinet, amor nutrit.* Et hæc omnia Sacerdotis ordinem mirum quantum commendant, in quo, vna cum veritate, quæ etiam, teste Pythagora, *homines Deo proximos facit,* & fides & honor, & amor sedem adlegere: amor inquam, non tantum Dei, sed & proximi cum insigni quodam animarum zelo; quem etiam indicat; vox *Vrim*, quæ non tantum illuminationem significat, sed & inflammationem, ac zelum, qui populos sibi subiectos ad Dei legem, & amorem accendat.

*Vrim* enim hebraicè & lucem, & ignem significat, indeque dicitur Abraham eductus de *Vr*, hoc est de igne Chaldæorum.

Et is debet esse Sacerdos, educere debet commissum sibi gregem de *Vr*, de igne Chaldæorum, de flamma vitiorum, de æstu libidinis, de communi vanitatis incendio, quod vt faciat, sit oportet lucerna

Q

ardens

122 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
ardens & lucens, qualis olim fuit Ioannes, de quo  
scriptura. *Erat lucerna ardens & lucens*, quæ verba  
suo more dum pie expendit Bernardus: *benè ait lu-*  
*cerna ardens & lucens, est enim tantum lucere va-*  
*num: tantum ardere parum: ardere, atque lucere*  
*perfectum est. Quod vt apertius explicet, æqua iu-*  
*dicij lance perpendit eam verborum seriem lucer-*  
*na ardens, & lucens: non ait lucens, & ardens, quia*  
*Ioannis ex feruore splendor, non feruor prodijt ex*  
*splendore; sunt enim qui non eò lucent, quia feruent,*  
*sed magis feruent vt luceant; at isti planè non fer-*  
*uent charitatis spiritu, sed spiritu vanitatis; quem*  
*procul abesse vult à summis Ecclesiæ Præsulibus:*  
*quia vt magnificè scribit ad Eugenium Pont. Max.*  
*Monstruosa res est gradus summus, & animus infi-*  
*mus; sedes prima, & vita ima; lingua magniloqua,*  
*& manus otiosa; sermo multus, & fructus nullus.*

In eum  
Locum.

L. 2. de  
Confid.

§. 4.

*Quid tunica hyacinthina, mala punica  
cum tintinnabulis?*

**T**ertia vestis, quæ ad sacrum Pontificis orna-  
tum accedebat, erat tunica hyacinthina, ad  
cuius fimbrias pendebant mala punica cum tintin-  
nabulis. Singulis sua voluit inesse mysteria, quæ  
humanis in symbolis ludit diuina prouidentia. Et  
quidem à tunica hyacinthina, quæ violaceo, cœle-  
stique

stique colore est imbuta: monendum esse censuit summum Sacerdotem debere illi inesse animos terra, omniq̄ rerum mortalium colluue superiores, ac planè cœlestes.

Mala punica, quæ vno sub cortice claudebant multa grana, fidei vnitatem, vel si mauis variam virtutum exundantiam vno charitatis velo, ac munimine probè tectam, designabant: tintinnabula, sacro, solemnique tinnitu dum astantium aures feriunt, etiam animos pulsant, & ad singularem quandam æterni Numinis reuerentiam componunt: vnaque etiam Pontificem monent, quod totus debeat esse vocalis.

*Tanta, inquit D. Hieronymus, debet esse scientia, & eruditio Pontificis Dei, ut & gressus eius, & motus, & vniuersa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet, & ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum: absque tintinnabulis enim, & diuersis coloribus, & gemmis, floribusque virtutum, nec sancta ingredi potest, nec nomen Antistitis possidere.*

Pro ea, qua est ingenitæ mentis solertia ex hoc sacratiore ritu duo conficit magnus Ecclesiæ Doctor: vocalem esse debere Antistitem, non lingua tantum, sed & operibus, exemploque vitæ sanctioris: quia, ut ait S. Isidorus: *Doctrina operum umbra:* L. 3. Ep. 359.  
 quantum enim interest corpus inter, & eius um-  
 Q 2 bram,

bram, tantum <sup>doctrinam</sup> ~~vim~~ ~~bram~~ inter, & opera necesse est interesse. Est vmbra simulacrum inane corporis, illudque quaquauerfum sequitur: eo crescente crescit, deficiente deficit, ita doctrina, si accesserint opera altior est, ac potentior, futilis, & omnis boni vacua si illa decesserint.

Testes huius propositionis habeo heroes magnos, sanctos Antistites, quorum hæc pronuntiata, hæc è pulpito, cathedraque veritatis oracula.

Diuus Augustinus, cuius eloquentiam, & dicendi vim agnouit, ac suspexit Antiquitas: ita pronuntiat. *Vt obedienter audiatur cōcionator, quantacumque graditate dictionis maius pondus habet vitæ dicentis.*

L. 4. de  
Doctri.  
Christ. c.  
27.

Hom. 3.  
in 1. ad  
Cor.

Cum Augustino consentit, & aurea fandi copia conspirat Chrysostomus, cuius ea vox de bonis operibus, & purioris vitæ exemplis. *Hæc est ratiocinatio, cui contradici non potest, quæ fit per facta: de ea quæ per verba effunditur sua semper restat lis, ac contentio: si non omnes, at quamplurimi reclamant.*

Libello  
de dupl.  
Martyr.

Factis ne vnus omnium reclamat: quia vt discretè D. Cyprianus. *Efficacius vitæ, quam linguae testimonium est: habent opera linguam suam, habent facundiam suam etiam tacente lingua.* Et hæc de bono exemplo mihi iniecit sonora illa, & loquax tintinnabulorum series, quæ oram sacræ vestis ad lambebat; ab illa ascendo ad sacram summi Sacerdotis tiam, de qua etiam quæstionem instituo.

§. 5.

*Quid tiara, & quæ eius inscriptio?*

**P**riusquam euadam ad ineffabile Dei nomen tiaræ Pontificis inscriptum : præmittam pauca de varijs Dei nominibus apud Hebræos vsurpari solitis ; tum ad ipsius nominis etymon elabar.

D. Hieronymus, cuius ætas omnis addita bonis artibus, studijsque trita, extrema demum senectus hebraicis disciplinis concessa ; epistola ad Marcellam ingeniosè eruit, scribitque decem omnino Dei nomina.

Primum est *el*, quod Aquila interprete ac magistro, fortem significat.

Secundum est *eloha*, quod Deum vniuerso, Parentis in morem, prouidentem, Regis in modum, normamque gubernantem, & ad Iudicis rationes, calculosque iudicantem, ostentat.

Tertium est *elohim*, quod est plurale nominis *eloha*.

Quartum est *sabaoth*, hoc est exercituum, & copiarum scilicet Deus, ac Dominus, vt enim in illis sese effert, & iactat Regum, Cæsarumque potentia, quæ Regna, & Prouincias, armis fatigat, armataque hominum manu terras, ac maria tegit, atque obruit : ita se his omnibus superiorem ostendit Deus, qui ex verò ita copiarum dux est, ita exerci-

Q 3

tuum

126 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
tuum Dominus, vt ad omnem eius nutum sese in-  
clinat victoria, còque palmas vertat, quo verterit  
Deus *sabaoth*, *Deus exercituum*.

Quintum est *elion*. Hoc est excelsus: non eo-  
tantum quod in excelsis, in cœlis suum quodam-  
modo domicilium fixerit: (quo spectat antiquus  
iurandi ritus leuando manus in cœlum) verum  
quia tum natura, tum agendi vi, tum insita perfe-  
ctione, excelsissimus est: natura quidem, quia pri-  
mum, & summum ens, à quo cætera entia. Agendi  
vi, quia causa prima, à qua pendet omnis creata  
causarum secundarum series. Denique perfectione,  
quia Deus summa, & infinita perfectio.

Sextum nomen *eie aserie*, hoc est sum qui sum:  
& hoc singulare, ac proprium Dei nomen, in quo  
à creaturis discernitur, quibus pro nomine est illa  
inanis vocula. *Non sum*. Deus, inquit S. Dionysius  
C. 5. de  
diu. nom. *est euum, euorum, & rex seculorum, quia ipse est esse*  
*existentibus, & ipsum esse existentium, & existens an-*  
*te secula, de nobis dicitur. Dies mei sicut umbra de-*  
*clinauerunt, omnes tanquam aquæ dilabimur. De*  
Ps. 101. *Deo, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient,*  
*tu autem Domine in æternum permanes, & memo-*  
*riale tuum in generationem, & generationem. In*  
quem locum doctè S. Augustinus. *Æternitas, in-*  
*quit, est Dei substantia, quæ nihil habet mutabile. Ibi*  
*nihil est præteritum, quasi iam non sit. Nihil est futu-*  
rum

rum quasi nondum sit; quia non est ibi, nisi est. Quam Dei opt. max. notionem ab Hebræis hausisse videntur Ægyptij, apud quos in fronte templi hoc legebatur Dei emblemata. *Ego sum quod fuit, quod est, quodque futurum est. Velum meum nemo unquam reuelavit.*

Septimum Dei nomen est *adonaj*, id est Dominus.

Octauum *saddai*, liberale, munificum, suaue, amabile, maternum, lacteum nomen, quod nonnulli trahunt ex articulo *schin*, & *Dai*, hoc est abundantia, & cornucopiæ.

Finxerunt olim veteres elapsas è cœlo Nymphas, quas cornucopias vocabant, quod vberè cornu, flosculos suos, diuitias, voluptates, nomen, famam, honores, bona omnia in mortales oras effunderent. Figmentum est à vero alienum, ex vero illud. Deus est nobis instar cornucopiæ, eumque se dici, & haberi vult: imo si voles mollius aliquid, & amabilius. Est *saddai* hoc est mammeus: cuius etymon deducunt Hebræi à radice *scad*, id est mamma, itaque *saddai* est Deus, & totus mammeus.

Antiqui vates, quibus animus, & calamus in docta commenta facilis, ac facundus erat: naturam effingebant hoc schemate. Erat ei species, quæ Dæ esse solet, liberalis, amœna, & propè diuina: sinus apertus, & patens, è quo prominebant, & defuebant.

128 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
fluebant vndique mammæ, ad quas aduolare, liquido aethere volucres, toto Oceano adnare pisces, & continenti vniuerso adrepere, aduenire, accurrere reliquum animantium genus omne, hominesque ipsos orbe vago sparfos, prono, ac præcipiti cursu eò deferri vidisses, & stillantes vndique mammæ excipere, exfugere, epotare. Huic porro id nomen esse voluerunt *Dea Rumina*, Antiquis enim *ruma* idem est quod mamma. Huius meminit D. Augustinus de Ciuitate Dei. Dabitur illud poëticæ licentiæ, & ingenioso commento; sed hoc veritati faciliè concedetur, Deum Orbi esse quod illis natura, Deum esse iusto, quod infanti mamma.

E mamma grauida, distentoque vbere lac emanat, quo primis in annis, teneraque ætatula pascatur, & alatur infans (nec enim alio cibo capi potest, ac sustineri infantia) quæ si forte in gemitus, in lacrymas soluat, mox eas affuso lacte diluit, mergitque gemino mammæ fonte, itaque inter vbera sopitur, & silet omnis æstus, omnisque lacryma penitus exarescit. Quod illi ætatulæ propensa mater, quod vbera, quod mammæ faciunt, hoc nobis in omni vita facit Deus. Infirma est, quæcumque nobis in hoc mundo vertitur ætas, infantia est, ali debet, & foueri diuino vbere, cœlesti lacte, diuinæ inquam miserationis, quæ nobis aperto, patientique cœlo depluit. Hoc lacte diluitur, hoc fonte  
mergitur

mergitur, hoc torrente rapitur omnis mœror, edaces curæ, dolores quantumuis acuti, hæc inter vbera conquiescit animus, æstusque deponit.

Quod si ex me studiosius inquiras, quæ sint illa Dei vbera, quæ mammæ. Attende quid olim explicatis cœli valuis, viderit discipulus ille, quem diligebat Dominus.

*Fui, inquit, in Dominica die, & audiui post me* Apoc. c. 1. v. 12. 13. *vocem magnam, tanquam tubæ, dicentis: quid vides? & conuersus, ut viderem, vidi septem candelabra aurea: & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podère, & præcinctum ad mammillas zona aurea.*

Hic impenditur ingeniosus interpretum labor, desudatque industria, ut exploret, & eruat, quis ille filius hominis? quæ candelabra? quæ zona? quæ mammæ.

Candelabra septem, sunt septem Ecclesiæ, septem Episcopi, quos inter medius assurgit similis filio hominis Christus Iesus, ad cuius æmulationem factum, ut etiamnum Romanus Pontifex, isque vnus, vbi solemnî ritu, pompaque sacris operatur, circum se in altari habeat septem candelabra. Est nimirum in terris Christi Vicarius, medius inter septem candelabra, hoc est Episcopos omnes, quibus eminet, ac præsidet. Sed quæ zona? & cur aurea?

Aretas zonam esse vult symbolum diuinæ cle-  
R
mentia,

130 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
mentia, quæ iram pectore conceptam stringit, ac  
retinet.

Rupertus notam regia dignitatis.

Albertus diuinæ sapientiæ; Abbas Ioachim pie-  
tatis; Chrysostomus castitatis; Ribera charitatis, cui  
consentio, ideo enim aurea, quia aurum est nota  
diuinæ in nos charitatis. Sed ad rem propius, quæ  
tandem mamma? Viegas credit, duas à Christo  
pendere māmillas hinc misericordiæ, inde iustitiæ;  
dextra fluit, & exsugitur lac indulgentiæ, & misera-  
tionis. Sinistra funditur lac iustitiæ, & correctio-  
nis, hoc acrius est: suauius illud: & hoc, & illud in-  
fanti, id est homini salubre.

Pererius alio vertitur, & ait, duæ in Christo mam-  
millæ, sunt mens, & voluntas, illa cineta est auro  
sapientiæ, hæc charitatis, vtraque lac homini fun-  
dit, illa doctrinæ, hæc gratiæ vberioris.

Ecce quo potamur lacte, quibus pascimur vbe-  
ribus.

Magnum quiddam, & illustre sibi dixisse visus  
c. 49. 60. est Isaias, vbi in alto mentis excessu, & prophetico  
spiritu de Ecclesia cecinit. *Erunt Reges nutritij tui,  
& reginae nutrices tue: suges lac gentium, & mamilla  
Regum lactaberis*: magnum, inquam, & illustre si  
terram spectes, & ea quæ in Orbe aspectabili mira-  
mur pusilli mortales: at si coelos suspicias, si diuinæ  
caritatis æstus, si Deum ipsum qui tuo inclinat a-  
mori,

mori, nouum illud, & augustum, cœleste, diuinum  
 audies. Erunt cœlites nutritij tui, & beatæ mentes  
 nutrices tuæ, suges lac cœlorum, & mammilla Dei  
 lactaberis, quod si illa lactaris, age, illum vnice,  
 sanctè que deperi, stringe, amplectere, & illud audi,  
*si te lactauerint peccatores ne acquiescas eis.* Si mun- Prout. c.  
 dus te lactat, si putida caro, si voluptas, ne acquiescas I, v. 10.  
 ei: non sunt illæ nutrices tuæ, non est hæc mater  
 tua, sed nouerca. Deus vnus est nutritius, est mater,  
 est mammilla, illi caput, os, animum que inclina, &  
 inter illius vbera, amores, dico requiesce. Sed his  
 cœli delitijs datum est satis, ad alia Dei nomina  
 transeamus, ex ijs.

Nonum est *ia* siue abbreviatum *Ieboua*, quod  
 decimum est Deiter opt. ter max. nomen, nomen  
 tetragrammaton, nomen ineffabile; de cuius ety-  
 mologia disputant inter se Hebræi, & ex illis Theo-  
 logi nostri.

Oleaster illud deducit à radice *haua* id est conte-  
 rere, vnde *houa* contritio, & *Ieboua* contritor esset,  
 ac diceretur.

Id nomen Omnipotenti Deo conuenit quam  
 optime; vt qui Pharaõnem, & Ægyptios dura ca-  
 pita ac ceruices elatas, diuina vi, manu que contriue-  
 rit: ad quam spectat illud epinicium Mosis. *Domini* Gen. 15.  
*quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius.* v. 3.

Magis arridet alijs, probatur que hoc ipsum no-

132 SPECVLVM ECCLESIASTICOR VM,  
men deriuari à radice *haia* : quod significat, *est* : quo  
vno portèditur ipsa Dei essentia , ipsa essentiæ abyssus,  
& pelagus inexhaustum : quod erui non potest, & in lucem dari aptius quàm hac vna vocula, *est*.

L. 1. de  
caelo.

Sic Aristoteles vel ipsa duce natura , cum Dei definitionem efferret. Pronuntiauit, esse *ens*, & *existens* : quia Deus à se est , & ab illo cætera : pelagus est, principium, & fons omnis essentiæ : creata omnia veluti riuuli ab illo deducti. Ita Trismegistus de Dei nomine dum quærit , ait. *Deus vnus nomine non eget, est enim ens sine nomine*. Et hæc per transennam de varijs supremæ illius ac diuinæ maiestatis nominibus dicta velim , ad institutum meum , à quo paululum digressus sum, reuertor.

§. 6.

*Cur ineffabile Dei nomen in fronte gestaret*

*Pontifex ? quæ religio, quæ vis in eo nomine.*

Exod. 28.  
v. 36.

**I**Ta ferebant verba diuinæ legis. *Facies & laminam de auro purissimo : in qua sculpes opere calatoris, sanctum Domino.*

Exhibebat in area nobili, auri luce, ac pretio inscriptam hanc epigraphen, *sanctum Domino*. Vel vt hebræa habent, *codes Laiheua* : sculpes *sanctitas Ie-heua* quasi diceret. Insculpes laminæ hoc emblemata : *Sanctitas Domino*, quam enim potius inscriberet altissimi

tissimi Sacerdos, vel Deo, vel sibi? Est sanctitas ita Deo propria, ita illius essentiae insita, ut abesse nullo modo possit. Est Sacerdos, cœli, ac superum mythes, supremi numinis in terris minister, ei litat, & sacrificia statis temporibus exhibet, quæ ut sancta sint, oportet. Est illi augustum, cæleste, diuinum nomen pro corona, pro diademate, pro sole frontis, pro galea capitis, quæ eum tegat, ac protegat. Est in eo nomine vnde sibi apud populum gratia sit, & honos. Vnde maiestas sacra, vnde sua virtus animo, suum corpori præsidium, sua vis, & arma, vnde bonorum omnium affluentia, & miraculorum indita potestas. Hæc enim omnia breui compendio legis, quicumque hanc epigraphen vsurpas oculis.

Reuerentiam ex eo colliges, quod è Iudæis nemo vnus omnium, illud nomen effari, & eloqui auderet vnquam: quo factum, ut si cuiquam sacras paginas euoluenti occurreret illud: non exprimebat lingua, sed alta premebat mente, & in eius locum substituebat aliam Dei sui appellationem, qualis fuisset, *adonai*, aut *elohim*. Tanta fuit apud illos diuini illius nominis reuerentia, tanta religio; quam ne scrupuli alicuius, nedum superstitionis damnare audeas, audi & illud, quod non sine stupore, ac rubore excipere potest ætas nostra; quæ augustum, sacratissimum, & summè venerabile Dei sui no-

134 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
men ita prodigo, & impio ore sæpius effundit, audi  
inquam, & si potes in omnium aures, animosque  
sparge illam sanctissimi nominis reuerentiam.

Septuaginta Interpretes, quorum in exponendis  
scripturis mens Deo plena, & calamus Spiritus San-  
cti cæu scribæ velociter scribentis, ij inquam Inter-  
pretes, dum ex hebræo græcæ dictioni scripturam  
reddunt, vbi incurrit nomen illud tetragramma-  
ton, eo (quod summæ modestiæ fuit, ac veneratio-  
nis) omisso, supponunt *κύριος*, aut ei affine nomen,  
à quo non ita sibi timeat animus, calamusque vere-  
cundus, & pius.

Imo quod amare magis, ac imitari studeas, ipsi  
Apostoli primipili, primaque lumina nascentis Ec-  
clesiæ eadem religione ducti, etiam suppressere eam  
Creatoris sui appellationem, & pro ea, in posteros  
emisere aut Dominum, aut aliud illi cognatum  
nomen, quod auribus tutius, ac facilius accederet.

Ex hoc auito more, inditaque religione, primum  
manauit illud, vt è Iudæis nemo omnium nosset,  
qui pronunciarī deberet; ex quo Lucanus sui scom-  
matis occasionem sumpsit, vbi de Deo Iudæorum  
agens, dixit. *Incerti Iudæa Dei.*

Philo l. 3.  
de Vita  
Moyfis.

Alterum deinde ex eodem fonte fluxit, vt vni  
summo Sacerdoti liceret illud efferre; & hoc qui-  
dem in sacris tantum, aut solenni benedictione, aut  
cum subiret sancta sanctorum.

Aliud

Aliud quod addi potest ad boni senis, & magni Simeonis laudes, est quod ille omnium vltimus hoc nomen pronunciarit; cum & Christum seruatorem in vlnas accepit, & ora resoluit in cygneas illas voces. *Nunc dimittis seruum tuum Domine.* Ab illo tacere cæteri, dices imposita linguæ vincula, ne se explicarent in Dei nomen, quæ Dei filium non confitebantur.

Postremum quod illius religionem auget, & apud posteros commendat: est quod illi ipsi Iudei, si quando solemniter iuramento extorqueri debeat veritas, & obtestandum Dei nomen, nunquam ipsum vsurpent, sed eius duntaxat litteras hac fere formula. *Iuro per Iod he, vau, & Iod*, quæ sunt litteræ quibus componitur ineffabile, & tetragrammaton nomen: tanta eos inuasit reuerentia, tam amabilis stupor diuinorum, quem vtinam induerent ætates omnes longe consequentes.

Venio ad præsidia nominis illius, ad virtutum decora, ad gloriam miraculorum illi quodammodo adnatam.

Vbi infœlix Cain fraterno sanguine suas infecit manus, vbi tam nouum, & insolens scelus erubuit terra, seseque in pœnam parauit: *posuit Dominus Gen. 4. v. Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum.* Hic in scholas, & pulpita euadit vna questio; quod illud signum? nonnullis placet fuisse vnâ

136 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
vnam è litteris diuini nominis *Iehoua*, scilicet lit-  
teram *He*, quæ littera tutelæ fuit, ne quis eum at-  
tingeret, vbi incisum fronti cœlesti nomen, velu-  
ti tesseram, agnouisset; quæ sententia si vera est,  
etiam in seros annos fratricidæ præsidio fuit vel  
vna sacrosancti nominis litterula. Tantum in ea est  
momenti, ac ponderis etiam apud eos, quos omni-  
bus supplicijs, ipsiisque inferis profligata vita iam  
addixerat.

Quod si improbis inde quæritur à pœna liber-  
tas: probis certè ingentia quædam virtutū enascun-  
tur ornamenta. Iuuat vnius, alteriusve meminisse.

Lex naturæ vnum in paucis habuit patientem,  
imo patientiæ miraculum: Is fuit Iobus, in quo lu-  
sit diuinus amor: erat enim vir rectus, & secundum  
cor Dei. Quod ita illi patuit, vt insigni caritatis pro-  
digio & nomen illi mutarit in melius, & vnam è  
suo ineffabili nomine litteram detraxerit, quam illi  
inderet, ea fuit littera *Iod*: cum enim antea dicere-  
tur *ob*, id est Propheta, audiit postea *Iob* hoc est  
Propheta Dei. De quo nonnulli, nescio, an verè, piè  
ramen philosophantur, dum volunt ab illa diuini  
nominis litterula accessisse singularem illam pa-  
tientiam, aliaque præclara magnarum virtutum or-  
namenta.

Cui affine est & illud, quod in Abrahamo ple-  
rius commendant. Illi primo nomen Abram, id  
est

est pater excelsus, deinde Abraham, hoc est pater multarum gentium: unde inquires ea propago, ea generis longæui series, quæ Deo etiam sponse, & stellas æthere toto sparsas, & arenas ad littora fusas æquaret? si illis aurem fidemque concedas, suadebunt ab insita è diuino nomine littera *He* eam omnem fertilitatem emanasse; sed ista liberius fortassis iactantur, quam verius: sit penes illos fides, & dictorum autoritas, ijs ego pondus nec addere velim, nec etiam detrahere.

Transeo ad vim aliquam miraculorum eidem nomini *Iehoua* quodammodo congenitam. Virga Moysi prodigiosa fuit, & insignium miraculorum effectrix: nam & maria diuidere, & sistere fluentes aquas, & aduerso cælo nimbos, grandines & fulmina deuocare, & toti propè naturæ imperitare: sed unde ea vis indita, unde tantum in naturam, imò & supra naturam imperium? Toftatus refert in admirabile nomen *Iehoua*, quod ipsa inscriptum præferbat, erat enim quadrangula, & in singulis In c. 4. Exod. angulis vnâ huius nominis litteram ostentabat.

Ille ipse Moses à prodigijs vtroque in orbe notus, Ægyptium legitur occidisse, non manu, non ferro, sed vt ex Rabbinijs refert Clemens Alexandrinus solo nomine *Iehoua*, quod ipse intimo pectore altoque spiritu pronunciauit: adeo illi nomini peruium Ægyptij pectus, & in vitam, mortemque ius L. I. Stro- mat. fuit:.

S

fuit:.

133 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
fuit: sed hoc inquires triste, ac funestum est; aliud  
accipe quod lætius ac mollius appellet.

Saül in purpura, sceptroque, in amplissimi re-  
gni delitijs agitabatur maligno spiritu, spiritu infani  
mœroris, ac tristitiæ. Chelym docta manu pulsa-  
bat Dauid, & à Saule recedebat malignus genius:  
crederes suaues illos Dauidis modulos ferre non  
posse, & verò etiam non potuit. Sed quid adeò tur-  
bulentum illum spiritum pulsat, ac ferit? sunt qui  
cantui tribuant, suauiusque numeris: multum e-  
nim valet cantus ad componendos animi motus,  
ac tempestates, ad demones abigendos. Ita S. An-  
tonius psalmorum versiculis dicitur prædonem a-  
nimorum ex corporibus, velut alieno hospitio eie-  
cisse. Sunt alij qui Dauidis virtuti, meritisque ascri-  
bant: sunt etiam qui nomini *Iehoua*, cuius linea-  
menta in Dauidis chely expressa fuisse credunt; ita  
Valderama, penes quem sit illius miraculi fides, vt  
& huius, quod in Rabbinis legisse me aliquando  
memini.

In eorum oculos, imo & inuidiam incurrerat ea  
fama, visque miraculorum, quæ dum in viuis esset,  
patrarat Christus, nec vt vellent, ea ignorare, aut  
diffiteri poterant. Veritati, quæ luce meridiana cla-  
rior elucebat, cedendum erat: at non omninò ce-  
det inuidia, & liuor edax, dente carpet, tangetque  
quod absumere, & exsorbere non poterit, iactabit  
enim

enim commentum illud, Christum ijs portentis, ac prodigijs supra cæteros mortales claruisse, vel hoc vno tantum, quod nomen *Iehoua* alijs ineffabile, ipse vnus effari posset. Tantam ei vim inesse crediderunt etiam ad patranda miracula.

Et hæc dicta velim, non vt ijs ex me fidem astruam, auctoritatem conciliem: sed tantum vt ex his, intelligat prudens lector, quæ apud Antiquos fuerit diuini nominis opinio, quæ fama, quæ religio.

## §. 7.

*Tiara byssina sacri capitis ornamentum.*

**H**Æc olim præscribente cælo, auribus, calamoque excepit Moses, & in chartam effudit: *tiaram byssinam facies*, decus sacrati Deo verticis. Exod. 28. v. 39. De hac aliqua inter Authores controuersia. Sunt enim qui tiaram Pontificis contendunt fuisse pileum, sunt qui vittam tantummodo describant.

Ioannes Vilalpando credit fuisse fasciam, seu vittam, qua Sacerdotes, & reges coronari soliti. In c. 44. Ezechiel. Olim enim Imperatoribus, nõ aliud erat diadema, quam vitta byssina cingens, & stringens caput, & in dorsum effusa; vt videre est in Antiquis Cæsarum imaginibus. Et hoc fortè ascribi potuit iustæ parsimonix illius ætatis, quæ à luxu, fastuque vestium erat aliena, à qua degenerarunt sæcula consequentia, quæ suorum regum, Cæsarumque capita auro, gem-

140 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
gemmisque non tam ornarunt, quam onerarunt.  
Sed ista quæstio, querelaque est alterius fori; disce-  
damus ab illa, & in præsentia dicamus Tiaram,  
Cidarimque Pontificum, in pilei formam effor-  
matam fuisse: ita enim illam depingunt, qui ijs  
sæculis fuere proximi, & oculis vsurpare potuerunt  
sacram illam Pontificis in veste, Tiaraque maiestatem.

Iosephus certè curiosus Iudaicæ Antiquitatis in-  
terpres & scriptor, sacram illam Cidarim ita descri-  
bit. *Pileolo quali & cæteri Sacerdotes utebantur,*  
*super quem alius extabat ex hyacintho variatus,*  
*hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in-*  
*qua spectantur calyculi (sive folliculi florum) aurei,*  
*quales videmus in herba, quæ hyosciamus dicitur.*  
Hæc Iosephus, quem cum alijs conciliare potes,  
si dixeris illi pileolo etiam adiectam fuisse fasciam  
byssinam, quæ è Cidari dependeret. Sed his ego stu-  
diosius non immoror, magis amo opportuna ex il-  
lis, morum, vitæque documenta.

Prima hominum ætas, eaque magis innoxia, &  
simplicitatis amans, nudo capite incessit, verticem-  
que apertum & soli, & aquiloni, & omnibus in-  
iurijs aëris obiecit.

Postea molliora sæcula caput texere, vel valetu-  
dinis causa, vel ex medicorum placitis, ac persuasione

Hippocratis imago pilei umbella tegi solita,  
cuius ratio hæc à nonnullis redditur, quod omnium  
primus

primus caput pileo velarit: an ea causa ex veritate sit, nescio, hoc scio, pileum etiam seruire dignitati tum profanæ, tum sacræ, vt de illa taceam, de hac pauca subnectemus.

Tiara triplici ordine assurgebat, vt efferret eminentiorem Regibus dignitatem, de qua illud aurea eloquentia Chrysofostomus.

*Sacerdotium principatus est, ipso etiam regno venerabilius, ac maius. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas, Umbrae sunt istæc omnia, vernisque flosculis leuiora.*

Hom. 5.  
de verb.  
Isai.

Ac ne videatur hæc inani verborum iactantia, non autem rationum momentis, ac pondere in medium proferre, causam subijcit sui illius pronuntiati. *Quamquam, inquit, nobis admirandus videatur thronus regius ob gemmas affixas, & aurum, quo obcinctus est, tamen rerum terrenarum administrationem sortitur; nec ultra potestatem hanc quicquam habet authoritatis: oculis illudit auri fulgor, & pretium, gemmarum nitor, & gratia, sideribus ipsis æmula, aliæque regiæ fortunæ phaleræ fucum faciunt, & in corpora mortalia, in res abiectas, & luteas authoritatem iniiciunt, at non euadunt ad immortales animos, ad Cœli gazas, stellas arces, diuorum beata tecta, ad quæ tamen ascendit Pontificum suprema authoritas: quam vbi cum regia componit mellita eloquentia Ambrosius, ait:*

L. de dign. Sa-  
cerd. c. 2. *magis Sacerdotium regno, quam aurum plumbo præ-  
lucere. Est nimirum altissimi Sacerdos, veluti me-  
dius cœlum inter & terram, Deum inter & homi-  
nes, quod ipsum in sede Petri, cathedraque veritatis  
agnouit INNOCENTIUS III. & hoc ex ea ora-  
culum edidit. Qui est inter Deum, & hominem me-  
dius constitutus, citra Deum, sed ultra hominem:  
minor Deo, sed maior homine. Hanc sibi ab illo ordi-  
ne inditam maiestatem agnouere magnæ mentes,  
Infula, Peditaque dignæ. Vt cæteros taceam, vnus  
erit instar omnium, isque Leontius Tripolis Lydiæ  
Episcopus, de quo Baronius in suis monumentis.*

Ser. 2. in  
Consec.  
Pont.  
  
Tom. 3.  
Anno  
Domini  
325. §. 16.

Euocatus ille fuerat ab Eusebia augusta, fœmina  
alti spiritus, & insolentis superbiæ: ea nimirum oc-  
cupare solet augustas animas, inepta sceptris capita;  
quæ plus æquo attollit, cum deprimere debuisset,  
ac modestiæ legibus subdere, vt ad eas reuocaret  
Augustam, moneretque; quod esset inter Purpuram,  
Pedumque discrimen: ita paucis fertur respondisse.  
*Si me ad te venire volueris, debita Episcopis reue-  
rentia seruata, ego quidem ingrediar; tu autem sta-  
tim de sublimi isto folio descendens, reuerenter mihi  
obuiam procedas, & caput meis manibus supponas  
benedictionem acceptura: ac deinde ego sedeam, tu  
reuerenter astes, cum iussero, dato signo sessura. Si hæ  
tibi condiciones placuerint veniam ad te: sin alio  
modo, non tam multa dabis, vt nos honore Episcopis  
conue-*

conueniente neglecto, diuini Sacerdotij institutum uiolemus. Hæc Leontius scripsit, hæc dixit pro ingenita sibi libertate, sacriq̄ue ordinis, ac rituum omnium obseruantia: ob quam vulgò dictus est *Ecclesiæ regula*. Et quia erit fortasse vnus aliquis qui pro se loquentem Episcopum non audiet; audiat ille, & ab Augusto Cæsarum longè maximo, discat; quæ Episcopis, quæ Ecclesiæ Præsulibus debita sit obseruantia.

Constantinus Imperator, quem vt Augustum suspexit Orbis, vt Parentem amauit primùm enascens Ecclesia, ita cum Episcopis sese gessit in omni congressu, vt & ipsis assurgeret, nec sederet ipse, nisi prius illi confedisent. Nouerat nimirum Augustus Imperator pro ingenita sibi à Deo mente, quantum Purpura à Pædo pastorali distaret.

Nouit etiam, nec sine periculo suo, cœlestique prodigio sensit Valentinianus Imperator: cum enim Martino Episcopo assurgere dedignaretur, de repente, è sella vindex ignis erupit, à quo ne incenderetur, ne in cineres iret totus, assurrexit vel inuitus, ita flammæ cessit, qui dignitati Episcopali non cesserat; & cui assurgere prius erubuit, ad eius pedes supplex accidit, adeò verum illud, quod tanto ante Isaias animo præuiderat, & de Prælatiis noue legis cecinerat. *Reges vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Isai. 49.

Ad

p. Sir-  
mond ad  
Sidon.  
Theodo.  
l. 4. c. 5.

Ad primùm spectasse videtur edictum illud Theodosij, & Valentiniani Imperatoris, dignum omnino, quod aureis litteris in lapide adamantino scribatur, ad omnium Posterorum memoriam, ac documentum. Ita habet. *Audemus Sacerdotes cum omni timore nominare, quibus omnis terra caput inclinat.* Ea Imperatores illos inuaserat Sacerdotij veneratione, ea ordinis illius reuerentia, sacraque maiestas, vt eos non sine timore nominare auderent, nedum aspicere, & alloqui: ratio tantæ submissiois eodem edicto exponitur, quia *omnis terra eis caput inclinat.* Imo ad eorum pedes abijcit quidquid altum, ac sublime habet, vt indubitatum sit & illud Isaïæ: *puluerem pedum tuorum lingent.* Quo in genere spectandum illud, & illustre facinus Caroli magni Gallia Regis, & Imperatoris ter maximi. Ecclesiae clauum regebat Hadrianus Pontifex; imperij gubernacula Carolus tenebat: hic vt Romam venit, vt de Ecclesiastica libertate, de sede Petri quam optimè meritus, ita exceptus est quam magnificentissimè. Obuiam iuere militares turmae, equitum robur, & Romanae nobilitatis decus omne. Ipse Pontifex Clero honorato septus in summis gradibus Ecclesiae D. Petri confedit; primulo in atrio superbis operibus exornato. Vt venit Rex Carolus lectis regni Principibus, & armato milite comitatus, sic ad eum locum accessit: quasi ad solium  
ipsius

ipſius diuinitatis, numenque auguſtiſſimum adire videretur: Primum enim illuſtri animi demiffione ſeſe pronum in terras proſtrauit, tum ad ſingulos gradus pedetentim adrepens eos humaniſſimè oſculatus eſt, tum vbi ad opperientem ſe Hadrianum aduenit, demiffit ad pedum oſcula, tum denique in paternum eius ſinum, præſidiumque D. Petri, ſe, liberos ſuos, & florentiſſimi regni fortunam coniecit. Habet in eo Gallia, quod Regum ſuorum ſubmiſſionem, & in ſanctam ſedem obſeruantiam amet, ſuſpiciat, & in poſteras omnes ætates emittat. Habet & orbis vniuerſus, quod probeat, imitetur, habent & ij, quos eò dignitatis benignius cælum euexit, in quo immenſam, & mirum quantum profuſam æterni numinis in ſe liberalitatem demirentur, ſtudeantque ſub infula, ſub tiara, ita vitam omnem exigere, mores componere, vt nihil ſit, quod à ſacratiore illa maieſtate abhorrens videatur.

## §. 8.

*Annulus pontificiæ dignitatis, poteſtatis, & coniugij inſigne.*

**A**D ſacræ veſtis decora, acceſſit annulus, vel Exod. 28. v. 27. Rationalis ornamentum (vt in Hebræis Pontificibus) vel digitorum gratia, (vt in Romanæ Eccleſiæ Præſulibus) huius & illius rationem hic indagamus: vt ex ea aliquid ad inſtitutum noſtrū deriuetur.

T

Omnis

Omnis ætas, omnisque ratio annulum censuit esse dignitatis insigne, imò notam nobilis profapiæ, & veluti tesseram animi de Republica benè meriti.

Romani rectè publico quondam edicto cauere, ne quis è vulgo annulum indueret, nisi re benè gestâ ex senatus consensu is ei honos deferretur. Hoc vero decus primò delatum audio legatis exterarum gentium, quæ cum Romanis fœdus inijsent, ac deinde equestri ordini, denique ijs omnibus ac solis, quibus obtigisset pro salute patriæ, & agere, & pati fortia, quod Romanum erat. Inde Augustus Cæsar, vt suis militibus adderet animos, & spe amplissimi fauoris erigeret, omnibus aurei annuli vsum concessit; & Titus Liuius secundo bello contra Carthaginenses, memorat equites Romanos ab Hannibale ad Cannas cæsos esse eo numero, vt cæforum annuli tres integros modios oppleuerint; quos omnes in triumphi speciem, & victoriæ partæ monumentum Hannibal Carthaginensibus transmisit.

Fuit deinde & annulus imperij nota, & hæreditatis adeundæ tessera, vnde Imperatores morti proximi, annulum suum ei concedere soliti, quem ipsi hæredem instituisent. Ita Augustus Tiberio donasse legitur. Ita & Pharaon annulum tulisse de manu sua, & inseruisse digito innocentis Iosephi in signum attributæ ei regiæ potestatis.

Fuit

Fuit & alijs nationibus suus annulorum vsus, & honos, vt ad Carthaginenses redeam, illud in eis fuit singulare (quod Plutarchus in Hannibalis vita memorat) vt tot digitis annulos insererent, quot ipsi prælia subiissent, quot de hoste victorias reportassent. Amabant nimirum veteres illi, quibus in oculis erat virtus, in animo gloria, hæc virtutum decora, hæc rei præclare gestæ monumenta.

Volunt alij annulum esse perfectæ, & paternæ reconciliationis argumentum, quod ex Euangelio constat: vbi enim ad se, ad parentem redijt Adolescens ille Prodigus: genitor miseratione plenissimus cum perduto filio veniam dedisset, cum stola prima iussit continuò *dari annulum in manum eius.* Luc. 15. Verum vt hæc ita sint ex variarum gentium more, rituque, apud quas alius, atque alius fuit annulorum vsus. Certè communis sensus, & opinio probat annulum, arrham esse, & pignus sponsalitiū. Solebat enim sponsus, sponsæ mittere annulum, quem pronubum vocabant, vel pignoris loco, vel in symbolum amoris.

Is teste Plinio, sua ætate ferreus erat, & sine gemmâ: nimirum ei pro gemmâ, pro luce, soleque erat amor, ferro, hoc est duris assuescere solitus: ideoque institutum olim fuit, vt in digito medico sinistrae manus gestaretur, quod in eo digito vena esset ad cor ipsum, amoris sedem rectâ perueniens. Cuius

L. 33.  
Nat. hist.  
c. 1.

L. 10. c.  
10.

rei luculentus author est Agellius, ait enim sectis, apertisq̄ue per anatomen corporibus, repertum esse neruum quendam tenuissimum ab eo digito ad cor hominis tendere, proptereaq̄ue eo honore visum esse dignum, vt qui continens, & quasi nexus cum principatu cordis videretur.

His ita ex totius Antiquitatis sensu, ex Authorum fide, ex veritate constitutis, verissimum erit illud effatum: Annulum in Pontifice, in Præsule dignitatis, imperij, reconciliationis, sacriq̄ue coniugij symbolum esse.

De dignitate quæ mortalibus superior, immortalibus propè par dici potuit, multis antea desserui, ideoq̄ue ad alia propero.

D. Ambrosius censuit annulo ornari Pontifices vt *ipsi signent alios*. Alludit ad annulos signatorios, quibus notæ ijs rebus imprimebantur, quas tutas, & securas volebant. Et hæc potestas nostris Pontificibus communis, vt qui electos signant ad vitam beatam, eoq̄ue signo liberos, ac securos de salute faciunt.

L. de Io-  
seph. c. 7.

Quod si quandoq̄ue ( quæ hominum est inconstantia, & summa infelicitas, à patrato scelere, ijs infesti superi, iratum numen, parata toto æthere fulmina, interueniunt Episcopi veluti conciliatores diuinę mentis, & pacificatores potentissimi ad excutienda diuinis è manibus concitate iustitię fulmina.

Sed

Sed ista ad auctoritatem, ad summum in mortales, ius imò ad aliquod in Cœlestes, Deumque ipsum, imperium faciunt, hoc ad amorem testificandum conducit.

Episcopum inter & Ecclesiam illud intercedit vinculum, quod sponsum inter & sponsam videri potest; & eo fine conceditur annulus, quem Tertullianus etiam *pronubum* appellat, utpote pignus amoris, & indiuiduæ societatis: debent enim Episcopi curam Ecclesiæ, seu sponsæ habere, eiusque bonum, ac fœlicitatem in corde ferre, ut illam quasi virginem castam exhibeant, seruentque Christo saluatori.

Fuit olim inter veteres recepta consuetudo, ut L. 9. maritus suæ uxori custodem apponeret, quem Apuleius, *Sequitorem* appellat, quod ut umbra corpus, sic matronam ille sequeretur. Non sic boni, & fideles Episcopi: quibus Ecclesia sponsa, eius ipsi custodes esse volunt, nec alienæ fidei committunt tam sacrum Christo depositum. Et iure sanè æquissimo, vnus enim Pastor, alij mercenarij; vnus sponsus, alij sterili famulatio addicti, qui sua quærunt, non quæ sponsæ: at bonus Præsul qui sponsi nomine gaudet, eiusque vim amicam, & suauia amoris incendia patitur, adhæret sponsæ suæ lateri, residet in Ecclesia sibi commissa, ex puræ caritatis legibus omnia in eius bonum, ac fœlicitatem disponit,

T 3

vtque

150 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
vtque disponat, ei creditur annulus, infigne nobilis  
animi, decus imperij, authoritatis nota, symbolum  
effusæ caritatis.

§. 9.

*De Virga Aaronis, & baculo pastorali.*

**V**ulgò iactari solet illud: *Honos alit artes*, quod  
quam verissimum est, si moderata sit illius  
cupiditas, si sese rationis gyro coerceri patiatur: at si  
se effrenæ gloriæ, inanisque iactantiæ libidini  
committat, si ea se sinat abripi, tum verò non artes  
alit, sed lites mouet, alit dissidia, & ingentes animo-  
rum excitat dissensiones.

Ne discedam ab argumento mihi proposito,  
grauis olim in tribubus Israël orta est contentio,  
de supremi Sacerdotis officio, ac dignitate, dum  
*Num. 16.* eam sibi quisque arrogare studet. Core, Dathan,  
Abiron, & Hon superba in Moysen, & Aaronem  
extulere capita, & vt est insolens sui que impotens  
regnandi libido, per fas, nefasque, in sacra iura inuo-  
lare, in aras euadere, & concessam à superis vni Aa-  
roni dignitatem eripere conantur. At vindex è cœ-  
lo Deus, cuius oculus, manusque mortalibus sem-  
per imminet, vt elatos deprimat, abiectos eleuet:  
Core, Dathan, Abiron subito, ac repentino terræ  
hiatu absorpsit: viuis eripuit, inferis dedit, eorum-  
que assecclas vltrice flammâ deuorauit.

Hoc

Hoc vbi diuinæ iustitiæ datum est, tum ne qua in posterum moueretur quæstio; sacram illam Sacerdotij maiestatem forti committendam esse censuit legillator Moses, iussitque singulas tribus, vel potius singulos tribuum Principes, virgas suas proferre, eisque nomen ascribere, ac deponere in tabernaculo fœderis, vt cuius virga arida, & exsucca germinasset, is vnus Sacrorum Princeps, Sacerdos, Pontifex haberetur. Annuere omnes diuinæ forti, ac consilio, virgas extulere, statuere coram Domino; à quo contra naturæ vim, temporis leges, & pacta, germinauit, ac floruit vnus Aaronis virga, eoque prodigio Sacerdotem vel ipso cœlo iudice, creauit.

Fuit ea virga Aaroni, quod nostris Præsulibus est Pedum, & baculus pastoralis, videlicet index acceptæ à Deo authoritatis, potestatis, doctrinæ: fuit deinde alia à virga Moïsis, qua Ægypto plagas intulit, qua mare diuisit, qua tot annuente cœlo, & stupente terra, prodigia patrauit. Fuit denique amygdalina, vti & cæterarum tribuum virgæ, imo ex eadem amygdalo decisa, ne quod in ea ab alijs discrimen esset, cui id miraculum ascribi posset. De L. 6. c. ea paulò aliter sentit Rabbi Salomon apud Galati- ult. num, illum audi. *Virga illa, qua Moïses, & Aaron miracula faciebant in terra Ægypti, & postea in deserto floruit, ab ea arbore excisa est quam Deus ostendit*

152 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
ostendit Moyfi in deserto, vt aquæ amaræ dulces  
fierent.

Et hæc arbor excisa fuit ab arbore vitæ, quæ in  
Paradiso sita erat, Angelorum manibus, quam  
miserunt Adæ, cum ille misisset filium suum Seth  
ad Paradisum, misericordiam Dei imploraturum  
de suo peccato. Dixerunt Angeli ad Seth, vt planta-  
ret hanc arborem, quæ quamprimùm fructum fa-  
ceret, misericordiæ Dei in eum descenderent, aperi-  
renturque portæ cœli, quæ obseratæ erant. Hanc  
autem arborem, seu potius ramum accepit Seth,  
plantauitque in deserto, quam postea Moses in  
deserto inuenit, & ex ea virgam suam excidit, ideo-  
que virga Dei dicta est; cum autem venisset Israël  
ad Mara, neque illius aquas (erant enim amaræ)  
bibere posset, Deus ostendit illi hanc arborem, vt  
aquas illas redderet dulces. Et hæc est arbor illa, in  
qua Moyfes serpentem æneum posuit, per quam  
Deus vniuersum orbem saluum facere instituit, &  
mittere misericordiam suam super Adam, cum ve-  
nerit Rex Messias: tunc enim hæc arbor fructus ge-  
stabit; quibus secundò aquæ amaræ efficientur  
dulces, purgabuntque primum peccatum, omnia-  
que delicta quæ fecerunt, *facturiq<sup>3</sup> sunt homines*. In-  
nuit nimirum hic author eam esse arborem, è qua  
desumpta crux seruatoris, è qua generi nostro salus,  
ac vita. Verum cum ea redoleant Rabbiorum fa-  
bulas,

bulas, ac commenta, ijs fidem nec habeo, nec haberi volo. Magis probo fuisse de vulgari, & obuia arbore decerptam virgam, seu scipionem, qua aut viatores, aut Pastores ouium vti solent.

Ea porrò triplici miraculo claruit, ne quis fortunatae illi, diuinæque forti fidem negare auderet.

Primum enim virga arida, & sicca, sese exoneravit in turgentes gemmas, baccaſque; tum etiam eodem tempore, nullo naturæ otio eæ ipsæ baccæ sese explicarunt in flores, tum denique illi ipsi flores, in fructus vberes, maturos, & quasi multo sole benè coctos conuersi sunt; quæ omnia negasset natura, nisi vis altior accessisset.

Et hæc patrata miracula, vt Aaroni cederet ea summi Sacerdotij dignitas, ac veneratio, quæ vt in posteros quoque transfiret, censet Abulensis eam virgam ad annos, & sæcula durasse, meliore succo plenam, ornatam floribus, fructibus fœcundam, tum vt esset æuo longè consequenti rei iam gestæ monumentum, tum vt illius familiæ decus, atq; ornamentum, & veluti tessera quædam diuinæ electionis.

Sed erit aliquis naturæ curiosus indagator, & diuinorum mysteriorum sedulus interpres, qui ex me quæret. Cur è tota arborum propagine, electa sit vna amygdalus, è qua decerperetur virga tot prodigijs illustris. Ne crede id casu factum, ne cæca, & præcipiti manu, decisum ramusculum, erat

254 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
alia manus, eaq; superior, quæ manus regeret, vti &  
abiectas sortes. Ea Dei fuit, quæ amygdalum præ cæ-  
teris arboribus elegit. Sed cur inquires amygdalum?

Est in natura, est in diuina mente ratio: ex illa  
hæc. Amygdalus prima inter arbores floret, prima  
baccas, & flores ostentat, vnde hebraicè dicitur  
*Scaked*, hoc est euigilans, quod omnium prima  
post longam hyemem, euigilet, & floreat. Nimi-  
rum hyems est plantis, quod homini nox silens, &  
quasi mortua. Diceres adulta hyeme exsuccas, exa-  
nimes, emortuas arbores, & plantarum genus om-  
ne, vel saltem crederes longo, & letali somno se-  
pultas, ad eò nullum vitæ latentis indicium edunt:  
At vbi primùm lenis aura, zephyri molles, verni-  
que solis fauor, & radij aspirare, & appellere cepe-  
runt, tum vero sopitas vires excitant, reconditas hy-  
berni succi diuitias educunt, effundunt sese in ger-  
mina, in flosculos aperiunt, & in fructus spargunt  
vberrimos.

Ita prima omnium erumpit, seseque excitat a-  
mygdalus, inter arbores veluti primogenita: imo,  
quod in ea mireris, etiam emarcescit vltima, nec  
folia deponit, nec florum honestatem, atque orna-  
tum, nec fructuum natiuas opes amittit, nisi postre-  
ma. Et hoc indicat in Aarone ius quodammodo  
primogenituræ, & Sacerdotij longeuam perennita-  
tem, de qua ore florido D. Ambrosius. *Virga Aa-  
ronis,*

ait

V

ronis,

ronis, inquit, quid aliud ostendit, nisi quod nunquam L. 10. Ep. 82.  
 Sacerdotibus marcescat gratia, & in summa humili-  
 tate habeat in suo munere commissæ sibi potestatis flo-  
 rem. Et hæc Aaronem spectauere prodigia; quæ  
 subdam etiam posteros.

Monuit enim virga amygdalina, quæ debeat  
 esse Pastorum vigilia, est enim illa vigiliæ symbo-  
 lum, vt apertè liquet ex imagine olim Ieremiæ ex-  
 hibita. Ait ille non sine stupore, ac miraculo. *Vir-* C. 1. v.  
*gam vigilantem ego video,* vel vt alij vertunt, *vir-*  
*gam amygdalinam ego video,* quod & hæc, & illa  
 oculata sit, & vigil, doceatque cum vigilem esse  
 oportere, cui Deus eam concesserit.

Est præterea amygdalus index patientiæ singu-  
 laris, cum enim prima frondeat, floreatque, etiam  
 prima rigidus adhuc aquilones, nimbos graues,  
 grandines asperas patitur. Et Præsul, in cuius manu  
 Aaronis virga, pastoralis baculus, patiens sit oportet,  
 & obduratum aduersis pectus ferat ille pro fide, pro  
 religione, pro cælo, Deoque acerrimas persecutio-  
 num hyemes, graues tyrannorum æstus, atque tem-  
 pestates, neque tamen ex ijs decuti patiatur, aut a-  
 mœnam spei viriditatem & frondes; aut virtutum  
 magnarum flores, aut bonorum operum fructus  
 amittat, sed cælo, atque æternitati referuet.

Deinde amygdalus suadet in Præsule studium  
 pœnitentiæ, vtque cum venia vtar ea voce, mortifi-  
 cationis:

156 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
cationis: est enim amara amygdalus, & amara  
pœnitentia, suavis fructus.

Denique virga, nota est authoritatis, & index al-  
tioris imperij; quod venerantur, & adorant illu-  
stres animæ.

Testis erit luculentus Patriarcha Iacob, qui in  
extrema vitæ periodo, cum discessum è senili cor-  
pore iam ambiret anima, hæreretque propè in ex-  
Gen. 47. tremis labris, *adorauit Deum conuersus ad lectuli  
caput*: vel vt septuaginta vertunt, *adorauit fasti-  
gium virgæ eius*, scilicet Iosephi filij sibi longè ca-  
rissimi.

Quæ autem fuerit ea virga, alta nox, & docta  
tenebræ: sunt qui velint fuisse virgam iudiciariam,  
qualis esse solebat Ægyptijs. Referebat ea sceptri spe-  
ciem, in cuius vertice visebatur ciconia in proge-  
nitores annosos semper pia; & misericors, ideo-  
que symbolum miserationis, in basi autem hippo-  
potamus, siue equus marinus, in parentes quos  
enecat, crudelis, & impius: quæ symbola Iudicem  
monebant, vt à se procul amoueret immites ani-  
mos, & misericordes accerferet. Crediderunt alij  
virgam illam Iosephi, quam adorauit Iacob, sce-  
ptrum fuisse regium, cui imminebat vigil, patens  
& explicatus oculus; index & symbolum vigiliæ,  
quæ Reges, ac moderatores decet.

Contenderunt alij eam virgam fuisse è nuda  
quercu,

quercu, qualis Plutarcho teste, Regibus olim, ac Principibus fuit: in cuius vertice explicabantur tot folia quercus, quot ipsi regnassent annos, quot sibi suisque imperijs prouincias adiecissent.

Verum ut sit de ea Iosephi virga, qualis qualis demum ea fuerit, eam certè cultu, & adoratione quadam dignam putauit emoriens Iacob.

Sciebat nimirum, & senili, prouidaque mente hauserat, quod in ea decus, quæ amplissimæ dominationis autoritas, quam etiam in filio colere, venerari, imo & adorare debuit ipse parens.

Et hic Aaroni virgæ, Pado, baculoque pastorali debetur cultus: est enim ille index, & nota acceptæ à Deo potestatis, est virga Iudicis, virga regni, sceptrum eius dominationis, quæ non in fortunis hæret, aut corporibus, sed ad ipsos quoque immortales animos ascendit, ut supra ostendere me memini. Ideoque cum Iacobo sene quisquis benè sapit, adoret fastigium virgæ pastoralis, & in ea diuinam quandam potestatem agnoscat.

PARS SECUNDA.

*De vestibus Clericorum ac Sacerdotum  
nouæ legis.*

**D**iuina prouidentia, quæ amat decorem domus suæ, eum in ministris suis, ipsoque cultu corporis seruari voluit: Moysemque per quadra-

138 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
ginta integros dies discipulum habuit, docuitq; fa-  
cere pontificalia, & sacerdotalia indumenta, eo-  
rum normam, ac rationem accuratè describens: ea  
deinde sua manu texuit ipsa soror Moysis Maria, vt  
non animum tantum, sed & digitorum opera Do-  
mino, altariq; consecraret. Ex pia horum æmula-  
tione, atq; instituto, iam inde ab Apostolis ema-  
nauit in noua lege, ille sacrarum vestium ritus, cul-  
tusq; quem ista hic persequemur, vt ex eo oppor-  
tuna morum, viteq; rectius formandę documen-  
ta trahamus.

§. PRIMVS.

*De Veste Clericali.*

**A**lia Clerico vestis est in vsu, vitaq; com-  
muni, alia in sacrificij ministerio, de hac di-  
census infra fusius, de illa modò paucis.

In habitu corporis, vt etiam in alijs, medium te-  
neas est necesse: sita enim in medio virtus, vitium  
ad extrema reijcitur vt ea deuites, ac fugias; pone ni-  
mium in veste luxum, & sordes horre, habeq; in  
oculis, ac animo, quod de D. Bernardo iactari solet.

In vit. l.  
3. c. 2.

*In vestibus semper ei paupertas placuit, sordes nun-  
quam.* Et si Monachus esset, mundi, turbarumq; que  
fugiens, & amans solitudinis, ac cellæ religiosæ: ta-  
men & sordes auersari, & lasciuiem vestium  
pompan æquè damnare: & meritò, nec enim  
nauo

nauo caret, ac macula, comptulorum illa quæ sita nobilium indumentorum venustas, nec à censura immunis, ac libera est inamœna quædam vestitus species, pædor, ac horror insignis.

Eo certè quo viuimus æuo pauci ab hoc peccant, ab illa notantur quam plurimi, in quos vertitur antiqua illa mellei Doctoris querela. *Cernitur in nonnullis Sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum, aut nullus, aut exiguus,* quam labem suæ etiam ætati inuistam gemit, & aculeata oratione pungit D. Hieronymus, ait enim. *Omnis his cura de vestibus, si benè oleant, si pes laxa pelle non folleat:* animus autem qui in primis curis esse debuit, ponitur in postremis: hoc nimirum mortalibus vitium est, & peruersa naturæ inclinatio, à qua si possumus reuocare, nostræ curæ est, ac laboris.

Igitur ad institutum vt redeamus, quid antiqua tulerit atas, quid nostra tueri debeat, videamus.

Vna, alterave exurgit quæstio: quis amandus in veste clericali color? quæ deinde materia? quæ forma?

Esseni, qui formam quandam religionis habuerunt à cæteris discreti proprio genere indumenti, soliti quæ vt ait Iosephus, *albatu incedere.* Existimabant nimirum eum colorem facere ad simplicitatem, & animi candorem demonstrandum: verum vt lapsu temporis in alia quoque iudicia labuntur homines,

160 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
homines, visus ille color parum consentaneus factō  
ordini Clericali, color enim candidus aut affectaba-  
tur à philosophis ad vanam sapientiæ ostentatio-  
nem, aut Dynastarum erat proprius, & eorum, qui  
omnium rerum abundantia florerent, quod lætitię,  
glorię, triumphicolor haberetur, & eximię fœlici-  
tatis. Vnde apud Hebræos nobilis dicebatur *ben  
chorim filius candidorum.*

Neque etiam primis Ecclesię temporibus pla-  
cuit niger, & atratus color, hic enim tum pertine-  
bat, vel ad faciem populi, quem Fabius Quintilia-  
nus *Pullatum circum* appellat: vel ad monachos,  
qui se ab omni humano consortio seiugantes toti  
erant in cœlestium rerum commentatione; à qua  
etsi non alieni forent Clerici, à veste, tamen distin-  
gui, discernique voluerunt; quod vt assequerentur,  
arripit medius quidam color: Is fuit violaceus (qua-  
lis etiamnum in vsu est in Curia Romana) & hic  
in exordio nouę legis passim vsurpari solitus. Postea  
tamen cum Monachi ad Hierarchię Ecclesiasticę  
communione admitti fuerunt, atque in Clerum  
ritè, & piè cooptati, mystæ plurimi pietatis, ac de-  
missionis amantiore, non eorum modo virtutes  
admirandas; sed vestis quoque genus, coloremque  
amare ceperunt. Nec immeritò, est enim niger co-  
lor modestię significandę opportunus, index lu-  
ctus, ac pœnitentię. Quam etiam præ se ferre de-  
bet ordo Clericalis.

Et ista haectenus de vestium colore. De materia subijciamus pauca. Nihil in ea lautum, ac molle sit, nihil structum exquisito artificio, nihil vmbilicis tumidum, aut follicante copia superfluum, nihil ad saeculi elegantiam compositum: lanca plerumque sit vestis, non bombycina, aut serica delicata: nisi forte hanc exigeret singularis quaedam personae, aut dignitatis ratio, cui modum statuet deuota modestia, decus ingenuae mentis; quae supra sortem assumi nihil omnino patietur. Et quia materiae, pretijque, quod in veste quaeri potest, meminisse, non possum quin adijciam illud; splendida, & insigni quodam instructu visenda indumenta potius facere ad probum, & dedecus, quam ad splendorem, ac dignitatem: omnibus enim hoc à natura infitum est, vt ea oderint, ac damnent, quae seu à persona, seu à statu aliena videntur: quo in genere lepidum illud, & aculeatum, quod memorat Ionuillus in vita S. Ludouici: & ex illo Cresollus noster. Robertus Sorbona, (qui Parisijs templum sapientiae, collegiumque instituit, cui, & nomen fecit) cum olim ageret cum Ludouico nono Christianissimo Galliae Rege, videreturque exquisitius ornatus quam modestiae, ordinisque ratio pateretur: Ionuillus Dynasta clarissimus, idemque faceto, & liberiori ingenio vir, cum hominis vestem lautiozem intueretur, accessit propius, & fimbriam regij paludamenti

162 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
damenticum illius Doctoris veste composuit, con-  
iunxitque: & ad hominis contumeliam publicè  
pronunciauit: Sorboneum pallium pretio, & pul-  
chritudine regiam chlamydem exæquare. Hic  
primùm, vt in re noua accidere solet, subortus risus,  
plaususq; Aulicorum, dein grauior Sorbonę censu-  
ra: denique pudor, qui in ora, vultumque Doctoris  
illius ascendit, modestiamque etiam in veste præ-  
ferre docuit: bonus sanè magister pudor, & oppor-  
tuna scholæ verecundia, quam etiam ab aula in  
lycæum referas. Sed ne fusius de materia vestis; de  
forma etiam nonnulla subdamus: nam & in hac  
peccare quis potest, imò & re ipsa peccant longè  
plurimi; qui non natiuo, sed peregrino, non cleri-  
cali, sed sæculari habitu vtuntur, non sine naxuo, &  
probrio sui ordinis: quis enim Clericum, quis sacris  
initiatum agnoscat in veste breuiori, & concisa?  
quæ vix genua tegit, quis in thorace, caligisque nu-  
dis, quales etiam viro coniugato vsui esse possunt?  
Nemo certè, nemo vnus omnium, Clericum esse  
pronunciabit, qui solis oculis credet: qui enim pro-  
nunciaret? certè vt ex vellere ouis, ita ex veste Cle-  
ricus agnosci debet. Ea ex primæua Ecclesiæ institu-  
tione, ex SS. Patrum oraculis, ex Sacrosanctis Con-  
ciliorum (Lateranensis, & Tridentini) decretis, ta-  
laris esse debet.

Later. sub  
Innoc. 11.

Trid. ses.  
21. c. 1. de  
Refor.

Vide an sacratoribus illis summorum Pontifi-  
cum

cum constitutionibus, ac statutis acquiescendum potius non sit, quam aut imperito vulgi iudicio, aut vanitati & mollitiei quorundam Ecclesiasticorum, iuniorum maximè, quos non tam pietas, & virtutis studium in ordines immisit, quam pingues beneficij prouentus, & amor non dico ecclesiasticæ, sed otiosæ & vacuæ à curis vitæ. Vide, inquam, & quibus parendum magis attende: vnaq; excipe fulmen illud Sophoniæ Prophetæ, in eos, qui cum Deo facti sint, profano vtuntur amictu, *Visitabo*, inquit, Sophon. c. 1. v. 8. *super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Eos arguit, quibus cum Numen honestissimam, dignitatiquè concolorem vestem cōcessisset, finitimarum gentium imitatione, induebant purpureum ornatum, aut simile quippiam peregrina, profanaque manu elaboratum: quos ait Deus se *visitaturum*, id est grauius, ac seuerè puniturum, quantò magis, in ea qua viuimus lege: lege inquam gratiæ, ac charitatis, in qua vel ex veste peti debet, quæ viuendi ratio, quæ norma sanctitatis eos damnabit, ac puniet, qui non proprijs, & professioni accommodatis, sed peregrinis, & alienis velamentis vtuntur. Sed ista parcius: Virum bonum eæ minæ non tangunt, sed nuda, & aperta veritas, institutiq; ratio allicit, ac demulcet.

*De Calceis quos induunt sacris operaturi.*

**P**Es in homine infima pars est corporis, ei pro indumento calceus, à quo incipiam, & gradum faciam ad aliam sacrarum vestium seriem: & quidem primo excutiam cuius rei symbolum sit calceus; tum altius ascendam, & quæram, quem Sacerdos sacris operaturus induere debeat calceum, vt illæso pede transeat in montem Dei, & colles æternitatis.

Primis illis sæculis, & auitæ memoriæ symbola in pretio, in amoribus fuere: his enim latentes animi sensus, & præclara magnarum virtutum documenta tegebant: & quidem vt hæream in argumento.

Calceus symbolum erat libertatis: si quis vel à natura, vel à fortuna, vel aduerso Marte seruus factus esset, incedebat ille pedibus nudis, vt ijs proderet captiuitatē, miseramque, sub qua iacebat, seruitutem.

Imminebat Israëli grauis, & timenda seruitus, immaneque iugum Ægyptiacæ captiuitatis; vt eam ostenderet diuina miseratio, quæ humanis malis præcludere amat; illud Isaïæ dedit in mandatis. *Vade, & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis, & fecit sic, vadens nudus, & discalceatus.* Tenuit ea viuendi ratio (vt multis

*Isa. c. 20.  
v. 3.*

multis placet ) tres omnino annos , & Israëli miserandam seruitutem portendit. A qua vbi diu gemuerunt, tandem libertate donandi, audierunt illud. *Calceamenta habebitis in pedibus vestris.* Quasi tacite id innueret Deus, haectenus oppressi iacuitis sub infanda, & miserabili seruitute, nudo pede incessistis, modo calceos, vnaque libertatem induite: & hoc ab illis bonum.

Est deinde & aliud. Calceus symbolum dicitur vsucapionis, possessionis, imperij.

Habuit nimirum omnis ætas, omnis propè natio sua signa humanis in contractibus. Apud Hispanos olim chirothecarum proiectio, nota erat iam aditæ possessionis vt testatur Pineda.

Ex quo ritu in castra, in acies abiit ille mos, vt si dux aliquis urbem obsedisset, eaque suis munita vallis, confisa propugnaculis, freta militum vi, ac robore, deditioem negaret, aduersus belli dux, intra vrbis illius septa chirothecam proijceret, illoque ritu se eam urbem suam facere testaretur.

Ex illo Antiquitatis sensu, & dominij symbolo Rabbi Emmanuel explicat illum psalmistę locum.

*Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum, in manicis ferreis.* Erant illæ manicæ, chirothecæ militares, quas qui in hostes eijcit, ijs iam se dominari palam ostendit.

Quod Hispanis chirotheca, hoc Iudæis olim

X 3 fuit

166 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
fuit calceus. Si quandoque adeunda erat possessio,  
si ius firmandum, si acquirenda regna, qui in ea cal-  
ceum immisisset, eorum ius, ac possessionem adire  
censebatur. Ita quondam propheta regius, regni sui

*ps. 59. v. 6.* limites, finesque dum extendit. *In Idumæam, inquit,*  
*extendam calceamentum meum*, id est potestatem,  
dominium, ius regni. Contra verò si quis calceum  
deposuisset, hoc ipso ius adeptæ possessionis depo-  
*Dent. c. 25. v. 8.* sisse videbatur. Ita diuina lege cautum est, vt si fra-  
ter defuncti fratris semen excitare nollet, duceret  
eum mulier ad portas ciuitatis, ad quas olim ius di-  
ci solitum, ibique eum calceis exueret; in faciem  
spueret, sicque omni iure priuaret.

Accedit & aliud à calceo symbolum, & argu-  
mentum effusæ lætitiæ, vt è contra discalceatio  
mœroris index & nota lugentis animi. Ita suadent  
sacræ paginæ, ipsaque primæ veritatis oracula. Erat  
Ezechieli defuncta vxor, eam lugere vetatur Pro-  
*c. 44. v. 17.* pheta, ideòque audit, *Corona tua circumligata sit vi-*  
*bi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis.*

Et hæc in foro calceorum symbola, at in sago,  
& militia, alia ab illis petita documenta, videlicet  
constantia, fortitudinis, & inuicti animi: Qui nu-  
dis est pedibus, ille subtimidè, & pedetentim ince-  
dit, ne offendat, ne cespitet, maximè si per aspera, &  
ardua petrarum loca fuerit procedendum: at qui  
benè calceatus est, expedito, & illæso pede etiam  
per abrupta, & inuia fertur.

Sed hæctenus Antiquitati concessum est satis, ab hoc luteo, & mortali corpore, transeamus ad animû, vt enim illi, ita & huic pes suus, suus est calceus.

Pes animi est eius affectio: vt enim hanc corporis molem portant, & circumferunt pedes; ita & animum suæ affectiones efferunt, & quidem omni pedite, omni equite imò & aquilone velocius, vt qui etiam in vno momento rapiant ab ortu in occasum, ab vna solis domo in aliam, ab orbe in novos orbes, à terra in cœlum. Ne porro malè rapiant, suus illis debet esse calceus, quo coerceantur. Eo te induit atque ornat prouida mater Ecclesia, cum ad aras ascendis.

Cum esses in sæculo, sæcularibus implexus curis, nudo eras pede, quia seruus tuarum passionum: vbi te in sua ministeria vocauit Deus, calceo donauit, & libertate filiorum Dei, voluitque vt subter te esset appetitus tuus, & tu dominareris illius. Cum esses in sæculo in Idumæam extenderas calceamentum tuum, tibi terra fors erat, atque possessio: at vbi venisti in sortem Cleri, calceo te Deus extulit, vt ipse esset hæreditas tua, tua possessio, vt exultabundus cum Propheta dicere posses. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, ô Deus meus, qui restitues hæreditatem meam; cœlum inquam, à quo per peccatum excideram: erat illud hæreditas mea ad quam animo, & votis redire contendam,*

168 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
tendam, vbi calceos, pios inquam affectus excitabo,  
terra, lutoque superiores: ab ijs capta veluti iam  
cœlestis patriæ possessione; immisitque in cœ-  
lum calceis, imò si voles, & manibus, exclamabo  
moræ impatiens: *quid mihi est in cœlo, & à te quid  
volui super terram.*

Cum esses in sæculo, dies propè omnis erat ina-  
nis & vacua, dies nubila ab affusa tristitiæ mole,  
que toties animo incumbibat, quoties aliquo te sce-  
lere pollueras: at vbi dignus effectus es, qui aris  
seruires, & Deo; tum liberâ mente, securaque con-  
scientia vultum explicasti, & cœpisti primùm gau-  
dere in Domino. *Non in sæculo*, inquit Anselmus,  
*sed in Domino, id est non in iniquitate, sed in verita-*  
*te, non in flore vanitatis, sed in spe eternitatis.*

Eam certè concipis vbi ex Ecclesiæ instituto cal-  
ceum accipis. Ecce quæ ab illo tibi sunt, & quam  
præclara morum documenta, quæ dum spectat,  
amatque in sponsa, animarum sponsus; exclamat,  
*quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia*  
*Principis.*

Hic mihi iniicitur diues argumentum, quæ sit il-  
la filia Principis? & quæ illius calceamenta? de his  
sua inter Sanctos Patres lis est, eaque adhuc sub Iudice.

*Hom. 24.*  
*in Ep. ad*  
*Ephes.* D. Chrystomo eiusmodi calceamenta sunt  
vita optima, morum integritas, & illibatus huius  
mortalis æui tenor,

D. Hie

D. Hieronymo, calceamenta sponsæ, est ipsa <sup>L. contra Iouin.</sup> castitas, & intactus puræ mentis decor, cuius gressus omnes, affectus omnes defæcati, mundi, pulchri in calceamentis filiæ Principis, vel vt habet alia lectio, *filiæ Aminadab*, id est populi sponte offerentis. Virginitas enim non necessitatis est, sed libertatis, non præcepti, sed consilij.

Diuo Anselmo calceamenta sponsæ, est austera pœnitentia, quæ corpus edomat, & affectiones omnes prauas debilitat, penitusque frangit. Alijs calceamenta sunt ipsa Dei præcepta, & si voles etiam consilia; per quæ mens libera, & amore sponsi excitata currit: ita ab ijs currere doctus, qui cecinit. *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum.* Rectè ait cucurri; nec enim in via virtutis lento, plumbeo, interruptoque pede eundum est; sed veloce, sed alato, sed continuo, nisi in ea elanguescere, imò & penitus deficere velis.

Aristoteles, cuius pectus naturæ veluti armarium nominare iure possum, in problematis suis quærit. Cur deambulationes breues, & interruptæ magis <sup>sect. 5. q. 12.</sup> defatigare soleant? Respondet hanc è natura, hominisque constitutione rationem erui posse; quia dum subsistitur, refrigerant in corpore spiritus animales, quibus omnis motus peragi debet; at si longior cursus, augetur magis, atque excitantur. Est vita ad virtutem, ad immortalitatem cursus, in eo si

Y hæres,

170 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
hæres, ipsa mora lentescit, torpescit, imò euanescit  
spiritus charitatis, à quo omnis melioris vitæ mo-  
tus; at si in cœpto tramite semper progredieris, ipso  
temporis, cursufque lapsu animatur magis, atque  
efferuescit.

Cassiodorus ea sponsæ calceamenta credit esse  
mortis memoriam, quam ex eo trahit, quod cal-  
cei è pellibus mortuorum animalium consuuntur.

Et hæc Interpretes fundunt in illa sponsæ cal-  
ceamenta, de quibus ad extremum adijciam D.  
Gregorij sententiam, cui calceamenta est ipsa Euan-  
gelij prædicatio, de qua illud Isaia, *Quam pulchri  
super montes pedes annunciantis, & prædicantis pa-  
cem, annunciantis bonum, & prædicantis salutem.*  
Sunt ij pedes Apostolici, qui non humili adrepunt  
solo, non valles amant, non abiecta sectantur, sed  
figuntur in montibus, in desiderijs collium æter-  
norum, ad quos aspirare docuit Ezechiel dum ex  
sponsi voto, oreque ad sponsam ait: *Calceavi te hia-  
cyntho*, violaceo, cœlestique colore calceos, id est  
affectus imbui, tum vt vita tua, & spes omnis terris  
superior, in cælis esset: vbi & ipse sponsus; tuus a-  
mor, ac delitiæ: tum vt præcellas, ac regios ani-  
mos indueres, concolores hiacyntho, qui regius est  
color. Vt hæc sunt virtutum magnarum decora;  
quibus tegi, ornarique mens debet, dum corpori  
calceus Sacerdotalis inferitur.

## §. 3.

*De Amictu Sacerdotali, ceu galea salutis.*

**S**acerdos ubi amictum capiti suo iniicit, ita superos omnes, Deumque orat. *Impone Domine capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incurfus.* Hic mihi erit agitanda vna quaestio, nodus vnus dissoluendus, quæ sit ea galea salutis? existimo cum ea conuenire, de qua Paulus ad Ephesios ait. *Galeam salutis assumite*: sed etiam de hac sua est inter Authores controuersia. Sunt enim qui vertunt *σωτήριον, salutarem*. Vox Hebræa est *iesca*, quæ salutem significat: quasi verò galea non modo salutaris, sed & ipsa quoque salus esse videatur.

D. Hieronymus, qui profundius in scriptura pedem figit, textusque varios explorat, ex Græco textu explicat. *περικεφαλαίαν σωτήριον* galeam saluatoris, vt insinuet Apostolus Saluatorem nobis esse debere pro galea, quæ caput nostrum ambiat, seruet, tueatur.

Et ista de nomine quaestio, de re certè ipsa fatis inter se consentiunt Interpretes: galeam illam esse spem salutis; seu eam esse voles decus illud animi, virtutem theologiam, seu etiam ipsum Saluatorem, quem vt spem habes, vt galeam assumis.

Contra hanc insolenti ausu, impio risu, scelerata voce incurrit, & arietat Lutherus, & Calvinus; qui cum seipsi exuissent galea Saluatoris; galea bonæ

172 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
spei, & desperationem induissent, atq; admisissent  
in animum, eam quoq; in saluatorem ipsum  
transferre voluerunt.

Lutherus certè, homo ad omnem impietatem  
natus, ad omne scelus prostitutus, hanc labem, &  
maculam inurit Seruatori nostro, vt eum asserat  
omninò desperasse, & à se procul abiecisse galeam  
salutis, nedum ea cæteros ornasse. Hæc sunt ipsius  
verba, quæ stylo notare placuit, & huic membranæ  
ferè renitenti imprimere, ad æternam ipsius igno-  
*In Ps. 22.* miniam. *Nisi dixerimus, inquit, Christum simul sum-*  
*mè iustum, & summè peccatorem, simul summè men-*  
*dacem, & summè veracem, simul summè gloriantem*  
*& summè desperantem, simul summè beatum & sum-*  
*mè damnatum, non videre possumus, quomodo à Deo*  
*sit derelictus.* Hoc impudens, & audax Lutheri faci-  
nus, hæc impia vox, atrox blasphemia in Christum,  
Dei filium, Seruatorem longè sanctissimum: in  
qua certè peccat contra naturæ leges, & pacta, con-  
tra prima Philosophiæ principia; contra placita  
Theologiæ, contra torrentem SS. Patrum, contra  
conscientiam & veritatem. Astruit enim in vno  
Christo re etiam ipsa conuenisse, & conspirasse  
summè contraria.

Est illud Aristotelis pronunciatum, est illa sa-  
nioris Philosophiæ vox: *contraria ab eodem subie-*  
*cto sese mutuò expellunt*; ita frigus expellit calorem  
à sua sede, & calor frigus euincit.

Contra hanc naturæ legem, Authorum fidem, rationis lumen, componit Lutherus in vno Christo summam iustitiam cum summo peccato, summam veracitatem cum summo mendacio, summam gloriam cum summa desperatione, summam beatitatem, cum summa damnatione.

Videte quod sceleris portentum, quod monstrum hominis: qui non tantum omnes naturæ leges infringere audeat: sed & ipsi Seruatori, ipsi Deo insultare, & immanissimi sceleris colluione fœdare. Vt mirum sanè videri debeat: orbe toto inueniri potuisse vel vnum aliquem adeò abiectæ sortis, desperatæque salutis hominem, qui eius doctrinæ auditor, & assecla esse voluerit. Voluerunt tamen (quæ summa est miseria) voluntque etiamnum plerique: imò voluit & ipse Calvinus mali corui malum ouum, qui cum & Christum, & galeam salutis abiectisset: audeat & eadem exuere Seruatorem suum, & summa desperatione obruere. Profert enim in suis institutionibus, & in pugillares, ac ceras effundit hanc de Christo blasphemiam.

*Christus diros etiam in anima cruciatus damnati, ac* 1. 2. Instit. c. 16. §. 10.  
*perditi hominis sustinuit.* Et quia ad has voces, & aures lacerantur, & animi perhorrescunt, vt stuporem illum, sacrumque horrorem sistat, tam impie propositionis rationem adiicit. *Desperatione obrutus ab inuocando Deo destitit.* In c. 27. Math.

Tractat eo loci Calvinus illa Christi expirantis verba. *Eli, Eli, lama sabaethani, Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* ab illis verbis iterum clamans voce magna, expiravit, vitamque posuit, veluti piacularem hostiam pro salute generis nostri. Calvinus, qui prodigium illud amoris suspicere, ac venerari debuit, impiè ad flagitium detorquet, dum vult ita clamantem desperasse, & desperatione obrutam animam exhalasse. Sed discedamus ab ijs scelerum monstris: adhæreamus magnis illis Diuis, Paulo, & Hieronymo, ipsumque Christum fateamur nobis esse galeam salutis, qua in hac vitæ militia, inter aduersos hostium cuneos, æstusque armorum, tuti, & securi simus. Quod solatio, quod honori debet esse sacrationibus Ecclesiæ ministris, qui vna cum amictu, Christi præsidium, quasi salutis galeam altis capitibus imponunt: & simul cum eo spem aternæ vitæ, ac beatitatis. Et hinc transeo ad alteram sententiam, quæ galeam salutis contendit esse spem firmam aternorum. Varia apud Antiquos fuere spei symbola.

Romanis Flosculus spei bonæ symbolum fuit, maximè verò lilij gratia, candorque; quem in varijs nummis expresserunt.

In nummo Imperatoris Claudij, Publij, Titij, eminebat Dea, quæ pallam læua sustinebat, dextra iactabat lilium cum hac epigraphe: *Spes publica.*

In

In Titi Claudij nummis spectabatur eadem Dea,  
hoc ascripto lemmate. *Spes augusta.*

Denique in Hadriani nummo Dea liliū iac-  
tabat hac adiecta inscriptione. *Spes populi Romani.*  
Ita lilia amavit Romana pubes, & ijs sese in spem  
meliozem erexit.

Huius rationem offert natura, altiorque culmus  
quo assurgit, se humili solo erigit, & floris sui ho-  
norem liliū explicat, odoremque diffundit.

Alterum bonæ spei signum tulit eadem Anti-  
quitas, & luci dedit, fuit illud *Anchora* de qua vas  
electionis Paulus. *Fortissimum solatium habemus, Ad He-  
braeos 6.*  
*qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam  
sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam,  
& incedentem usque ad interiora velaminis, ubi  
præcursor introiuit pro nobis Iesus.*

Hoc mundo, velut irato mari iactamur, alter-  
nos æstus patimur, & impiorum malevolentia, ve-  
lut aduerso vento, procellisque agitamur. Hos inter  
fluctus, timendosque turbines, *spem habemus sicut  
anchoram animæ tutam, ac firmam.*

Eam iacimus, non in arena, non in profundo:  
sed in summo: est enim illud discrimen inter spem  
bonorum, & malorum: quod hi spei suæ ancho-  
ram abijciant in terras fluctuantes, leues, areno-  
sas, demergant in profundum fluentis aquæ, id  
est vitæ, fortisque mortalis: at illi spes omnes  
suas

176 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
suas iaciunt in summo, in cœlo, Deoque figunt.

Aliud diuinæ spei hieroglyphicum est galea,  
illud à militia, armisque petitum.

Est caput sedes omnium sensuum, est domici-  
lium magnæ mentis, est officina altissimarum co-  
gitationum, quod ideo tegi debet, & armari *galea*  
*salutis*, id est sanctæ spei; quæ cum galea rectè com-  
ponitur: quod enim hæc capiti, hoc illa est animo.

Caput cætera corporis membra seruat, mouet,  
regit, tuetur, ideoque plurimum interest ad homi-  
nem totum vt illi benè sit: si enim ei ab inflicto  
vulnere sit malè, si ferro cadat, eodem casu conci-  
dunt omnia membra.

Caput hominis est ipsa mens, cogitatio, inten-  
tio, amor: ab illis ducuntur, & pendent actiones  
cæteræ: debet proinde illa mens, & amor obtegi  
*galea salutis*, spe diuiniore, qua cogitationes, om-  
nesque animi, & affectionum impetus in Deum  
flectat, versetque velut in finem, scopumque beati-  
tatis. Et hoc orat, atque vtinam exoret Sacerdos cum  
ait. *Impone Domine capiti meo galeam salutis, ad*  
*expugnandos diabolicos incurfus.*

§. 4.

*Manipulus fletus, & doloris.*

**V**bi manipulum brachio inserit Sacerdos, sibi  
vbere, ac propitio cœlo elabi postulat copio-  
sos lacrymarum imbres; vt impetret, hac supplex  
vtitur

vtitur oratione. *Merear Domine portare manipulum fletus, & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.*

Lacrymas amat, ambitque sacratus Mystes, conficius tum vitæ malè quondam actæ, tum iniquitatum populi, cuius vices hac in parte agit. Et verò quid aliud eo loci, ac temporis efflagitet, cum sese apparat sacrificio, quod pro eluendis vniuersi maculis offerri solet. Certè quotquot terra pœnitentes tulit, quotquot pro se, pro alijs Oratores cœlum aspexit, ij omnes in lacrymas fuere effusissimi.

Iudæa Dauidem sceleri indulgentem primum est passa; deinde lacrymantem vidit, & indoluit: audiit enim non sine mœroris sensu regias illas pœnitentis animi voces. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* In <sup>7.</sup> Hebræo est. *Natare faciam lectum meum, stratum meum liquefaciam.* Diceres ei oculos abiisse in fontes, torrentes, imò & ipsa lacrymarum flumina, ac propè maria, quibus non eluitur modò, sed innatat, sed immergitur.

Iisdem deinde mersus & Petrus de quo vnum illud, *fleuit amarè.* Non meminit Scriptura humilis <sup>Math.</sup> confessionis, quæ tamen non abfuit, non gemituum, & singultuum animæ dolore fatiscentis; non austeræ pœnitentiæ, à qua in cinere, & cilicio dormijt. Sed tantum fletus, nimirum vt benè Chrysostomus.

Z

sostomus.

Hom. 24.  
in Ep. ad  
Ephes.

Chryso-  
stomus. *Linguam præcurrebant lacrymæ*, eæque  
pro voce, pro suspirijs, pro salutari erant pœniten-  
tia. Vidisti qui pro se, pro suis olim delictis in vbe-  
res lacrymas excesserint; vide modò qui etiam pro  
alijs facti cœlo supplices, & oratores.

Act. 20.  
v. 31.

Habuit enascens Ecclesia Paulum, inter Aposto-  
los ultimò genitum, eumque amavit vt Beniami-  
num, vt pupillam oculi. Et hic in lacrymas pro-  
fusus: crederes illi vni incubuisse aliorum omnium  
scelera, vt ea suo fletu, sacroque imbre detergeret. Ita  
enim de se ipse loquitur. *Per triennium nocte, & die  
non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque  
vestrùm.* Quem locum æquis oculis dum legit  
Chryso-  
stomus, & æqua iudicij lance pensat; atto-  
nito similis exclamat. *Ex quonam fonte tanta ema-  
narunt fluentia, vt ex illius oculis lacrymæ?*

Vbi fontes omnes in ius quodammodo, certa-  
menque cum lacrymis Pauli vocauit, putauitque  
ijs iam cessisse, & palmam dedisse, tum ait. *Quem-  
nam fontem vis comparare cum his lacrymis? eumne  
qui est in Paradiso, qui irrigat vniuersam terram?  
sed nihil dices æquale.* Audet Chryso-  
stomus torren-  
te aureæ eloquentiæ, Pauli lacrymas fontibus om-  
nibus antepone, etiam vbertate fluendi, & palanti  
agrorum irrigatione. Nimirum in Paradiso sur-  
gentis Ecclesiæ, erant Pauli lacrymæ, quod fons ille  
è Paradiso in reliquam terræ superficiem emanans.

Hic

Hic perenni rore, aquarumque exundantium fluxu, arentes terras irrigabat, & maligna sterilitate damandas donabat vberem fructuum copia: at Paulus hiantia peccatorum corda, & steriles animas opportuno lacrymarum imbri ita perpluebat, ut & herbescentem boni exempli viriditatem, & amœnos virtutum flosculos, & redundantes gratiæ, gloriæque fructus, in cœlum, in horreum æternitatis efferrent. Tanta in illis lacrymis, in illo fonte, imbrique vis fuit. *Portabat nimirum Paulus, manipulum fletus, & doloris: ut cum exultatione reciperet mercedem laboris; salutem animarum, quibus eæ currebant lacrymæ, fletusque effundebatur.* Sed hic, inquires, amarus est; qui si minus sapit, excipe quas olim fudit, bibitque lacrymas Sanctus Ignatius. Hic inter sacrosancta Missarum solemnia totus à tenero sensu pietatis colliquescere, totus in fletum resolui, & eo quidem ut non semel oculorum, & cœcitatæ periculum adierit, necessumque ei fuerit ut à Domino peteret lacrymarum frœnum, vimque laxandi cum vellet, aut coercendi, cum ita ad tuendas vitæ reliquias videretur. Poterat ille cum Dauide dicere: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Vel ut habent septuaginta. *Exitus aquarum descenderunt oculi mei.* Habet nimirum inquit Ambrosius: *Habet hoc vis summi doloris, imò & amoris, ut cum lacrymis oculi quodammodo*

180 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
dammodo ipsi videantur descendere, eo quod tanta  
vis lacrymarum sit, ut putentur oculi in fletu re-  
solui, & in lacrymas effundi.

L. 3. de  
Eccles. c.  
24. Ad eam profusionem nos tacite inuitat mani-  
pulus, quem brachio circumferimus. Et prisca Sa-  
cerdotes hac de causa sudario utebantur, nos mani-  
pulo de quo Amalaricus. *Propter effusionem lacry-  
marum tergendam fertur sudarium*, quod Beda  
*mappulam*, nos *manipulum* dicimus. Eo usus Anti-  
quis, & nobis erit duas ob causas, vna, vt excipiat la-  
crymas, quas inter sacra mysteria, deuotio, piusque  
animi sensus elicit.

1oel. 2. Altera, vt Ecclesie ministros euocet ad socios ge-  
mitus, ad singultus poenitentiae, ad lacrymas pro  
peccatis populi vbertim effundendas. Est enim  
iam inde a primis saeculis, & Prophetarum calamo  
haec scripta Sacerdoti lex. *Inter vestibulum & al-  
tare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & di-  
cent: parce Domine, parce populo tuo.*

In Ps. 50. Parcet enim uero, parcat lacrymis: sunt enim il-  
lae veluti spongia ad eluendas vitae perperam actae  
maculas. *In codice*, inquit Chrysostomus, *scripta  
sunt peccata tua. Spongia peccatorum tuorum lacry-  
mae tuae sunt. Effunde lacrymas, & poteris ea delere.*

Malach. 3. v. 2. *Sunt lacrymae herba caelestis illius fullonis, quae ve-  
stes Seruorum suorum deturpatas a sordibus quotidie pur-  
gant.* Ita Augustinus sua bene doctus experientia.

mo.

Sunt

Sunt lacrymæ, vt eleganter Petrus Cellensis, nau-  
 fragium vitiorum, portusque naufragatorum. A <sup>L. de pu-</sup>  
 tuis peccatis, ceu elatis, ac tumultuantibus vndis <sup>nibus ca-</sup>  
 tibi videbaris naufragium facturum, & vero fecisses, <sup>12.</sup>  
 nisi lacrymarum eluuiæ, ceu meliore naufragio, il-  
 lud ipsum scelus obruiffes.

Sunt denique lacrymæ pro baptifmo altero, quo  
 maculæ iam inde à primo vitæ liminæ contractæ  
 detergantur: ita immanem illam Petri labem, in-  
 fanda periuria, & abnegati per summum nefas Do-  
 mini, illatamque cælo iniuriam eluerunt illæ ipfæ  
 lacrymæ. *Fœlices*, inquit Leo, *fœlices, Sancte Apo-* <sup>ser. 9. de</sup>  
*stole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam abne-* <sup>Pass.</sup>  
*gationis, virtutem sacri habuere baptismatis.*

Non illius tantum, quod in aqua peragitur, sed  
 etiam, quod stupeas, eius, quod fuso sanguine perfici-  
 tur. Non paterer è calamo meo in chartam efflue-  
 re propositionem illam, nisi pro ea vadem, ac spon-  
 forem haberem D. Chryfostomum, qui quot ore  
 syllabas, tot orbi voluit sacratoris eloquætiæ fontes.

Hic pro aurea facundiæ suæ licentia, lacrymas  
 pœnitentis animæ cum baptifmo sanguinis cõpo-  
 nit. Da mihi hominẽ aliquem in quem confluxerit  
 omnis eâ peccatorum eluuiæ, quæ vniuerso spar-  
 sa est, is eam effuso, Christi causa, cruore, vitaq; per  
 supplicia extorta, detergere potest: tanta vis in san-  
 guine, sanguinisque baptifmo vel ipso cælo Iudice.

Dicamne peccatori lacrymas id esse, quod Mar-  
*In Ps. 50.* tyri suus est sanguis, dicam enim uero. *Dicam*, in-  
 quit Chrysofomus, *tibi quid ualeant lacrymæ; at-*  
*tende diligentius. Quid Martyribus maius, qui ani-*  
*nam suam ponunt pro amico suo? grandis gloria*  
*martyrum. Martyres effundunt sanguinem, pecca-*  
*tores effundunt lacrymas. Meretrix illa non fudit*  
*sanguinem, sed fontes lacrymarum profudit, & de-*  
*leuit peccata sua.* Et hæc de piarum mentium lacry-  
 mis, quibus calamus meum imbuit *manipulus*  
 Sacerdotalis, pietatis, ac commiserationis insigne.

## §. 5.

*Stola Immortalitatis.*

**V**Bi stolam sibi circumponit sacris ordinibus  
 initiatus, ita superos, Deumque compellat.  
*Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam*  
*perdidi in præuaricatione primi parentis.* Natura,  
 Deusque in prima uniuersi molitione hominem  
 ediderat à corpore omninò nudum, probè tamen  
 ab innocentia, ceu veste, stolaque tectum.

Ab hac erat illi amœna sedes, ea propè beata Pa-  
 radisi regio, in qua molles auræ, zephyri lenes, pu-  
 rus, & defecatus aër; blanda omnia, & amabilia.  
 Nihil erat quod corpori graue, & noxium, quod  
 valetudini, vitæque immortali iniurium appellere  
 posset. Hæc bona Adamo dederat orbis infantia,

tota

tota lactea, doli, malive nescia, in qua quamdiu hæserit incertum.

Beatus Ephræm eo labitur, vt velit fœlicem illum innocentia statum, vnum tantum diem durasse; creatus enim homo die veneris hora nona matutina, Paradiso pulsus hora tertia pomeridiana, qua & peccauit: breuis sanè, modicaque voluptas: vna dies, quæ & hominem fœlicem vidit, & miserum luxit; Paradisi colonum, & hospitem habuit, & exulem, extorremque emisit.

To status credidit Adamum altero à creatione die, id est sabbatho peccasse, & amœna regione depulsum. Pererius Paradisi Dominum & cultorem facit ad octo dies, quibus tenuit innocentia, tum octauo peccati reum, & suæ sedis exulem.

Alij quadraginta dies numerant: vt quia lapsis deinde sæculis secundus Adam in deserto fuit quadraginta diebus, dicatur & primus tanto temporis interuallo in Paradisi delitijs fuisse. Alij moram faciunt longiorem, & ducunt in annos: volunt enim tot annis Adamum in Paradiso fuisse, quot in terris Christus, adeoque annis triginta tribus, eoque amplius.

Hæc sententiarum Authorumque inter se pugna facit vt res adhuc sub lite sit, & in alta nocte: Interea dum aspiret dies, certiorque lux veritatis affulgeat, media gradiamur via, dicamusque quod  
vero

184 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
vero propius est, Adamum octo diebus in Paradiso  
fuisse.

Addamus deinde, quod extra controuersiam est:  
peccato illi adhæsisse infana pœnarum monstra,  
statim enim eum inuasit labor, sudor, soli maligni-  
tas, morborum infanda cohors, mors denique ipsa,  
ultima miserabilis vitæ meta, & centrum malo-  
rum omnium.

Cum ab innocentia suus esset Adam, & Dei, nec  
morbum de nomine nouerat, nec mortis telum:  
illum è corpore velut mali officina peccatum euo-  
cauit, & hanc Deus in orbem inuexit: sensit enim  
illud Dei vindicis fulmen, *Puluis es, & in puluerem  
reuerteris*. Ab eo cessit concessa vitæ immortalitas,  
& constans beatoris æui tenor, & successit amara  
mors, & inconstans, ac varia morborum eluuiæ;  
quæ vitam vel miseram facit, vel omninò perdit.

Et quia tanti mali, & auitæ cladis meminit Sa-  
cerdos, optatque qua potest, in pristinum gradum  
restitui, supplices cœlo manus extendit, oratque.  
*Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam  
perdidi in prauaricatione primi parentis, & quæ illi  
prima fuit, posterisque omnibus prima esse debuit.*

Vbi adolescens ille Prodigus abiit in regio-  
nem longinquam, & ab ea qua luxuria, qua fame,  
qua miseris exesus, ad se, ad parentem redijt, ab illo  
L. 15. audijt: *citò proferte stolam primam*. Eam nimirum  
abiecerat

abiecerat infœlix adolescens, paternæ substantiæ, bonorumque mirum quantum prodigus: immemor iniuriæ, memor clementiæ, paternæque commiserationis iterum, iterumque ingeminat illud bonus parens. *Citò proferte stolam primam.* Quæ sit illa? ne crede eam esse vnâ, qua corpus mortale tegitur; sed & aliam maximè qua immortalis ornatur animus; qua summam apud superos inuenit gratiam.

Eam è terris in cœlos ipsos dum efferret Christus, à superis omnibus, à beatarum sedium accolis excepit illud. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctus vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ.* Quis ille si quæris, disces ex Augustino. *Hic est, inquit, ille candidus, & roseus, hic est ille, qui non habuit speciem, neque decorem. Infirmus in laqueo, fortis in spolio; vilis in corpufculo, armatus in prælio; fœdus in morte, pulcher in resurrectione: candidus ex virgine, rubicundus in cruce; fuscus in opprobrio, clarus in cœlo.*

Si rursus quæris vnde ea species, ea lux, quæ sidera vincat, quæ superos omnes atronitos habeat? intelliges esse à stola immortalitatis, quam deuicta morte, calcatis inferis induerat. Si denique cur victi inferi? cur ad pedes abiecta mors? audies, quia *lauit in sanguine vne pallium suum, & stolam suam fuso cruore diluit.*

A a

Erat

Erat ea stola mortale corpus, quod ab immenso illo sanguinis profluio immortalitate donatum est, erat *pallium Ecclesia, quam corpori suo iunxit*, inquit Isidorus vt esset sine labe, sine macula, sine ruga, & quam aliquando immortalitati reddet. Eam dum expectat, & piè ambit Sacerdos, lauet & ipse in sanguine vultus, in sanguine Christi pallium suum, & ab illo vitam hauriet, & stolam quam petit, immortalitatis.

S. 6.

*Cingulum Castitatis.*Ad  
Ephes. 6.

**H**Æc olim forti mente, martioque calamo ad Ephesios Paulus. *State accincti lumbos vestros.* Nimirum iam inde ab ipsis Ecclesiæ cunis, primaque infantia, bella moueri sensit, aduersaque vidit agmina; in quæ ne inermis, & imbellis incurreret Christianus miles, arma cudi, atque expediri iussit, & sua quemque statione consistere. *State*, inquit, *accincti lumbos.* Hæc prima sacræ militiæ lex, in eam quisquis venit, ne sese terris abijciat, ne segnis, lentusque sedeat. Sed stet in pedes.

Imperatorem stantem mori oportere censuit ex Antiquis non nemo; ego vero christianum militem & stantem viuere, & stantem mori oportere verius dixero; & certè etiam dixit Apostolus.

Ne quis porrò animo proiectior, eam stationem detrectet, ex eoque damnare audeat, quod hosti  
obuia

obuia sit, quod periculis, aduersoque ferro pateat: arma, cingulumque producit magnus in Christi militia heros, & generosus Athleta Paulus: illudque ab eo accipit Sacerdos sacris operaturus, vel ut in hac via mortali peregrinus, vel ut cœlestis sponsus, vel denique si mauis ut miles, ut Christi pugil futurus.

Hinc illæ voces plenæ animi, ac pietatis: *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis: ut maneat in me virtus continentia, & castitatis.*

Quamdiu in hoc orbe pedem figis, terra tibi exilium, patria cœlum est, in hoc tendis per auia, & inuia, per ardua locorum, ac difficultatum, quas ut superes cingulo opus est.

Certè ex diuino nutu, ac præcepto Hebræus eo usus fuit, cum ex arido Ægypti solo, durâque seruitute excederet in terram Chanaan, terram lacte, & melle manantem: Tum enim audiit diuinum illud oraculum. *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus.* Exod. 12. v. 11.

Quisquis hinc agis, & hunc aërem spiras, si nescis, terra tibi Ægyptus est, sitiens & arenosum solum, extorris, & exul regio, in qua longa seruitute, durisque laboribus exerceris. Egredere ex Ægypto, elabere ex his vinculis, teque patriæ meliori, id est libertati, & cœlo redde, utque reddas, accinge lum-

188 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
bos tuos, & baltheum vt peregrinus indue, imò si  
voles, etiam vt sponsus.

Inter varios ritus, quos olim in sponsis spectauit  
Antiquitas, morum, fideique magistra, hic etiam  
fuit, vt noua nupta cingulum gestaret, eoque probè  
cingeretur: nec vlli illud soluere datum est, nisi  
marito, ipsâ nuptiarum die, toro coniugali: quo  
primum solui virgineus pudor, & marcescere in-  
noxia ætatis flosculus; quem hæctenus intactum,  
illibatumque strinxerat, seruaratque cingulum,  
insignis castimonie certissimum argumentum.

Habet in eo ritu, quod legat, atque imitetur  
Clericus accinctus cingulo castitatis. Legit in eo  
diuinæ bonitatis inclinationem, portentumque  
caritatis, à qua eo sese abiecit altissimum Numen, vt  
pusillæ homuncionis vnius animulæ sponsus esse,  
& dici vellet, & quidem sponsus sanguinum: nec  
enim illud nomen sibi fecit, nisi effuso per atrocis  
supplicia, sanguine: & illud est quod in ijs spon-  
si typis legere, quod amare debet anima, Christi  
sponsa.

Habet & illud quod imitetur, arctissima cingu-  
li, id est castæ mentis, vincula, arrham amoris, si-  
gnum datæ, & acceptæ fidei, quam nulla manus  
tangere, nedum soluere audeat. Hoc cingulo teneri  
voluit Deus tribum Leui, quam sibi præ cæteris sa-  
cram, & sponsam elegerat, vel ipso nominis indicio.

*Leui*

*Leui* Hebraicè idem est, quod *electus* vel *assistens* Deo, vel denique, quod *mauelim*, *Leui*, est *meus*. Hæc enim omnia iactat vnum idemque nomen, quod non aliquo linguæ lapsu, hominumque instituto inditum crede, sed singulari Numinis prouidentia, quæ in nominibus ludere amat, & futuris bonis præludere.

Audijt illa tribus electa, assistens, Deique tota, à singulari studio castitatis, quæ in illa eminere debuit: imò & legi.

Erat Rationale Sacerdotis duodecim gemmis illustre, & in singulis singula tribuum nomina, affabre incisa, atque vt cætera taceam; *Leui* nomen capiebat eximia Smaragdi vnus area. Quæ enim potius?

Valeriano teste, Smaragdus symbolum est castitatis, vt qui nec venerem, nec libidinem patiatur. Ferunt enim eius esse naturæ, vt si quis eum gestet, & veneri vacet, illicò disrumpatur, & pereat totus: tantum illius odium etiam in lapide, gemmâque sensus expertè, imprimere natura potuit. Atque vtinam in ijs impressisset, quos venire voluit in sortem *Leui*, nobilem Clerum, Deique hæreditatem: tum enim conueniret quam optimè idem nomen *Leui*, electus, assistens, Dei totus. Erit autem is à castitate, à qua illi inscribet Deus, *meus es*, & meum tibi appingetur nomen.

Aa 3 Fuit

*D. Hier.  
Tom. 3. l.  
de vest.  
Sacerd.*

*L. de  
Smaragdo.*

Fuit ille cœli ludus: viros ab insigni virtute illustres, in diuini nominis communionem asciuit. Dauidi quondam in vxorem cesserat Michol ex Saulis placito, verum vt varia regum studia, dubiusque fauor, contra pacta, legesque coniugij, filiam suam alteri viro tradidit, cui nomen *Phalti* filio *Lais*; postea verò inclinata in Dauidem meliore fortuna, *Isboseth* in eo parente æquior, sororem suam Michol Dauidi reddi voluit. *Tulit eam à viro suo Phaltiel filio Lais, sequebaturque eam vir suus plorans usque Baburim.* Hęc est summa, & breuis historiæ series, in qua Sancti Patres, qui omnes Scripturæ apices explorant, studiosè quærunt, cur primum ille cum vxorẽ acciperet dictus *Phalti*; cum vero eandem Dauidi redderet, *Phaltiel* appellatur? *Caietanus* ait: *Phalti* quidem, vt Sauli cederet, accepisse Michol in coniugem, ab ea tamen omninò abstinuisse, & intactas, illibatasque seruasse tori leges.

Quæ continentia castę mentis, ad eò superis omnibus, Deoquẽ placuit, vt ab illa venerit in consortium, partemque diuini nominis, & qui prius apud mortales *Phalti* vocabatur, apud immortales *Phaltiel* audiret: quod ad summam continentię laudem facere videtur. Ita nimirum cœlo amabilis, imo adorabilis castitas, quam etiam agnouisse visus est Dauid, qui vt Posteros ad illius amorem accenderet; ita ore regio monebat.

1. Reg. c.  
25. v. 44.

2. Reg. c.  
3. v. 15.

*Apprehendite disciplinam*, vel vt alij : *osculamini filium*, vel quod omnium optimè ad meum institutum nonnulli vertunt. *Adorate virginitatem*. Quidni enim ei debeat adoratio, cui & ipsum Dei nomen conceditur? Sed cur, inquires, hoc vnum *el*, cur non alia nomina, quæ supremo rerum Moderatoriascripsit Antiquitas? res nõ vacat mysterio.

Hebræis augustum illud, diuinumque nomen *el* idem est ac *fortitudo*, & *victoria*. Hæc castitati manus, & palmas concedit: est enim ea fortis, & victrix, eoque fortior, qui aperto Marte, explicatisque copijs ferro, & igne vrbes edomat. Sponsorem habeo sapientem, cuius ex voces. *Melior est pa-* Prou. 16.  
*tiens viro forti, & qui dominatur animo suo expu-*  
*gnatore urbium. Et omnis ponderatio non est digna* Eccl. 26.  
*continentis animæ.* Ab illo robore puræ mentis inua-

luit ille mos apud Romanos, vt si Imperator curru triumphali vectus, inter festiuos plausus, & acclamationes, inter spolia, hostiumque exuuias, occur- D. Hier. l. cont. Iouiniã.  
reret vel vni virgini è Vestalibus, ei de via cederet.

Quod virginitatis robori, laureæque debebatur; maior enim illius triumphus, quam armorum, & seipse, carnemque indomitam vincere augustius est, quam hastatas acies, & inimica agmina subiugasse. Vt proinde mirum videri non debeat, si magnus ille Christianæ militiæ dux, & antesignanus, vbi suo militi arma parat, det cingulum, quo lum-

bos,

192 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
bos, ac renes, luxuriæ, venerisq̄ue sedem cingat,  
obsideat, frænet, penitusq̄ue edomet.

§. 7.

*Alba Sacerdotalis; ceu lorica Iustitiæ.*

**D**Vrandus, alijq̄ue Patres, qui Romanæ Eccle-  
siæ mystas vestibus sacris, ceu armis regi,  
muniriq̄ue volunt aduersus hostium incursus, al-  
bam ijs concedunt pro lorica, seu camisia militari,  
quæ corpus operit, ac velat. Neque verò improbari  
potest ea vestium, & armorum allegoria, prius ta-  
men quam probetur, præmittamus pauca de ma-  
teria, de colore, quo nitet alba, oculosq̄ue spectan-  
tium allicit.

Infælix Adam à peccato non tam corpore, quam  
animo nudus, vt illius artus à mala conscientia tre-  
mulos firmaret, pudoremq̄ue qui ijs spargi cæperat  
*Gen. 3. v. 7.* obtegeret, consuit folia ficus, & sibi, Euæq̄ue coniu-  
gi fecit perizomata, malo fortasse consilio, vt vi-  
ridibus indutus folijs, vernantem ætatem testare-  
tur: sed perperam: verno colore nitere non potest  
ætas, quæ vel ab vno scelere marcescit. Et certè Ada-  
mo, Euæq̄ue statim emarcuit: venit enim Deus  
*Gen. 3. v. 8.* *ad auram post meridiem*, qua parte sol in occasum  
tendit, vt vel ex eo occasum illis portenderet; &  
*v. 21.* pro vernantibus folijs, *faceret eis tunicas pelliceas*,  
has enim præ cæteris aptauit, vel vt extrinsecus  
belluina

belluina veste vterentur, qui intrinsecus belluinos animos admiserant, vel vt in veste mollitiem, luxumque fugere docerentur, vel quod malim, vt è pellibus mortuorum animalium, & ipsi mortis admonerentur.

Sacerdoti qui nouum hominem induit qui secundum Deum creatus est, alia Diuorum nutu parata vestis, eaque non è pellibus, sed è lino. *Quod*, vt ait venerabilis Beda. *De terra procreatum, longo iam exercitio, suum peruenit ad decorem, idèoque candidissimam castæ mentis mortificationem designat.*

Lanea vestis è carne gignitur, linea de terra virgine, hæc aris nascitur, illa haris innutritur, & ex animali mortuo detrahitur; ideoque minus est apta sacris vsibus, ac Sacerdotibus, quorum vita nullum habere debet cum carne commercium, nihil *mortuum sapere*, vt piè, doctèque aduertit Beda. Et hæc <sup>*L. 3. de taber. c. 8.*</sup> de materia per transfennam attigisse suffecerit, vti & pauca de colore subiecisse.

Est ille candidus, & niueus, index candidæ & sinceræ mentis, testis lætitiæ, exultationis, imò & beatitatis. Ita quondam eo colore sua vestimenta tingi voluit Seruator optimus, cum in monte Thabor, *resplenduit facies eius sicut sol: & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* <sup>*Math. 17.*</sup>

Ita deinde cælestes genij ad sepulchrum Magdalænæ pro Domino sollicitæ sese obiecerunt, vt eo

B b

candore

candore luctum, atramque vestem monerent esse deponendam. Ita denique ab eadem cœli niue  
*Apo. 7.* candescere voluit Agnus puras illas, virgineasque mentes, quas D. Ioannes in excessu vidit stantes ante thronum, & in conspectu Agni amictas stolis albis: quas enim aptius induerent beatitatem iam consecutæ? certè si in hac mortali vita, dies cæteris foeliciores calculo albo signari placuit, non displicebit eodem colore tingi æuum omne beatitatis.

Et ista de colore Albæ Sacerdotalis dicta velim, vt mysta cum eo simul assumat candidos mores, exultantes animos, & gestientes spe præconceptæ iam beatitatis. Quod si ab illa niuex mentis lætitia, etiam ad luctum aliquem rapi te velis, & in Alba Saluatoris tui opprobrium videre, ac lugere; non ero ab eo alienus, facileque patiar te Alba indui, vt recurat animo vestis alba, qua per summum nefas, ac ludibrium infanus Herodes Christum, vt amentem militari turbæ obiecit irridendum: sic enim etiam venies in partem illius ignominia, in quam eò loci ac temporis Dei filius, cœli honos, ac delicia visus est incurrisse. Sed quia hæc Alba, apud Antiquos etiam audit, militaris camisia, ab ea calamum alio duci permittes, & ad castra, sacramque aciem detorqueri.

Vbi sacre militie tyronem cingulo Paulus astringit, tum lorica expedit, eamque Iustitiæ, ac æqui-  
 tatis

tatis, qua pectus, cordis, & vitæ sedem inuniat, hostique reddat imperium: *state, inquit, indui lo-* Ad E-  
phes. 6.  
v. 14.  
*ricam Iustitiæ.* Vlpiano *Iustitia, est constans, & per-* L. Iusti-  
tia D. de  
Iust. &  
Iure.  
*petua voluntas ius suum cuique tribuendi.* Est illa virtus decus, & ornamentum humanæ mentis, domiciliumque in voluntate fixit, illamque suo quasi pondere eo inclinat, ac trahit, vt quod ratio, quod æquitas, & iura postularint, id cuique ex recti, bonique lege concedatur.

Eam Iuris periti partiuntur in commutatiuam, distributiua, legalem, & si pateris, etiam vindicatiua.

Commutatiua est, quæ priuatum cum priuato ita necit, vt suum huic, & illius cedat.

Distributiua Rempublicam spectat, & capita, fontesque publicæ beneficentiæ ita dirigit, vt non fluant in immeritos. Et hæc maximè cadit in viros Principes, Iudices, ac Magistratus.

Legalis ciuem cum Republica ita iungit, vt illius bonum velit, ac procuret, tanquam illius pars, membrumque magni corporis.

Vindicatiua animaduertit in delinquentes, & æquam sceleri pœnam constituit.

Hæ partes Iustitiæ, hæc Virtutum seu præsidia, seu ornamenta, quibus sacratoris disciplinæ milites, duces, Pontifices decorari vult Apostolus. Et certè meritò: sunt enim ijdem & Ecclesiæ Princi-

176 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
pes, & totius populi Iudices, quibus eo nomine vel  
maximè conuenit Iustitiæ ratio, atque æquitatis,  
cuius leges hîc describemus.

PRIMA IUSTITIÆ LEX.

**C**ommune bonum spectet Iustitia, neque sese  
angustis quibusdam limitibus contineri pa-  
tatur; sed effundat quaquauerfum, & omnes om-  
nino complectatur.

Huius legis, & æquitatis symbolum aliquod  
agnoscit, & amat D. Ambrosius in Euphrate. Ex  
amœna Paradisi sede in arentem reliquæ terræ su-  
perficiem effluxere quatuor omninò flumina, Gan-  
ges, Nilus, Tigris, Euphrates; quibus quatuor præ-  
cipuarum virtutum hieroglyphica volui credit:  
*flumina, inquit, ista, quatuor quedam sunt fluentia*  
*virtutum.* In Gange Prudentiam, in Nilo Tempe-  
rantiam, in Tigri Fortitudinem, in Euphrate Iu-  
stitiam laudat, & commendat.

L. de Pa-  
radiso c.  
9.

Tum deinde hanc inijcit quæstionem, cur tri-  
bus illis fluuijs certæ describantur regiones, quas  
alluant, & fœcundent; Euphrati verò nulla præ-  
scribatur terræ plaga, solum omninò nullum, quod  
præterfluat, & suis aquis imbuat? Scriptura teste  
Ganges Indiam, Nilus Æthiopiam, Tigris Syriam  
lambit: at de Euphrate altum in sacris paginis silen-  
tium. Quæ causa?

Ne crede id casu factum, ne suspicare è Moyfis  
calamo

calamo excidisse: & certè si excidit, amabili Dei prouidentia dicitur excidisse, vt in eo pulcherrimæ virtutis imaginem expressam agnosceres, & antiquum aliquod Iustitiæ monumentum.

Iustitiam inter, aliasque virtutes hoc interest, quod hæc vni quodammodo supposito suo studeant, vni seruiant, & consulant: at Iustitia alijs vacat quam maximè.

Prudentia dicat, quid tibi, in quaque occasione faciendum, quid sequendum, quid fugiendum.

Temperantia, iram, & libidinem, aliosque insolentes animi motus, æstusque regit, ac coercet.

Fortitudo timorem expellit, & nimiam abiectæ mentis demissionem erigit, ac sustinet. Itaque à Prudentia, Temperantia, Fortitudine vni tibi est benè: sed à Iustitia, alijs quam optimè; neque enim teipsum, tuumque bonum hæc attendit, sed aliorum iura, commoda, facultates aspicit, & tuetur; atque à se quodammodo abit, vt in alios transeat, eorum saluti, incolumitati, bonoque prospiciat.

Ne verò vni mihi sit fides, iuuat audire quid de ea sentiat, quid loquatur Ambrosius. *Euphrates*, inquit, *Latinè fecunditas, atque abundantia fructuum nuncupatur; præferens quoddam insigne Iustitiæ, quæ omnem pascit animam. Nulla enim virtus abundantiores videtur habere fructus, quam equitas, atque Iustitia, quæ magis alijs, quam sibi prodest, utili-*

198 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
tates suas negligit, communia emolumenta præponens.  
Quod ne cuique dissonum, & abhorrens videatur, rationem aliam subnectit, discrimenque nobile.  
Quia, inquit, ubi prudentia, ibi & malitia; ubi fortitudo, ibi iracundia; ubi temperantia, ibi intemperantia plerumque est, aut alia vitia sunt. Vbi autem Iustitia, ibi concordia virtutum est cæterarum.

Hæc suavi quodam eloquentiæ fluxu in Iustitiæ laudes deriuauit Ambrosius, è quo illud ad mores, vitamque benè componendam accipis, quod prima Iustitiæ ratio, æquitatisque officium sit, publica iura, commodaque priuatis anteferre; nec vnum spectare sed multa. Ad hanc æquitatis normam aliusit nomen *Rabbini*, quod populi Doctores, controuersiarum arbitros significat. *Rabbi* enim Hebraicè, id est *multus*, à radice *raman*, hoc est multiplicari, quod Doctor, & Iudex quodammodo multiplicari, multus esse debeat, vt ab illo multis benè sit. Et hoc quidem ex Iustitiæ lege.

Sed est magna huius sæculi labes, ac macula, suis ferè quisque commodis studet, nec publicis indulget, nisi aliquid in rem domesticam, fortunamque augendam deducere posse videatur: quisquis is est, nouerit se à prima recti, iustique regula discessisse.

SECUNDA LEX IUSTITIÆ.

**E**st & altera Iustitiæ lex, quæ ferè è prima nascitur. Ea est eiusmodi; ne in foro, in iudicijs, in

in onerum, ac beneficiorum distributione vlla personarum ratio habeatur.

Hanc æquitatis regulam inclamat omnis ætas, humana, diuinaque iura loquuntur. Hoc Israël quondam positum in mandatis. *Nulla erit distantia personarum: ita paruum audietis ut magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* Deuter. 1. v. 17.

Antiquis oculus Iustitiæ symbolum fuit, quod huius, & illius magna foret consensio. Est oculus speculum naturæ, res sibi obiectas exhibet, & animo reddit earum species, ac simulacra; quæ vt fideliter referat, amat certam in obiecto distantiam, si enim hoc nimium remoueri contigerit, non videtur; & contra, si nimis propinquum, si oculo imminens fuerit, non percipitur. Vult nimirum oculus sibi conuenientem, & æquam in rebus obiectis distantiam; quam nisi dederis, nec tibi eas videre, atque intueri dabit.

Quod oculo, hoc & Iustitiæ. Noscere voles cur quandoque & sæpius caliget Iudicis oculus? cur ex vero, bonoque oblatas sibi causas, & diuitum, pauperumque iura non referat? cur in vno beneficus, liberalis, prodigus; in alio parcus, auarus, sordidus? hæc in luce est ratio.

Pauperes à Iudicis oculo longius absunt, quam vt videri possint; diuites autem propius adsunt, & incumbunt, quam vt & ipsi percipi queant, hinc cæcutit,

200 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
cæcutit, atque aberrat oculus, ipsaque ratio, amor-  
que ab æquo deflectit. Nec mirum: *ubi enim er-  
rat oculus, ibi errat affectus*, inquit Ambrosius. Ne  
porro hic, aut ille erret, Deum audi hæc præscriben-  
tem. *Nulla erit distantia personarum, ita paruum  
audietis ut magnum, neque accipietis personam, quia  
Dei iudicium est*, non hominum, Dei enim vices  
gerit, qui in throno iudicaturus sedet: & quia ut re-  
cte sapiens. *Cognoscere personam in iudicio non est  
bonum*. Rationem hanc adijcit D. Bernardus, *qui  
cognoscit in iudicio faciem, à facie Dei stare non po-  
terit*. Ideoque benè monuit Ægidius Diaconus in  
libro de regimine Principis. Ne hic specularis esset,  
sed opacus.

*Prou. 24.  
v. 23.*

*L. 1. de  
confider.*

Specularis est, qui speculi in morem facies in-  
tuentium excipit: opacus est, qui nullius ora, vul-  
tumque in se imprimit, exprimitque; Et is debet  
esse Princeps, Iudex, & fidelis dispensator benefi-  
ciorum Dei: apprimè opacus, qui nec diuitis, nec  
pauperis imaginem sibi apprimi patiat, nec ab  
hac, aut illa à sua statione dimoueri. Ut eam æque  
mentis constantiam assequatur, meminerit se sem-  
per esse sub oculo supremi Iudicis, & illo spectante,  
consultandum, deliberandum, statuendum esse;  
*quia Dei iudicium est*; in quo nihil esse potest alic-  
num, nihil abhorrens ab æquitate.

Audio Constantinopoli, eo loci ubi Principes  
Prouin-

Prouinciarum ius dicunt, superne videri Imperatoris suggestum, è quo veluti per cancellos spectare, & audire possit, quid rerum in Camera agatur. Ex qua persuasione fit, vt qui iuri dicundo præfunt, semper anxij, trepidique consistant, quasi in oculis, & auribus Imperatoris constituti. Si ad continendos animos, & æquam Iustitiæ lancem tantum afferre potest imminens vnus Principis etiam mortalis, oculus, quantum æquitatis accedere poterit, si Iudicis oculo, auribus, animo, semper incubuerit, vigil, apertus, explicatus diuinæ mentis oculus, in cuius luce, soleque patescit forum omne, explicantur lites quantumuis obscuræ, & intricatæ, aperiuntur consilia, ac iudicia, & quisquis est occultus sensus animorum? Et hæc de oculo Iustitiæ; erit enim fortasse non nemo, qui eam cœcam esse malit, quam malè oculatam. Et vero maiores nostri Iustitiam pinxere virginem velatis oculis iusta lance omnia ponderantem: cuius moris æmuli Thebani Iudicum suorum imagines in foro absque manibus & oculis conuiuentibus effinxere. Conuiuent oculi, ne in eos admittantur æternæ illæ phalæ, hominum ora, vultusque à quorum intuitu conuiuere, & annuere solet animus, & à recta semita discedere.

Sunt deinde sine manibus, ne vel munera capiant, vel ijs subdolè capiantur. Is enim solus, au-

Cc

thore

202 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
thore Themystio : *Verus est Iudex, verus Princeps,*  
*qui auro est inexpugnabilis :* & qui, vt ait Bion Phi-  
losophus, studet è magistratu discedere non ditior,  
sed clarior.

Quo in genere nostro seculo illustre fuit exem-  
plum Thomæ Mori Iudicis æquissimi, Inuictique  
Martyris. Huic olim vidua, cui litem adiudica-  
rat, obtulit poculum aureum, accepit ille quidem,  
sed vt erat ingenio facili, ac faceto, illud vino re-  
plens ei præbabit, ac reddidit.

C. 3. vi.  
12. eius.

Ita nec aurum tenere, nec auro teneri potuit in-  
corruptus Iudex, cui ius ipsum & vna æquitatis ra-  
tio pro auro, & pretio fuit. Et talis esse debet, inquit  
Petrus Rauennas, Iuris minister, vt in eius manu  
nullius authoritate personæ titubet, aut vacillet libra  
Iustitiæ, nullo pondere sese deprimi, vltra quam  
oporteat, patiat. *In Epistola quadam.*

In Epi-  
stola qua-  
dam.

TERTIA LEX IUSTITIÆ.

**E**A est, vt non personæ, non dignitatis, non  
potentiæ, non fortunarum ratio habeatur :  
sed ne sanguinis quidem, & amicitiae eorum, quos  
nobis natura coniunxit, & caros fecit. Plus enim  
tribuendum est iuri, quam sanguini ; huius æquita-  
tis legem tum in Deo rerum omnium moderato-  
re, tum in Christo supremo mortalium Iudice, ac  
Sacerdote videamus. De illo cecinit olim Propheta  
regius, *misericordiam & veritatem diligit Deus.*

Pf. 83. v.  
12.

In

In Hebræo legimus *femes Vmaghen Iehoua. Sol, & scutum Deus.*

Componitur Deus cum sole, ac scuto, & certè quam aptissimè. Sol ille aspectabilis orbis oculus, ex æquo surgit, lucet, calet, ardet omnibus, etiam impijs, nefandis, sacrilegis, quos cœlum odit, ac detestatur; scutum vero non modò caput tegit vt galea, non pectus tuetur vt thorax, non crura velat vt ocreæ, sed quaquauersum flectitur, ad omnium membrotum tutelam, & incolumitatem. Eum se mortalibus ostentat Deus factus omnibus quod orbi sol, quod militi scutum, nam & malos à seque auersos perfundit tamen beneficentiæ suæ radijs, & suo præsidio tuetur, si fortè resipiscant; & suaues, atque amicas diuinæ Iustitiæ leges amare, ac timere discant.

Eandem æquitatem & prouum in omnes affectum Christus ostendit: visus enim D. Ioanni in medio candelabrorum aureorum, id est Ecclesiarum, quæ sunt veluti candelabra aurea in domo Dei. In horum medio consistit ac hæret, vt omnibus communis sit, & ad nullum accedat propius, à nullo longius recedat.

Eandem æquitatem aperit illud eloquium, quod Seruatori iam inde ab auitis sæculis inscripsit Dauid, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Cur, inquires, secundum Melchisedech, non

204 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
autem secundum Aaron? ista ad rem meam ratio  
facit. Quia vt Melchisedech nullo cognationis tan-  
gebatur affectu, vtpotè dictus *sine patre, sine ma-  
tre, sine genealogia*: ita & Christus nullo sangui-  
nis sensu poterat commoueri. Et hînc quoque fa-  
ctum, vt sicuti qui nullo trahuntur affectu, dicun-  
tur illi è lapidibus, è rupibus, è saxis verius excisi,  
quam cæterorum hominum more, viaq; progeniti.

Virg. *Genuit te cautibus horrens  
Caucasus.*

Ouid. Et. *Natus es è scopulis*, canebant olim Vates: ita  
Christus ab Isaia dicitur è petra nasci. *Emitte*, in-  
quiebat olim cum alto gemitu, *Agnum Domine  
dominatorem terræ, de petra deserti*: de petra  
emittitur, quia expers amici sensus, expers affe-  
ctus, quem vitiosa natura cuique nostrum ingene-  
rat: solo rationis ductu, sola patris æterni volunta-  
te, trahi se finit, vt in hunc potius quam in illum  
diuinæ gratiæ fontes, cœlique beneficia diducat.  
Quod satis, superque patuit, vbi de Ecclesiæ capite,  
de summo Præsule, ac Pastore quæstio incidit, eam  
dignitatem superis æmulam, imò & inuidendam,  
naturæ non dedit, & consanguinitati, sed Petro,  
quo cum nulla illi erat sanguinis communio.  
Ita fecerat olim Moses Israël's Legislator, & Prin-  
ceps, cum enim sibi vita, officioque cedendum vi-  
deret, Principatum commisit Iosue, qui erat ex alie-

na

na tribu, scilicet Ephraim, Pontificatum vero non in duos filios, quos ei natura dederat, sed in Aarone[m] transtulit, *Vt sciremus*, inquit D. Hieronymus, *In c. 1. Ep. ad Titum.* *Principatum in populos, non sanguini deferendum esse, sed vitæ.* Secus omninò fit hoc quo spiramus æuo, plerumque enim officia, beneficia, dignitates, sanguini conceduntur, non vitæ; & qui plus æris habet, quod in patronos effundat, & malè prodigat, ille opima beneficia inuenit, & in Crucifixi patrimonium inuolat; contra quod ratio pugnat, & Sanctorum Patrum veneranda authoritas, è quibus (ne omnes sequar) exstat illud Diui Gregorij Nazianzeni oraculum, dignum cedro. *Sacrum imperium, non fortune præda, sed virtutis præmium est.* *Orat. 3.* Et hoc Ambrosij: *Non generis nobilitas, sed morum eligatur gratia, & virtutum prærogatiua*, quia, vt diuinè ille ipse Præsul. *Præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati.* *Ea enim est vera pietas quæ preponit diuina humanis, perpetua temporalibus.* *L. 3. Ep. 25. In c. 32. Exod.*

Qui eam non præfert, sibi primum scelus accersit, suis cladem, Ecclesiæ ruinam, quod & summum est malum, & genus amentia[rum] intolerabile: Quia, vt verissimè S. Valerianus, *stultitiæ genus est alijs fecisse lucrum, & sibi parasse supplicium.* *Hom. 10.*

**A**B hac fuis ubique erit animus, semper liber, recti, iusti que tenax, & si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae. Nescit enim timere, aut labi, quisquis iustus esse didicerit. Ut proinde iure meritissimo dixerit Simonides Philosophus. Virum iustum esse quasi cubum, qui ad omnem volubilis fortunæ motum, firmus, fixusque obsistit; non vertitur, aut voluitur, ut solet rota, ad omnem auræ sibilum, casumque inclinantis fortunæ. Sortitur eam constantiam, inuictumque arduæ mentis robur à momento, ac pondere legum suarum, quibus seipse confirmavit, & aduersus inconstantia tela, veluti lorica Iustitiæ induit; ut nulli cedat, nullius vim, incursumque extimescat.

De legibus æui sui, vel potius de hominum iudicijs, ac mollitie questus est olim Solon, rogatus enim *quid esset lex?* subiunxit. *Aranea tela*, si quid in eam leuiusculum inciderit, arctè retinetur, si quid autem grauius immissum sit, rescissa, penitus, fractaque telâ elabatur: nimirum aranæ tela implicatur, muscæ gracilis, non carnea elephanti moles.

Ita tum temporis, inquiebat sapientissimus Solon, Reipublicæ accidisse videbatur, debilitatâ iam, abiecta, ac prostituta Iustitiâ, legum vis omnis, & neruus fractus esse credebatur, si quis enim in leges peccasset, earum vinculis tenebatur, si modo leuis,  
&

& nullius momenti homuncio foret, si Irus aliquis, & opibus, amicisque vacuus; at si potentior vnus aliquis, si amicorum gratia, ac fauore septus, si multo auri pondere grauior, excidebat ille è legum vinculis, nec ijs, quamuis esset reus, & noxius, teneri poterat, quia lex ijs erat, *aranae tela*. Verum hoc conuitium, hæc labes legibus inuri non debet; sed hominum vitio, ac maleuolentiæ ascribi: certè à natura, à ratione, à Deo alia planè legibus vis indita, alia viris iustis, & inuictis Ecclesiæ Præsulibus est firmitas.

Eorum exempla qui volèr, cõsulat antiqua sæcula, & primas nascentis Ecclesiæ cunas.

In illis legetur Nathan vnus aliquis, qui liberâ mente, voceque explicata Dauidi suum scelus in os obiecit, & leges æquitatis ac pudicitiaë fuso per nefas sanguini, violatoque toro opposuit: Legetur Azarias Sacerdos, qui Regem Oziam; Helias Thebites, qui Regem Achab; Ioannes Baptista, qui Herodem increpuit, iussitque immaculatas fraterni tori seruare leges. In his autem Chrysostronus, & Ambrosius duo Iustitiæ fulmina, ille Eudoxiam Augustam, hic Imperatorem Theodosium percussit, docuitque quantum interresset Cæsarem inter, & Episcopum, & quam iusta, infraëtaque in magno Præsule in delinquentes seueritas. Et hæc olim Ecclesiæ decora, hi sacræ militiæ principes, quibus  
similes

208 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
similes multos, imò & omnes esse vult D. Bernardus. Ita enim scribit ad Eugenium Pont. max. Eos amo, voloq̄ Præsides, qui Regibus Ioannem exhibeant, Ægyptijs Moysen, fornicantibus Phineen, Heliam idololatriis, Heliseum auaris; Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiatoribus Christum: Ecce, quam optat in ijs seueritatem, & in reos animaduersionem, quam neque purpura velet, ac tegat, neque sceptrum elidat, neque vis illa, & authoritas retardet, aut infringat.

Hos iustæ seueritatis aculeos in Petro, & successoribus agnoscit D. Ambrosius; quarit enim cur alijs Apostolis rete solum iacere, eoq̄ piscari datum est. D. Petro, eiq̄ vni præterea hamus in mari, in horto gladius concessus?

*L. 4. in* Pro Apostolis, quibus vltro iubente Domino explicantur retia, respondet. *Benè Apostolica instrumenta, piscandi retia sunt, quæ non captos perimunt, sed reseruant.*  
*Luc. 5.*

Pro Petro autem, quia Præfulum est non solum reti peccatores illæfos, & incruentos capere, sed etiam pungere, & hami lingua, denteq̄ cruentare, cum ita fert necessitas, & ideo soli Petro permissum in horto gladium educere, ferire auriculam impij satellitis, eamq̄ rescindere; quia Prælatorum est, non tantum verbo, sed & ferro peccandi licentiam coërcere. Eo etiam vtantur in Petri sede successo-

successores, alijque Præsules cum opus erit, ne in eos iactetur illud, quod in insignem Hebræorum desidiam versum est. *Non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi, excepto Saül, & Ionatha filio eius.* Non est inuentus gladius Iustitiæ in manu Prælatorum, qui putrida, & noxia corpori membra reseccaret; & hinc serpit, serpetque malum, & Ecclesiæ vniuersæ perniciem creabit.

Sed erit fortasse vnus aliquis, qui me ex eo arguet, quod nimia Præsules, ac Sacerdotes altissimos armem seueritate, mallent ipsi lenitatem, & illam ipse malim si ea se duci quis patiatur; at si hanc excutiat & violet, seueros animos, & iustè vindices appello, ac volo; Eos certè etiam voluit Heliæ Prophetæ magni discipulus parentis optimi & spirituum hæres Elisæus, qui id vnum ab illo petijt, *fiat in me duplex spiritus tuus.* Quis ille quæris? seueritas est, & lenitas: hæc poenitentes, & supplices excipit, ac sinu fouet vt pusionem suam blanda mater; illa rebelles, & insolentes arguit, ac ferit vt grauis censor, & iudex.

Hæc magnarum virtutum decora, Præsulumque ornamenta digito notauit Deus, vbi è maesta pecude iussit duas partes Sacerdoti reseruari, armum dextrum, & pectusculum. *Quid in armo nisi fortitudo signatur actionis?* inquit D. Gregorius: *Quid in pectusculo (quod amoris est sedes) nisi*

D d

paterna

210 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
paterna caritas figuratur? Et hæc & illa Sacerdotalis  
est muneris, necessumque est, vt tam hanc, quam  
illam in omni vita exhibeat: hanc quidem in fi-  
lios, quos nutrit, & lactat vt indulgens piaque ma-  
ter, illam in seruos contumaces, quos pro meritis  
punit, vt seuerus pater, iustus iudex, & regali Sacer-  
dotio, ac potestate donatus.

Erat enim & armus, cibus regius. Ita quondam  
Samuele teste, & arbitro, Sauli datus armus in epu-  
lum. *Leuauit enim cocus armum, & posuit ante*  
*1. Reg. c. 9. v. 24. Saul.* Erat tamen magnum omnino discrimen in-  
ter armum qui Sauli, & regibus appositus, & qui  
Sacerdoti, huic enim cedebat armus dexter, quo pro-  
debat fortitudo, non ea tantum, qua alios vince-  
ret, sed ea quoque qua seipsum, quæ longè maxi-  
ma est: at Sauli datus est armus sinister, quia etsi  
ipse regia potestate hostes superauit, subiugauitque,  
ipse tamen à seipso victus fuit, nec sui victor, quod  
genus fortitudinis sacrum est, non profanum: ideò-  
que Sacerdoti maximè conueniens. Sed hæctenus sa-  
tis de animi constantia, ac fortitudine, quæ Iustitiæ  
cognata est, sociaque paternæ lenitatis; à quibus  
ornatus Præsul audiet, quod olim Basilius magnus  
apud Nazianzenum. *Duorum lapidum naturas imi-  
tabatur: factus erat percutientibus adamas, dissi-  
dentibus magnes.*

Hæc Gregorius de Basilio in oratione funebri:  
Erit

Erit enim uero Basilius, erit, & quisquis est Præsul *Percutientibus Adamas*, ab animi robore, à constantia, inuictaque fortitudine indomitus, ferroque cedere nescius: at *dissidentibus*, atque errantibus à via veritatis, eamque aspectantibus *magnes* erit, cuius influentijs & amica vi ita trahetur, ut in ouile Christi redeat ouicula palabunda, & perdita. Et hæc sint exuuiæ, hæc corona gloriæ, quam tibi portendit Alba Sacerdotalis, quam superinduis? ab illâ ad casulam venio.

## §. 8.

*Casula erit pro scuto fidei.*

**D**Vrandus, qui sacras mystarum vestes ad <sup>L. 3. Ra<sup>o</sup>  
tion.</sup> militiam, & arma detorquet, pro scuto fidei casulam, seu planetam obijcit.

Ego in præsentia in eius sententiam ibo, ut ex ea describam quod sit illud fidei scutum, quo Sacerdos armatus hostium tela, vel eludit, vel retundit, sibi que viam sternit ad victoriam, ad trophæa, ad lauros æternas.

Fuere Antiquis alia, atque alia fidei symbola. Theophylacto *fides est oculus*. Est oculus speculum naturæ, & fides oculus, est ac speculum quoddam diuinitatis: eam enim quamdiu in via sumus, tendimusque ad terminum beatitatis, fide, ceu oculo superiore, ac diuino percipimus, eiusque arcana, mysteria, & secretiora consilia penetramus, *Lucerna ps. 118.*

D d 2

*pedibus*

212 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
*pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis,*  
*inquebat olim David.*

Aliud fidei symbolum est manus, quæ apprehenditur vt tessera, & arrha fidelitatis: ita qui alteri manum dedit, fidem quoque dedisse censendus est. Ex eo fluxit solemnissimus ille ritus, vt qui Deo fidem addidisset, eius quoque nomen in manu, tanquam obuia, patenti, & explicata fidei tabula inscriberet. Ita, Isaia teste, fecit olim Hebræus cum in captiuitatem babilonicam foret abducendus: ne simul cum solo animum, religionemque mutasse videretur, Deuter opt. ter max. nomen manibus incidit. *Hic scribet in manu sua, Domini sum ego.*

Ea scribendi ratio, fideique nota ab Hebræis ad Christianos longius emanauit. In primis Ecclesiæ initijs, cum efferueret studium religionis; æstualetque recens effusus Christi sanguis; fideles, quibus altior erat animus, certamenque pro fide iam præconceptum, candente ferro vel fronti, vel manui suauissimum, & amabile Christi nomen inscribebant: vt mihi author est Procopius, & ipse oculatus testis: Quæ fidei tessera, notaque religionis etiam peruasit ad Iapones extremi orbis incolas, quibus vsitatum, & solemne est, vel crucis notam, vel augustum Iesu nomen fronti imprimere, sic enatio æmula est auitæ pietatis.

D. Paulus in panoplia militis Christiani pro fidei

dei

dei symbolo scutum offert. *In omnibus, inquit, sumentes scutum fidei.* Et meritò pro scuto fides educitur, ducamus illud è veterum monumentis. Dum castra metaretur Israël, starentque tribus in quatuor acies diuisæ, singulis suum erat scutum, insigne fidei, symbolumque religionis, etiam nostræ, si Lyrano credimus.

Tribui Ruben pro scuto erat hominis figura in area, ceu campo rubro picta, & eminens. Ea iam inde exhibebat vestigium aliquod Incarnationis diuini Verbi, in qua duæ naturæ, diuina, & humana tot interuallis distitæ, nouo, & propè insolenti amoris prodigio in vnâ aeterni Verbi personam conuenere.

Tribus Ephraim in scuto taurum extulit in campo rubro, & cruento: & ille Christi patientis figura fuit: ductus enim vt noua caritatis victima, & in ara crucis, ceu area cruenta foedè pictus, crudeliter deformatus, & concisus.

Tribus Iuda leonem in scuto habuit sparsis iubarum comis in area, ceu campo viridi exultandum: & ille imago fuit Christi resurgentis: *vicit enim Leo de tribu Iuda*, & victor à morte, ab inferis redijt. Denique tribui Dan cessit Aquila, regia volucris, in area, seu campo candido expressa, & corona illustris: & illa symbolum fuit Christi ascendentis, cuius viam nescire se fatetur sapiens.

*Pro. 20.* Ignoro, inquit, *viam Aquilæ in cælo*, hoc est, vt vna voce Interpretes, *viam Christi in sublimem ascendentis*. Et hæc fuere scuta, quæ iactarunt olim quatuor illæ tribus inter cæteras facile Principes, & in ijs augusta fidei nostræ symbola: sed cur, inquit, in scuto expressa? hic est cardo propositæ mihi quæstionis; in qua id statuo, fidem nobis esse quod militi scutum: hoc corpus omne tegit, & immissa hostium tela excipit, retundit, ac frangit. Et hoc ipsum animo præstat fides, ideòque, inquit olim Paulus: *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela, nequissimi ignea extinguere.*

*Ad E-  
phes. 6.  
v. 16.*

Quod ipsum præfago spiritu longè ante cecinit regius vates, ait enim: *scuto circumdabit te veritas eius*, & fides veritatis germana soror, imò si voles & ipsa veritas, à qua probè tectus, non timebis à timore nocturno: hoc est à spectris, & horrificis imaginibus, quæ plerumque somniantibus oberare solent; vel, vt vult Hieronymus, ab errore in fide, & hæresi, quæ timor nocturnus dicitur, quia lucem fugit, & noctem amat sibi concolorem; vel ab occultis insidijs, vt credit Euthymius: vel denique, vt alij, ab extremo iudicio; cui scenam aperiet nox concubia, adultæ tenebræ. *Dies enim Domini, quasi fur in nocte, ita veniet.* Et ab hoc tamen non timebis, quia fidei, vitæque tuæ comes timor, timorem illum, horroremque supremæ istius noctis expellet.

expellet. *Primus in orbe timor Deos fecit*, inquitabat ex Antiquis non nemo; qui vocem θεου αφο τῆ δεισι; id est à timore dictum voluit. Qui hunc Dei timorem à fide haurit, non timebit ille à timore nocturno.

Neque à sagitta volante in die. Seu illam esse voles vanam gloriolam cum Bernardo, seu diuina, & aperta pericula cum Chrystostomo, seu amœnam ridentis fortunæ lucem cum Bellarmino, ab ea certè non timebis, quia scuto circumdabit te veritas eius.

Neque etiam timebis à negotio perambulante in tenebris: seu illud cum Hieronymo credas esse pestem, luemque malignam in tenebris ambulantem, mœstoque funere singulas domos notantem: seu cum Chaldæo interprete, velis esse mortem, & mortalitatem, ab ea certè non timebis.

Imo neque ab incurfu, & demonio meridiano. Ex quo nonnullos inuasit ea opinio dæmonas esse qui manè, sub oriente luce; alios qui meridie, adultaque die; alios denique, qui vesperi, inclinata iam luce, nocteque homines impetant: vel alios esse qui perflent ab oriente, alios qui à meridie, & hi valentiores; ij fuerunt qui quondam euerterunt domum filiorum Iobi, & vna ruina eos oppresserunt: *In c. 1. Iob. v. 19.* flarunt illi à meridie, ita censuit Origenes, à quo ut discedam, dicam potius cum Euthymio dæmonem

216 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
nem meridianum eum esse qui acediæ, & luxuriæ  
præest: perculit ille Dauidem, & euertit magnum  
illum heroem ipsa iam meridie, quo non solis  
huius amicam, & innoxiam lucem immisit, sed  
inimicas, noxiasque veneris, ac libidinis faces incen-  
dit: si ijs diuinorum iudiciorum fidem, scutumque  
timoris obiecisset Dauid, non eam ab illis cladem  
perpeffus fuisset; tu ne eodem demonio meridiano  
incalescas, & pereas, sume in omnibus scutum fidei,  
in quo poteris omnia nequissimi tela extinguere.

Illud certè sumere te docuit prima lux, quam  
aliquando aspexisti. Apud Lacedæmonas erat vsu,  
moreque gentis illius receptum, vt pueri recens na-  
ti scuto deponerentur: forte vt iam inde ab illa æta-  
tula, dieque prima martios, & ferreos haurirent a-  
nimos, durisque laboribus assuescerent, dum eos  
nascentes, non mollis anser, leuesque plumæ, non  
cunæ graciles exciperent, sed rude ferrum, scutum-  
que militare, quod deinde adulta iam, ac pubescen-  
te ætate Lacænæ mulieres, quarum decus, & elo-  
gium hoc fuit, *Sole Lacænæ viros pariunt*, illæ,  
inquam matres, illæ viragines cum filios suos in  
arma, in aduersas hostium acies, emitterent, illud  
ipsum scutum, quod nascenti sedes, ac torus fuerat,  
efferre, offerreque filijs, & addere illud dignum La-  
cænæ matris. *Aut cum hoc, aut in hoc*. Pauculæ vo-  
ces, sed animi, sed roboris, sed gloriæ plenissimæ.

Te,

Te, inquit Lacæna mater, te fili in hostem emitto, pro patria, pro focis, & aris pugnaturum: vnum è duobus à te peto, & hoc quidem vel iure meo, vel patriæ lege, ac caritate: aut cum hoc scuto victor redi; aut in hoc scuto pro tuorum salute fortiter occumbe. Vt enim te abiecto scuto, imbellem, inglorium, profugum recipiam adducar nunquam, si modo ea sim, quæ esse velim Lacæna mater. Hæc illa paucis ad filium.

Eadem tibi in aurem & animum effudit pia Mater Ecclesia. Labet illius dici, lucisq̄ue meminisse, quæ tibi prima fuit, & qua ad sacram ædem, sacrosq̄ue fontes delatus es.

In ipso templi limine hanc tibi primam questionem Sacerdos mouit. *Quid petis ab Ecclesia Dei?* cum ab ætatula infans esses, pro te dari potuit, debuitq̄ue Patrinus, & hæc reddere: *fidem*. Eam nimirum petebas non voce, sed animo, sed futuris adulta ætate votis, vt ea tibi esset in hac vitæ militia pro scuto, quod vt te nascentem excepit, ita & viuentem tuebitur, morientemq̄ue coronabit, si modo illud audis, & seruas. *Aut cum hoc, aut in hoc.* Aut cum hoc in alta pace viue, si ita viuere conceditur: aut in hoc fortiter occumbe, si tyrannus pro religione, pro fide, pro Deo iugulum petit, in hoc inquam & Ecclesiæ Matri, & cælo reddere; futurus in morte, quam in vita gloriosior.

Ec

Sed

Sed quæ, inquires, est illa fides quam vt scutum tibi tradit Ecclesia, pro filijs suis piè sollicita mater. Luthero fides est exanimis, mortua, & sine operibus: ita enim hanc suam mentem varijs in locis expressit infidelis, & impius doctor. In caput secundum ad Galatas ita loquitur. *Sola fides necessaria est, vt iusti simus, cætera omnia liberrima, neque præcepta, neque prohibita.*

Quod ipsum confirmat, vbi agit de libertate Christiana: *Bona opera, inquit, non faciunt virum bonum, neque mala malum: sed sola incredulitas.* Ex illis duobus pronuntiatis, has ducit, trahitque conclusiones malus omninò logicus.

Prima, nullam habendam esse rationem meriti, nullam bonorum operum curam, studium virtutis omninò nullum.

Altera, peccatis omnibus quantumvis atrocibus aperiendam esse viam, laxandaque fræna, si enim sola fides necessaria vt iusti simus; certè neque spes, neque caritas, neque religio, neque castitas, neque temperantia, neque fortitudo, neque prudentia, neque virtus alia in necessarijs ad iustitiam, ad beatitudinem est reponenda. *Cætera enim, ait, omnia liberrima, neque præcepta, neque prohibita.* Itaque Luthero iudice, & doctore, furta, rapinæ, cædes, homicidia, fratricidia, parricidia, fornicationes, incestus, sacrilegia, blasphemix, & si quod aliud aut in terris,  
aut

aut in inferis esse post peccati genus, si quæ scelerum monstra, ea liberrima sunt, neque prohibita: hæc enim conclusio ex illa Lutheri propositione deduci potest, ac debet, vt facilè aduertet à logica etiam vel leuiter tinctus: quod quam à natura, à ratione, à communi hominum sensu, ab humanis, diuinisque legibus dissentaneum sit, nemo non videt.

Sed quia erit fortassis vnus aliquis, qui has conclusiones, à vero, bonoque alienas, meas esse volet, non Lutheri; ideo ijs omiſſis produco alia illius principia. Quamquam, vt dicam ingenuè quod sentio, sentitque probus omnis, eæ non meæ sunt, sed ipsiusmet Lutheri: qui enim vt cum Philosopho loquar, statuit eiusmodi antecedens ex quo necessitate quadam, conformique argumentationis regula, ea trahatur consequentia, næ ille non antecedentis tantum, sed & consequentiæ author est habendus: Verum ne istis implicemur, cum in aperto, in luce omnium sit impia mens Lutheri: eam certè alijs locis sole clarius exponit, ita enim habet.

*Quod si cœlum apertum viderem, idque culmo solummodo de terra sublato mereri possẽm; culmum nequaquam vellem tollere.* Nollet ignauus, iners, impius, culmum, paleamve leuiorem è terra tollere, vt cœlum mereri, cœlum sibi omnino clausum recludere possit, adeo horret, fugitque vel ipsum

De mundo fol.  
70.

Ec 2

meriti

220 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
meriti nomen bonaque opera odit, ac detestatur.  
Infelix Lutherus, verè culmus, paleaque ex area  
Domini excussa, & igni æterno reseruata.

Fol. 367. Ab ea hæresi longius excedit. In colloquio Ille-  
biano, vt omnia benè de superis merendi princi-  
pia, ansamque omnem tollat, decem Dei præce-  
pta è medio tollit, eradit ex diuinis tabulis, ex orbe  
eliminat: imò, quod stupeas, ac detesteris, ea facit  
malorum omnium scaturiginem. *Tollantur, in-*  
*quit, de medio decem præcepta, & cessabunt om-*  
*nes hæreses. Nam decem præcepta sunt fons, ex*  
*quo velut scaturigine omnes hæreses emanarunt.*  
Hæc sacrilego Lutherus ore, hæc mente nimium  
quantum libera, & præceptis vllis teneri nescia euo-  
muit: vt euerteret sacras leges, superum præcepta,  
quæ animorum nostrorum vincula sunt, & Rei-  
publicæ benè constitutæ neruus: quem si dissoluis,  
vna omnem generis nostri societatem, quæ sine le-  
ge stare non potest, dissoluas, dissipes, perdas est ne-  
cessè. Sed Luthero parum est Reipublicæ iura om-  
nia pessundare, dum sibi expeditam, & facilem ad  
peccandum viam faciat. Et certè facit qua verbis,  
qua re etiam ipsa: illa audiamus. Vbi Dei ter opt.  
ter. max. legem, vbi tantum naturæ sensum, dicta-  
menque recte rationis ita sustulit, tum habenas scē-  
leri laxat, & in vitia totus effunditur, imò qua voce,  
qua scriptis alios omnes ad eadem audenda scelera  
inuitat,

inuitat, ac propellit. Et primum Melanchtonem  
discipulum suum ita hortatur malus omnino ma-  
gister. *Esto peccator, & pecca fortiter.* Hic pedem, Ep. 238.  
oculumque figat pius lector, & æquus arbiter,  
sanæque doctrinæ æstimator perpendat illa verba.  
*Esto peccator*, non qualis qualis; non leui culpæ ob-  
noxius, auttimidæ noxæ, sed forti, sed audaci, sed  
immani, & portentosæ: eam amat, vrgetque in suis  
asseclis in Melanchtone Lutherus: ita enim instat  
missa ad eum epistola. *Pecca fortiter.* Hæc vbi in-  
uitis typis mandauit Lutherus, vbi ex hæresis scho-  
la, è cathedra impietatis declamauit: tum abit lon-  
gius, nec tantum in discipulorum suorum aures,  
animosque effundit illa insanæ doctrinæ placita,  
sed & in omnes alios spargi vult, orbemque vniuer-  
sum: sic enim scribit tomo secundo. *Blasphemias, Fol. 130.  
parricidia, contemptum Dei, adulteria confidenter  
committant.*

Et quia homini etiam in pura, putaque natura  
constituto, & rationis compote, hæ voces duriuscu-  
læ videri poterant, ne minus verbo suaderet quam  
vrgeret exemplo, pudenda scelera, quæ olim se-  
cretis confessarij auribus deposuit, in lucem effert:  
non ex æstu doloris, ac pœnitentis animæ, non ex  
studio Christianæ demissionis, vt olim Augustinus:  
sed insana quadam, atque intolerabili iactantia,  
effronte vultu, inuerecundo calamo, quo alijs fa-

cem præferat ad scelera quantumuis atrociam : sic ergo de seipſe loquitur, & ſcribit. *Doctore ſtaupitio ſepe confeſſus ſum ; non de mulieribus, ſed verò atrociam, & ſolida facinora.* Fornicationes, adulteria, inceſtus ſacrilegos, præpoſteram libidinem non reponit in peccatis, non dignatur humili, & verecunda confeſſione, ſed ijs ſilentio, menteque ſcelerata ſuppreſſis, tantum exponit atrociam, & ſolida facinora ; & in ijs reponit omnem ſanctimoniam.

Fol. 305. Euangelij ſui : ita enim ſubiicit tomo quarto. *Notè aliter, ſunt veri, & germani ſancti, quam ut fortibus, & atrocibus peccatis obnoxij.* Ecce veram, & germanam ſanctitatem Lutheri, & Lutheranorum, fortia, & atrociam peccata. An ſic Sancti Apoſtoli ? Sancti Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, alijque quos Romana Eccleſia colit ? iudicet æquus lector, videatque quantum interſit, inter Doctores ſectariorum huius æui, & Eccleſiæ Romanæ, atque orthodoxæ.

Quod ſi inſanis illis Lutheranæ dementiæ, & impietatis opinionibus, obijcias irrefragabilem ſcripturæ fidem & authoritatem, ſi illud D. Iacobi oraculum. *Viſ autem ſcire, ô homo, inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt.* Si deinde & illud ad pondus adijcias, quòd ſubiungit. *Tu credis, quoniam vnus eſt Deus ? benè facis, & Dæmones credunt, & contremiſcunt :* neque tamen vel ipſo Lutheri calculo,

c. 2.

calculo, ac sententia dæmones sancti sunt, nisi cœ-  
 los cum inferis mutare, & omnia susque deque ver-  
 tere velis. Si inquam hæc, aliaque loca his affinia  
 opponas, exijsque euincas ad sanctitatem non suf-  
 ficere nudam, putamque fidem, nisi eam bona o-  
 pera consequantur: Lutherus vna manu nodos  
 illos omnes soluere se credit, vna regula metiri, ac  
 detorquere: hanc enim pro sana, & infana scriptu-  
 rarum intelligentia regulam statuit. *Hæc tibi nor-  
 ma, & regula esto, quam in Scripturis sacris intelli-  
 gendis sequaris. Vbicumque iubet scriptura bona ope-  
 ra facere; tu id sic intelligas, quod scriptura prohibet* Tom. 3.  
 bona opera facere. O contortam, ô insulsam, ô im-  
 piam Lutheri regulam: ô stolidum hominis inge-  
 nium, ô mentem insanam, ô deliria aberrantis ce-  
 rebelli. Quis enim adeo bardus fit, & inops animi,  
 atque intelligentiæ, qui non videat hæc inter se pu-  
 gnare: vnâ, eandemque paginam, eadem omni-  
 nò verba, & scripturæ oracula idem prohibere,  
 idem iubere: imò dum iubet, prohibere. Nemo cer-  
 tè est, ne grammaticus quidem, qui vel ipsam no-  
 minum notionem aduerterit, qui non illicò iudica-  
 bit, hic pugnam esse verborum, imò & rerum dissi-  
 dium: sed est ille hæreticorum genius, secum ipsi  
 pugnant, & cum natura, cum veritate pugnare vi-  
 dentur, & lucem tenebras, bonum malum, ama-  
 rum dulce pronuntiant, & omnia susque deque  
 sine lege miscent, & peruertunt.

Nobis autem, quibus aperitur purioris fidei oculus, patescunt ipsa scripturarum oracula, alius est sensus, alia mens, & intelligentia. Certumque il-

*c. 2. v. 26.* lud D. Iacobi pronunciatum: *sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Ut illa viuat, adde spiritum, & bona opera adijce: *fides enim vidua est, quæ operibus non nubet, & malè credit, qui credit tantum; & sicut, ut piè meditatur*

*Ser. 51. in cant.* Bernardus *inutiliter flos apparet, ubi non sequitur fructus:* sic gratiæ recuperandæ, & acquirendæ gloriæ, quæ illius est fructus, inutilis est fides, quam non ornant, & frugiferam ipsa reddunt opera. Eam frugem, cum fidei, operumq; nexum insinuant vestes illæ duplices, quibus omnes domestici mulieris illius fortis induti sunt. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus,* inquit de ea sapiens. *Veste duplici, una operis, altera mentis,* ut explicat Rabanus.

*Pro. 31. v. 21.* Quod si ea tu quoque induaris, erit tibi fides pro scuto, à quo præsidium in hac vitæ mortalis militia, & decus ac ornamentum in immortalis, beatæque sede nanciscaris.

Fuit olim scutum insigne quoddam gloriæ, ac honoris, ex quo factum, ut Imperatores suos milites pro re benè gesta donarent scuto, ipsique milites cum necdum esset vsus coronæ, parta demum victoria scuto coronabantur.

Ab illo ritu, legeque militari hausit Ecclesia diadema

dema capitis, illustreque scutum, quod quasi vertici beatorum imminens appingi solet. Probat illud magnos illos heroes, & grandes animas in hac breuioris æui militia pugnasse fortiter, vicisse fælicissimè, palmamque tulisse in longa illa, & beata æternitate. Vt & tu aliquando inter laureata illa sanctorum agmina censearis, scutumque cæleste, augusto vertice gestes: vide ut tibi fides, eaque à caritate, à gratia, à bonis operibus viua, sit pro scuto, tibi que dictum crede. *Aut cum hoc viue, aut in hoc morere.*

§. 9.

*Liber Euangeliorum in manu erit  
pro gladio.*

**C**VM reliquum fere corpus omne ab armis probè tectum sit, ne inermis, & iners sit manus, ei pro gladio, quem verset, dari solet liber Euangeliorum, *gladius spiritus, qui*, interprete Apostolo, *est verbum Dei.* *Ad E-  
phes. 6.*

Vt arma Christiano militi commendent sacræ paginæ, maximè tamen gladios extollunt, & laudant, eosque ferè tres.

Primus est gladius Goliath, cui hoc lemma ascribi placuit. *Non est huic alter similis.* *1. Reg. 6.*

Fuit Goliath carnea moles, & immanis veluti colossus, qui per summam impudentiam insultabat castris Israël: è quibus non est inuentus vnus

Ff

aliquis,

226 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
aliquis, qui manum manui, pedem pedi conferret;  
tantum sui vel stuporem, vel metum excitarat.  
In communi illa trepidatione, casuque, non ar-  
morum, sed animorum, affuit ouium pastor vnus,  
isque pusillus David, qui in campum descendit,  
venitque in singulare certamen; armis quidem im-  
par, viribus & lacertorum toris multum inferior:  
at animo, & in Deum fiducia longè superior. Illi  
pro armis fuere quinque lapides, quos è limpido  
torrente sibi delegit, in fundam primum, ac deinde  
in hostem misit. Lapidibus illis, si Philoni credi-  
mus, inscripsit nomina quinque Patriarcharum,  
scilicet Abrahami, Isaaci, Iacobi, Moyfis, & Iosue.

Vbi in arenam ventum est, è pera, quæ de collo  
pendebat, eduxit lapidem vnum, cui commissum  
erat Iosue nomen, bono sanè, ac foelici omine. Iosue  
enim Iesuni & Saluatorem significat, vt iam inde  
nosset David, nosset Israël omnis, à verò Iosue, ab  
vno Iesu & arma, & victoriam esse repetendam.

Vbi à lapide solo instratus Goliath, caput ei  
ademptum gladio proprio, isque in monumen-  
tum victoriæ appensus in tabernaculo, & in tro-  
pheum nobile erectus.

Alter gladius, cuius etiam meminit scriptura, est  
gladius Saulis, de quo hoc est elogium. *Sagitta  
Jonathæ nunquam redijt retrorsum, & gladius Saul  
non est reuersus inanis.*

Iaculator

Iaculator omninò peritus fuit Ionathas, qui sua tela ita torfit, ita vibrauit foeliciter, vt nullum excideret, nullum excuteretur, sed infigebat ille vel hosti, vel scopo ad quem collimabat.

Peritus etiam, & foelix Saulis gladius, qui è prælio non est reuersus inanis; sed plenus sanguine, & madens cruenta hostium cæde.

Tertius gladius, quem ab acie, ab insitâ vi, ab hostium strage, & victoria prædicat Antiquitas, est gladius Gedeonis. De eo hæc in somnis è Madianitis vnus aliquis accepit; quod statim proximo exposuit, vt Oedipum inueniret. Hæc fuit amœna imago somnianti obiecta.

*Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere: cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit, & terra funditus coæquauit.* Iudic. c. 7.

Non fuit illud somnium naturale, quod insitâ vi, aut speciebus rerû à sensibus acceptis euenire solet.

Non fuit etiam dæmoniacum, à malo dæmone immissum & impressum phantasiæ dormientis. Sed diuinum; nec enim oberrauit ea species hominis sopito, nisi diuina vi, quæ typos illos phantasiæ impressit, è quibus futura nuntiarentur. Ea porrò fuere huiusmodi, & huiusmodi interpretatio. *Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis: tradidit enim Do-*

228 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
*minus in manus eius Madian, & omnia castra eius.*

Hic incurrit vna quæstio, quæ similitudo, quæ cognatio panis subcinericij, & gladij Gedeonis? Ne multis in ea morer, peti potuit, ex quadam Hebræarum vocum similitudine: panis enim Hebraicè dicitur. *Lechem*, & *Lacham*, id est pugnare. Ea vocum affinitas fortè fecit, vt panis pro pugna, pugnaque instrumento, hoc est gladio, sumeretur. Verum sit ille labor, ea cura penes interpretes; ego ad rem meam venio.

Euangelij liber, Dei que verbum, quod docta, sacra que manu gestat Diaconus, erit illi pro gladio, quo aduersas Ecclesiæ orthodoxæ acies petat, dissipet, perdat: est enim *gladius spiritus, verbum Dei*. Eo armatus Isaias bellicum canit, & de Messia vaticinatur, effert que vim illius verbi. *Posuit, inquit, os meum quasi gladium acutum.*

Sunt qui cognationem linguæ & gladij ducant ex quadam similitudine huius cum illa, exhibet enim lingua speciem gladij vtraque parte acuti, & è palato, tanquam è vagina sese exerit, atque in vocem explicat.

Malim tamen eam ab insita vi, atque efficacia deriuare: in martio puluere nihil adeò stragem edit, atque gladius. Quamdiu eminus agitur: siue tormentis maioribus è nitrata nube Mars tonet, siue minoribus densa globorum grando depluat, siue  
tenso

tenso arcu deuolent sagittæ, non tanta ab ijs hominum clades: at vbi certatur cominus, vbi pes pedem premit, & manus manum, vbi stricti ensis fulgor, aciesque non oculos modo, sed & corpora percellit, ferroque dirimenda pugnae alea: tum verò nutant acies, disturbantur agmina, & plurima vbiq̄ue cædes, ac mortis imago. Ea nimirum in ferro vis est. Nec minor in Dei verbo.

Dicitur olim magnus ille Legislator Moses Ægyptium interfecisse gladio oris sui, vnicoque verbulo. Memorant Rabbinii (vt ante dixisse memini) Moysen valido spiritu, contenta voce protulisse ineffabile nomen Iehoua; à quo velut fulmine percussus Ægyptius illicò concidit: sed quia de hoc dubia fides. Censet D. Hieronymus Ananian, & Sapphiran, expirasse percussos ore gladij, vnaque Petri voce. Credit etiam Elymam ad Pauli voces excæcatum. Erat ille insignis Magus, qui suis præstigijs, & malis artibus multos fascinabat, Pauloque ac Barnabæ fortiter resistebat; in quem intuens Paulus, minace vultu, ardentibus à zelo diuinæ gloriæ oculis, hoc ore, ceu sacratiore vagina emisit. *O plene* Act. 13.  
*omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem usque ad tempus.*

Hæ Pauli voces, hic concitatae orationis stylus

230 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
 in oculos Elymæ Magiemissus, ei & lucem, & so-  
 lem hunc aspectabilem ademit. Melius aliquantu-  
 lum actum cum foelice Præsîde, qui Paulo dispu-  
 tante de *iustitia, de castitate, & de iudicio futuro,*  
*tremefactus* totus vltra audire noluit: adeo acies il-  
 lius gladij, & oculos, & animos feriebat. Vt por-  
 ro vox tua ita seu ad terrorem, seu ad salutem feriat,  
 consonet voci Pauli, de qua ita magnificè Chryso-  
 stomus. *Coelum etsi tam diu sit ad visum expositum,*  
*non eam habet persuadendi vim, quam Paulus est*  
*tam breui Christi fidem vulgando assecutus; vt ad*  
*se terrarum orbem traheret vniuersum.* Trahes &  
 ipse, si tibi cum Paulo, cum Christo lingua sit gla-  
 dius, & vtraque parte acutus.

Act. 24.  
 v. 25.

Vifus hic Ioanni exultans in medio septem can-  
 delabrorum aureorum. Vox illius tanquam vox  
 aquarum multarum; ecce vt profundum insonat  
 Dei verbum.

Erant ei in dextera stellæ septem; ecce lucem, ac  
 splendorem diuinæ vocis.

De ore eius exhibat gladius vtraque parte acutus;  
 ecce, vim, & energiam Euangelicæ prædicationis.

Coll. 6.  
 c. 10.

Quis ille gladius quæris? Theodoro Abbati apud  
 Cassianum, ancipite gladio pugnat Christianus mi-  
 les, qui æquo est animo ad læta, & tristia, ad pro-  
 speram, aduersamq; fortunã, ad laudes, & vituperia.

Is fuit olim patiens Iobus dextera, sinistraque pu-  
 gnare

gnare doctus, & vincere; dextra quidem, cum esset in amplissima fortuna, septem filiorum parens, pes claudus, oculus cæcus. Sinistra vero cum filiis orbis, bonis omnibus exutus, afflicto, exeso, lacero- que corpusculo saniam raderet, & aduersæ fortunæ piè insultans, diceret. Si bona suscepimus de manu Domini, quare mala non sustineamus?

Is deinde fuit & Ioseph in prosperis patri gratior; fratrum amantior, Deo superisq̄ue acceptior. In aduersis castimoniam, fideique retinens, & illatæ quondam iniuriæ immemor. Pugnarunt Heroes illi, principes animæ *per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris*, & ita pugnet est necesse, qui cælo, & beatæ æternitati pugnare gestit, ac vincere.

Sed & alius est gladius anceps, & vtraque parte acutus: gladius, inquam oris, & operis: eo certat, qui non voce tantum Deo militat, sed & opere, exemploque vitæ sanctioris.

Ita præliari docuit Seruator optimus, qui cæpit facere, & docere, potens in opere primum, deinde & in sermone. Ita nos & verbo, & exemplo docuerunt Sancti Patres. D. Hieronymus Epistola ad Nepotianum, sacrum Oratorem his instruit. *Non confundant opera tua sermonem tuum. Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiunijs disputat. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent.* Huius concordiam; consensusque oris cum manu, verbi cum

cum opere causam affert, tum è propriæ conscientie sinu, tum ex partibus boni Oratoris petitam: ex

Ep. 16. ad  
Principiam.

illa quidem, quia, *Erubescit quamuis præclara doctrina, quam propria reprehendit conscientia, frustra que eius lingua prædicat paupertatem, qui Croesi diuitijs tumet.* Ex hoc autem, quia *rhetores, inquit, definiunt Oratorem qui sit vir bonus, docendi peritus. Perdit enim authoritatem docendi, cuius sermo opere destruitur.*

Ep. 83.  
ad Occasum.

Quod si in profano Oratore, qui auribus tantum blanditur, & plerumque auram captat popularem, cum eximia docendi peritia, parem vitæ integritatem exigunt Rhetores, negantque eum esse, qui hac aut illa caruerit: quanto magis tam hanc, quam illam in sacro Oratore desiderabunt? de quo aureum illud effatum eloquentis Chrysostomi. *Magnus præco veritatis in cœlis homo, in terris Angelus, homo quidem in cœlis à natura, quia à virtute, à morum castimonia, ab elatione piæ mentis, in terris Angelus fuit. Et is esse debet, qui manu Evangelium præfert, qui ore facundo explicat, tonatque è pulpito. Et hoc quidem, quia in sublimi quodam, arduoque vitæ gradu constitutus est, in quo si mores dignitati suppare non exhibet, eadem illi Deus, quæ olim peccatori. Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras Iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?*

Pf. 49. v.  
16.

Epipha

Epiphanio teste, cum Origenes Ierosolymis di-  
ceret ad confertam populi turbam, suauique ac  
forti, vt alias solebat, tonaret eloquentia, fortè in-  
cidit in hunc Dauidis locum, & subito obmutuit,  
nimirum vocem interclusit dolor, creber anhelitus,  
alta suspiria fatifcentis animi, & ingens vis lacry-  
marum, quæ in genas, in ora plueret, & verba vix  
concepta mergere, atque obruere.

Ingens erat auditorum turma, docta magnum  
illum oratorem sequi, & amare, erant enim in eo  
magnæ, ac potentes verborum illecebræ, & ingens  
neruus eloquentiæ, quem vbi subito illo luctu, la-  
crymisque accidi viderunt, nec ipsi gemitus, ac la-  
crymas, tenere potuerunt; sed & suo infuderunt  
oratori. Meminerat ille se non ita pridem, cum Ale-  
xandriæ esset, non tam sponte, quam tyrannorum  
minis, paucula thuris grana Deorum simulacris in-  
cendisse: hinc illi gemitus, illæ lacrymæ, illi sin-  
gultus pœnitentis animæ: quæ sibi per summum  
probrum obijci audiebat illud. *Quare tu enarras  
iustitias meas, & assumis testamentum meum per os  
tuum?* Quod illi quondam, hoc & tibi modo si in  
eadem es nauis, scyllaque peccatorum, & tamen  
profano, impioque ore & Dei tui iustitias enarras,  
& testamentum assumis. Et hoc est secundum ca-  
put, ex quo conficio præcones diuini verbi pugna-  
re debere ancipiti gladio, oris scilicet, & operis. Hos

D. Gregorius Nazianzenus oratione funebri in S. Basilium vocat ἀμπίδεξις, ambidextros, qui & vita certant, & eruditione, ab hac aures pulsant, ab illa commouent animos auditorum; magnamque reportant victoriam, quam præfago spiritu longè ante cecinit propheta, dum ait. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Latus sinistrum est recondita quædam rerum peritia, cum nitore orationis, dicendique copia: ab illa cadunt mille, hoc est multi dant manus, & animos concedunt facundæ linguæ: at verò à dextris tuis, id est à morum innocentia, ab integritate vitæ, à luce, soleque altioris animi, ab exemplo bono cadunt decem millia, hoc est longè plurimi, neque enim ea vox quæ lingua fingitur, & auras inanes verberat, vim habet ad concutiendos hominum animos, sed ea quæ virtutis est, & rei benè gestæ; hæc & auditores etiam longè positos euocat, & amabili trahit virtutum illecebra, facitque vt quem exemplo suo præeuntem viderint, sequantur quam auidissimè.

*Ser. 59. in Cant.* Vt enim disertè Bernardus: *Hoc est dare voci suæ vocem virtutis, cum quod suades, prius tibi cognoscere persuasisse.* Quod quam verum esset, sibi, sociisque suis altè impressum voluit, imo & verbo, & facto docuit Ioannes Fernandus, Comes sociusque S. Xauerij. Hic in Iaponia, inculta regione, & tenebris obsita diu hæserat, exiguo, imò nullo propè fructu,

fructu, seipse verterat partes in omnes, & omnem differendi facultatem, qua tamen pollebat quam maximè, explicarat, sed surdis auribus, & obduratis animis: ad verba, quæ incassum sæpius effuderat, addidit exempla vitæ sanctioris, insignisque patientiæ. Die enim quodam cum in triuio ad confer-tam turbam, concionem haberet Sacer orator: Iaponum vnus aliquis cæteris petulantior in faciem eius expuit: videri poterat, & verò etiam erat insolens facinus, & immanis quædam iniuria, à qua expectari poterat, & fulmen concitatae iam orationis, & tonitru vocis, & iræ vindices. Eas tamen non dedit animus seipso & omnibus iniurijs superior. Modestè enim, & sputum deterfit, & solitum orationis cursum tenuit, neque verbulo sibi illatam iniuriam eluit, neque asperiore vultu latentem in mente sensum ostendit. Ea viri modestia, & patientia ad eam horam Iaponicis oris non visa, ita commouit, & rapuit spectantium animos, vt & sibi quisque diceret, & alijs prædicaret. Non posse à verò, bonoque aberrare doctrinam, quam ea patientiæ firmassent exempla. Exinde Fernandium suspicere, amare, audire Iapones, & bonis eius præceptionibus acquiescere; adeo verum illud Senecæ: *Longum iter per præcepta; breue, & efficax per exempla: quia homines amplius oculis quam auribus credunt.* Ita (vt alios præteream) credidit ex Auditoribus

Historiæ  
Societ.  
Lib. 11.  
Num.  
104.

Historia

Gg 2

toribus

236 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
toribus vnus aliquis, qui dimissa concione, domum  
ad Fernandium venit, cognitisque probè legibus,  
institutisque Christianis, Amangucianorum om-  
nium primus Christianus efficitur. Ab hoc fonte,  
atque initio ducta est postea tot Iaponum ad Chri-  
stiana sacra conuersio, vt appareret quanto sint po-  
tentiora ad persuadendum virtutem facta quam  
dicta. Sed institutum rursum teneamus, videamus-  
que sitne alius SS. Patribus gladius anceps.

Hugoni de S. Victore, gladius Christiani militis,  
Pastoris boni, anceps esse debet, vt bonos à malis,  
oues ab hædis diuidat, atque discernat: refecetque  
membra putrida, ne sua tabe, quod reliquum est  
corporis, inficiant; ideoque bonus Pastor Bernardo  
medicus audit; qui vt corpus seruet, membrum no-  
xium acie nouaculae fecat, & opportunam medici-  
nam adhibet. *Sciunt, inquit, boni, fidelisque Præpo-  
positi languentium sibi creditam animarum curam,  
non pompam: medicos se, & non Dominos agnoscen-  
tes, parant confestim aduersus phrenesim animæ, non  
vindictam, sed medicinam.* Hanc quidem si patia-  
tur æger sibi corruptum sanguinem elici; illam si  
remedia respuit nescius salutis, tum enim pius vin-  
dex alteram ancipitis gladij aciem expedit, & à cor-  
pore Ecclesiæ rescindit ac separat. Hoc gladio opus  
ea qua viuimus tempestate, cum bonis mali, Ca-  
tholicis hæretici permixti visuntur.

Eucherio

Eucherio gladius anceps diuinæ iustitiæ conceditur, ille corpus ab anima diuidit, & suas infert pœnas: illi quidem breues, ac fluxas; huic æternas decernit. Hunc gladium maximè timere docuit Christus. *Nolite, inquit, timere eos, qui occidunt corpus, & post hæc non habent quid faciant, ostendam vobis quem timere debeat. Eum timete, qui potest & corpus, & animam mittere in gehennam, ita dico vobis hunc timete.* Alijs pro gladio ancipiti placet actio, placet & cōtemplatio, vtrâq; valere debet miles Christianus, qui armata manu cælū petit.

*Quest. ultima in Psal.*

Iulio Cæsari quondam exhibita statua lauro virenti redimita, quæ dextra rotabat gladium, sinistra calamum regebat: subiecta erat hæc epigraphæ.

*Ex utroque Cæsar.*

**O** Stendebat illa Cæsarem & manu, & mente, & calamo, & ferro, & arte militari, & liberalibus disciplinis plurimum valere. Ita necessum est, vt sacrorum minister & actione polleat, & altissimarum rerum contemplatione, sibiq; cum Iacobo & Liam & Rachelem fœlici connubio iungat. Lia Hebraicè laborem significat, Rachel quietem, sit tibi labor in actione, quies in contemplatione; est mutua quædam huius ac illius necessitudo; non enim potest *oculus dicere manui opera tua non indigeo.* In oculo vis perspiciendi, in manu agendi facultas est, quæ, vt inquit D. Gregorius

*1. Cor. 12. v. 12.*

Nazianzenus, inter se quasi temperata esse debent, quia nec contemplatio per se animam perficit, neque philosophia occupata in agendo satis est utilis, sed hæc illi iuncta sit oportet.

## §. 10.

*Quomodo gladium illum spiritus, Dei verbum, vel retundere, vel infringere conati hæretici.*

**C**VM satis intellexissent omni ævo hæretici, gladio spiritus, verboque Dei iugulum suum peti, errores accidi, malosque dolos, ac fraudes eludi; eo vires omnes intenderunt suas, ut illud vel runderent, vel infringerent; vel si id assequi non possent; certè adulterarent quam maximè: quod ut facerent, primum aut omnes, aut plerosque scripturæ libros è sacris paginis expunxerunt, aut foedè mutilarunt, ac detruncarunt, aut denique ex suo genio, priuatoque, ut aiunt, spiritu sunt interpretati, itaque falsa veris, profana sacris, humana diuinis commiscuere, & susque deque vertere omnia: de singulis pauca attingamus. Simoniani, Manichæi, Albigenes vetus Testamentum, quantum est, è librorum sacrorum serie, ac catalogo sustulerunt; & pro fabulis anilibus habuerunt. Theodorus quidam Mopsuestiæ Episcopus, Prophetas omnes reiecit, & procul amandauit.

Nicolaitæ psalmos Dauidicos habuere ut profana

na

na cantica, poëticos æstus, ac deliria. Hebræi in suo Talmud librum Iob in sterquilinum cum authore suo abijci voluerunt, & prostitui.

Lutherus Vir gulæ, & abdomini natus in con-  
 uiuiabilibus sermonibus madida iam lingua, ebria  
 mente, nutante calamo Ecclesiastem abiecit, quod  
 cum Salomon in extrema senectute mulierum a-  
 moribus iam deprauatus conscripisset, nec aduertit  
 cum Hebræis, & Hieronymo eum exarasse, vt &  
 vanitatis, quam hauserat, & pœnitentiæ, quam spe-  
 ctabat, in eo posteris daret argumenta. Castalio  
 repudiauit cantica canticorum, eaque voluit scripta,  
 non Dei spiritu, sed æstu quodam impotentis libi-  
 dinis, quæ in molliculas amoris voces, & illecebras  
 effluit. Vt huic suæ hæresi patrocinium, nomenque  
 faceret, argute notauit in canticis, ne semel quidem  
 exprimi augustum Dei nomen, quo tamen alij li-  
 bri sacri resperfi sunt. Verum aduertisse debuerat  
 datum illud diuino amoris: in alijs enim scripturæ  
 voluminibus egit Deus cum synagoga vt ancilla,  
 ideoque ea nomina protulit, quæ reuerentiam, quæ  
 timorem incutiebant: at verò in canticis cum Ec-  
 clesia vt sponsa loquutus est; ideò suppressit ea no-  
 mina, quæ maiestati, quæ timori seruire debuerant,  
 exposuit autem quæ amoris in nos suo, diuinæque  
 indulgentiæ. Porphyrius Danielem impugnavit,  
 non ratione, sed maligna, & pertinaci mente, cala-  
 moque

Tit. de  
 Patriar-  
 chis, &  
 Prophe-  
 tis.

240 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
moque Calvinus ne alijs ea in parte cedere videretur, etiam & ipse malignum vnguem in sacros libros immisit, ex ijsque Ecclesiasticum, & libros Machabæorum erasit. Et hi ferè sunt, qui veteris testamenti tabulas qua voce, qua scriptis elidere, & authoritatem ijs detrahere conati sunt: ita nimirum in ijs ludit sibi semper constans hæreticorum inconstantia, & acrioris, mendacisque censuræ libido, quæ etiam nouum testamentum inuasit, vt nihil esset ab ea liberum, & intactum.

L. 32. c.  
16.

Faustus hæreticus, contra quem acriter pugnat Augustinus, omnia Euangelia impugnavit, eaque non à viris Apostolicis, sed ab impostoribus scripta clamitavit. Alogiani tres Euangelistas receperunt, Matheum, Marcum, & Lucam; Ioannem ex eorum numero esse noluerunt, quod eorum hæresi contrarius esse videretur: ita Euangelij illius lucem, solemque horruerunt noctuæ, & abiecti tenebriones.

Ebion, & ipse impius hæreticus, solum Matheum ex Euangelistis probavit. Cherinthus solum Marcum, Marcion Lucam, cumque vnum; denique Valentinus Ioannem tantum admisit; cæteros à fide, à veritate alienos esse pronunciauit. In huius partes inclinavit etiam Lutherus; Gerdon, & Tatianus Apostolorum acta pro apocriphis habuere.

Ebionitæ D. Pauli Epistolas damnarunt, & ipsum Paulum, qui primæ veritatis oraculo audiit vas electio-

electionis, per ludibrium græculum hominem, at-  
que apostatam vocitarunt.

Lutherus Epistolas Diuorum Iacobi, & Iudæ in  
sacris admittere renuit; quia ijs videt se, suamque  
fidem exanimari.

Et hæc quidem sunt, quæ hæreticorum insana  
carpendi libido varijs in locis sparsit, ego hîc colle-  
gi, vt in ijs hæreseos inconstantiam legas, ac dam-  
nes; simulque agnoscas eos à malo spiritu regi, qui  
vt primus diuinarum vocum oracula mendace lin-  
gua, aufuque temerario violauit, ita & hæreticos,  
afleclas suos violare docuit.

A prima orbis molitione cum esset homo in Pa-  
radiso voluptatis, affuit ei serpens inuidus, & Eux  
parenti nostræ hæc pauca locutus. *Cur præcepit  
vobis Deus?* Hebraicè *aphki* etiamne præcepit?  
dubiè loquitur, & quasi interrogando: Deus au-  
tem non sic: ex vero enim affirmarat, & præceperat.  
Eua iam infecta hoc serpentis sibilo, eius quodam-  
modo spiritum hausit, & omnium prima sacra  
Scripturæ verba adulterauit. Subiecit enim. *Præce-  
pit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus il-  
lud.* Hæc postrema verba addit de suo, vt augeat, &  
exaggeret diuini præcepti inclementiam, quo ve-  
tabantur non tantum comedere, sed & tangere.  
Hoc autem indulgens Dominus non inhibuerat.

Addit deinde & alterum mendacium: *ne fortè*

11016103

H b

moria-

*moriatur* : dubiæ fidei vocula *fortè* hanc è suo ce-  
 rebello adijcit foemina, à qua primò Scriptura vi-  
 tium passa : eius æmuli sunt hæretici, vti & mali  
 dæmonis, qui & ipse Scripturis malè ludere doctus  
 etiam cum Seruatore, cui olim in deserto hæc in-  
 aures ingessit. *Mitte te deorsum, scriptum est enim :*  
*Angelis suis Deus mandauit de te.* Hoc telum iacit,  
 in quo, præterquam quod perperam cum locum  
 interpretatur, sequentia verba subdolè reticet; *ut*  
*custodiant te in omnibus vijs tuis.* Hanc mali dæ-  
 monis artem & dolum expendit D. Bernardus.  
*Animaduertite, inquit, & videte, quoniam subticuit*  
*malignus, & fraudulentus, quod malignitatis sue*  
*commenta dissolueret. Nempe ut custodiant te in*  
*omnibus vijs tuis. Nunquid & in præcipitijs? qua-*  
*lis via hæc de pinnaculo templi mittere se deorsum?*  
*non est via hæc, sed ruina; & si via est, tua est, non*  
*illius.* Est nimirum, eritque in sæcula is genius Ca-  
 codæmonis, eritque & hæreticorum Scripturæ verba  
 ad infanos sensus vel detorquere, vel mutilare; vel  
 etiam peruertere, quod & à Iudæis antefactitatum.

Sentiebant illi è veteri Testamento, maximè ve-  
 rò Prophetarum oraculis, multa, eaque illustra  
 peti argumenta, quæ in posteras ætates efferrent  
 Messiaæ aduentum, vitam, mortem, aliaque fidei  
 nostræ capita, quæ vt pessundarent, in hoc vno de-  
 sudarunt, vt opus illud sacrum, quantum erat adul-  
 terarent,

terarent, eaque loca expungerent, quæ fidei Christianæ mysterijs authoritatem aliquam conciliare videbantur. Laborarunt in illo opere, totis ferè quadringentis annis, & eo quidem, vt toto orbe, vix inueniri possent exemplaria duo, quæ inter se conuenirent, adeo pertinax in malo labor, leuis & inconstans falsitas; à qua cum Iudæi audirent quam pessimè: omnibusque in scholis, ac pulpitis vapularent, tandem anno Christi octauo supra quingentesimum in Palæstina, vrbe Tiberiadis concilium è peritissimis Rabbinis coegerunt; in quo primum inuenta puncta, quorum author, & princeps fuisse dicitur Rabbi Aaron, & Rabbi Aser: sed neque ijs punctis notari potuit, & affigi veritas, quæ etiam ab illis vitium passa: adeo nihil tutum ab iniuria, quod humanum sit, nihil ab inuidiæ, & æmulationis maleuolentia immune esse potest, nihil ab hæresi, & insigni Iudæorum perfidia intactum, sacrum sit licet, & inuiolabile. Prouiderat tamen longè ante diuina miseratio; ducentis quippè & triginta annis antequam in orbe hoc viseretur Deus homo, Philadelphus hebræa Biblia græcè reddita, opera, ac labore septuaginta duorum Interpretum.

Erant Israëlī Tribus omnino duodecim, è singulis electi viri sex à prudentia, à doctrina, ab hebrææ, græcæque linguæ peritia inter suos facile principes, conuenere illi in Insula Pharos, quæ

244 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
imminet Alexandriae Ægypti, & modo celebris  
est nomine, ac fama septuaginta duorum Interpre-  
tum, in quorum memoriam quot annis in Insu-  
la Pharos indicuntur festi dies, ad quos non Iudæi  
modò, sed & Christiani per longa maria, & peri-  
culosos oceani tractus enauigant, vt videant, ac ve-  
nerentur ea locorum vestigia, in quibus primum  
eluxit germana, & vera Scripturæ sacræ interpre-  
tatio; tantum potest in bonis mentibus amor veri-  
tatis, & sacrorum librorum veneratio; quæ vt om-  
nium animis altius infideat, vnaque eorundem in-  
terpretum fides, & authoritas clarior euadat; non  
erit importunum huic membranæ inscribere, quæ  
eo loci, ac temporis miracula spectauit, stupuitque  
orbis vniuersus.

Philo de  
vita Moy-  
sis l. 2. c.  
9.

Primum fuit eiusmodi, quod duobus diebus non  
amplius septuaginta duo illi seniores totum vetus  
Testamentum ex Hebræo in Græcum idioma tran-  
scripserint; mirabili sanè, stupendaque celeritate,  
quam non attingat vlla vis ingenij, vlla manus ex-  
primat, vllus calamus effingat, nisi quem regat,  
abripiatque Dei digitus.

Huic miraculo accessit & alterum: quod etsi lo-  
co essent dissiti, nec inter eos vlla, aut verborum,  
aut calami communio fuisset: tamen sacra Biblia  
expressere, & posteris edidere; non eadem tantum  
fide, eodem sensu: verum etiam, iisdem omnino  
verbis,

verbis, in iò & caractere, typisq̄ue adeò similibus, ut iuratus etiam affirmares vna manu, vno calamo exarata omnia. Quod prodigium cum plausu, sacroq̄ue stupore tum patuit, cum expedito opere inter se conuenere omnes, & suas singuli Interpretationes, quasi totidem symbola contulere. Nimirum eorum spiritus, intelligentias, manus, calamosq̄ue moderabatur mens altior, ac diuina, ut & idem conciperent, & in tabulas emitterent.

Secus omninò faciunt hæretici, apud quos, tot sententiæ, & explicationes sunt, quot capita; quibus in pœnam venit, quod olim ædificantibus turrim Babel; confundit Deus linguas eorum, & ut elato cothurno Chrysoftomus: *quia abusi sunt vocis, & Scripturæ vnitæ, castigantur diuersitate.*

## CAPVT VII.

*De diuinis Officijs.*

**V**bi sacra ornatus veste steterit Sacerdos, è sacrario soleinni pompa ad aras educitur, ut immortalis Deo sacrificium offerat accinentibus hinc inde alterno choro musicis, à quibus, ex pio Ecclesiæ instituto, diurnum, nocturnumq̄ue horarum pensum exoluitur. De hoc, & illo mihi erit breuis disceptatio; in qua ne me damnes amice lector, quasi actum agam, stylumq̄ue ducam in ar-

Hh 3

gumento

246 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
gumento satis, superque trito, ne me, inquam, in-  
auditum accuses, & carpas: nec enim actum agere,  
aut in alienam messem falcem immittere, aut ab  
alijs decantata repetere est animus.

Scio viros magnos, scriptoresque illustres longè  
ante me ceris incubuisse, & doctis membranis in-  
scripsisse multa de Missæ sacrificio, siue ex sensu  
scholæ, altiorisque Theologiæ principijs, siue ex sa-  
crorum rituum norma, ac regulis: sed nemo, quod  
sciam, eo collimauit, vt ex illis ea tantum delibaret,  
quæ facerent, vel ad formandos mores, vel ad insi-  
gnem Mystrarum nostrorum sanctitatem, ex ipso  
Missæ sacrificio, diuinisque officijs, velut è natura,  
& causæ visceribus eruendam: quod vnum tamen  
vt hactenus spectauit, ita in jis, quæ bono genio du-  
ce subscribam, spectabo, & in vnum illud incum-  
bam totus, vt & educantur è tenebris venerandæ  
Antiquitatis monumenta, & in fronte sacrifican-  
tium præclara morum documenta imprimantur;  
quod dum assequi laboro, tu mihi beneuolos ani-  
mos concede.

PARS PRIMA.

*De sacrosancto Missæ sacrificio.*

**D**E eo primum quæri potest quid nominis,  
tum deinde quid rei, tum denique quæ illius  
cæremoniæ, qui ritus opportuni ad mores ex lege  
diuina, & sacrorum munerum decore effingendos?

§. PRI-

## §. PRIMVS.

*Sitne Missa nouum, an Antiquum nomen?*

**N**On ita pridem in Gallia Ministellus aliquis in Sacerdotem Catholicum incidit, ex eoque quæsiuit, cui rei potissimum vacaret, subiunxit ille Missæ Deo immortalis offerendæ: hic subrisit Ministellus, & satis opportunè, nactus hominem plus æquo ignarum, callidè quærere, & yrgerere cœpit: quid nominis esset *Missæ*, quæ eius notio? & vnde petita. Cumque hic ex ignorantia, ruboreque subticuisset Sacerdos: tum quasi victo insultans Minister. Egregium sanè, inquit, sacrificulum, qui sacrificium, & Missam, quam in dies singulos peragit, ne de nomine quidem nouerit, ablegandum esset hoc genus hominum ad grammaticam, vt in ea vocum suarum notionem & etymon inueniret: sed nimirum non inueniret: est enim Missa nouum, insolens, Papisticum nomen, antiquis sæculis inauditum, atque etiam grammaticis ignotum. Sic ea quæstio in risum abiit, in scommata, & calumnias, quas suo more, genioque Ministellus ille in Papietas, Romanamque Ecclesiam conijcere cœpit: sunt enim huius farinae homines in paucis facundi, & dicaces, vbi nemo est, qui verbosam illam eloquentiam, & maledicendi pruriginem coerceat, neruo sanioris doctrinæ, sacræque eloquentiæ: ego etsi ab  
illa

248 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
illa minus instructus; dicam tamen, & ex Antiqui-  
tatis fide nonnulla etiam testimonia, quibus ea  
calumnia diluatur, pateatque Missæ nomen, non  
esse nouum inuentum, sed à maioribus nostris v-  
surpatum.

Vt nos arguerent nouitatis, ipsi Nouatores finxe-  
runt Missæ nomen, primum à D. Gregorio exco-  
gitatum, & in sacras tabulas admissum: est tamen  
insignis ea calumnia iniusta nomini, bonæque fa-  
mæ tanti Pontificis: ex vero enim Missæ nomen  
iam inde à primis sæculis, ipsaque propè nascentis  
Ecclesiæ infantia audiri cæptum, producamus in  
medium luculenta veterum super ea re testimonia.

Clemens Romanus, qui passus anno Domini  
secundo supra centesimum Epistola tertia memi-  
nit huiusce nominis. *Sacrificare, inquit, & Missas  
celebrare non licet, nisi in ijs locis, in quibus Episcopus  
proprius iusserit.*

Ei consentit Euaristus, qui vixit anno Domini  
duodecimo supra centesimum: ita enim habet. *Om-  
nes basilicæ semper cum Missa debent consecrari.*

Apud Bu-  
chardum  
l. 3. c. 27.

Consonat Alexander, qui Euaristo successit, vi-  
guitque anno Domini vigesimo primo supra cen-  
tesimum. Hic in Epistola ad Orthodoxos, capite  
quarto, & canone: *in Sacramentorum* apud Gratia-  
num, ita loquitur.

De con-  
secrat. d.  
3.

*In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Mis-  
sarum*

*sarum solemnia Domino offeruntur, Passio Domini miscenda, ut eius cuius corpus, & sanguis conficitur: Passio celebretur.*

Hoc fuit decretum, hoc oraculum magni Pontificis, è quo hæc ad fidei nostræ lucem audiant nouatores. Primum oblationes à fidelibus primis illis sæculis fieri solitas, ne nos in ijs & nouitatis, & auaritiæ insimulent; tum Missarum solemnia, & in illis Christi corpus, & sanguinem confici credant, edocti testimonio, calculoque venerandæ Antiquitatis.

His addi possent longa serie secuti summi Pontifices. Telesphorus. Hyginus. Pius primus. Soter. alijque quos studio breuitatis omitto, ne cartham onerem multis testimonijs, in argumento satis obuiio, & noto. Videri potest super ea re Gratianus. Et Romanum Concilium sub Syluestro anno Domini vigesimo quarto supra ter centesimum. Carthaginense secundum Anno ter centesimo nonagesimo septimo. Arelatense tertium Anno quadringentesimo quinquagesimo tertio, aliaque Concilia, in quibus leges antiquum, & venerandum Missæ nomen, & fidem, consensumque totius Antiquitatis, cui reluctari ut nouum est, ita insolens, atque intolerabile.

Certè ex hæreticis huius æui fatentur plerique omnes fidei dogmata, ritusque ac institutiones tri-

I i

bus,

250 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
bus, quatuorve primis sæculis illibatas fuisse, licet  
postea labente ætate, collapsas velint, non ex verita-  
te, sed ex suo genio: de quo vt in præsentia non  
querar, assumo tamen quod vltro mihi concedi-  
tur, & cum primis illis sæculis auditum sit Missæ  
nomen, non nouum, sed antiquum esse concludo:  
finioque cum illustri D. Hieronymi testimonio,  
qui & ipse aurea illa, & incorrupta sæcula spectauit:  
ita porro sentit, ac loquitur.

In c. II.  
2. 64.

*Notandum autem, quod etsi impijs post mortem  
spes veniæ non est, sunt tamen qui de leuioribus pec-  
catis, cum quibus obligati defuncti sunt, post mortem  
possunt absolui, vel pœnis videlicet castigati, vel  
suorum precibus, & eleemosynis, Missarumque cele-  
brationibus.*

§. 2.

*Quæ notio, & etymologia huius nominis  
Missæ?*

**C**Atholicos inter, & hæreticos non tantum de  
antiquitate vocis est quæstio, sed & de ipsa  
notione, germanaque etymologia.

1. 4. Instit.  
c. 18. §.  
18.

Calvinus vir vt perspicacis, ita maligni ingenij  
contendit Missam appellatam esse à mittendis in  
medium muneribus, quasi symbolis quibusdam,  
vnde fieret sacra cœna, itaque confundit Missam  
cum Agape primorum Christianorum, in qua pau-  
peribus epulum parabatur. In hanc sententiam iuit

Calvinus,

Calvinus, vt etiam iret in tacita dictoria, carperetque suo more Sacerdotum auaritiam, quibus in Missa oblationes dari solent.

Kemnitius alio vocat etymon vocis illius *Missæ*; aitque esse Deum, arcem, & robur Antichristi, id est Papæ, quod vt suadeat, addit mira quadam prouidentia factum vt *Missæ* nomē cum Deo Antichristi cōueniret. Hic à Daniele appellatur *Mahuzim Deū* c. ii. (inquit Propheta) *Mahuzim in loco suo venerabitur.*

Hanc doctrinam primum impuro ore, impudenti lingua euomuit Lutherus, & patenti faucium hiatu excepit Kemnitius, & in reluctantes auras emisit: sed errat impius, & nimium quantum errat.

Primum enim quæ cognatio, quæ affinitas ac similitudo *Mahuzim* cum *Missæ*? nulla sanè, nisi quam effingit Antichristo cognatus animus. Deinde Rex ille qui colet *Mahuzim* dicitur eo loci futurus Rex Aquilonis, contra quem ibit Rex Austri, ipsique Romani aciem mouebunt; non igitur Rex ille est Papa, qui Romæ sedem, domiciliumque fixit. Vt ergo ista *missa* faciamus, ad sententias quæ vero propiores sunt accedamus.

Albericus censuit *Missæ* vocem è Græco deductam: sed nusquam apud Græcos huius nominis est vsus, ijs dicitur Liturgia, & Synaxis. Verosimilius illi, qui deriuant ab Hebræa lingua, sed & inter eos opinionum est pugna & dissensio.

In Pf.  
101.

Petrus Viegas Miffam trahi putat ab Hebræa voce *Massah*, quæ panem azymum significat. Eo vsus Christus in vltima cœna, qua panem azymum in corpus suum vertit, cuius memoria vt excederet in longè futuras ætates, etiam ipsum nomen retineri placuit mutata litterula, vt pro *Massah*, *Miffa* diceretur, omiffa aspiratione *he*, quæ aliquid habet asperitatis, alienæ ab hoc sacrificio, in quo summa suauitas, & magnæ diuini amoris illecebræ.

Ad E-  
phes. 5.

Alijs tamen magis placet *Miffam* deriuari, à *Miffah*, id est oblatio, & hæc interpretatio conuenit quam optimè: hic enim Christus, vt Apostoli ore, verbisque loquar, *tradidit semetipsum oblationem, & hostiam*. Ea primum oblata fuit in cruce cum innocentissimus agnus ad occisionem ductus est, tum deinde in altaribus Ecclesiæ Catholicæ immolatur, vt tridentini Patres cum omni Antiquitate definiunt: de ea diuino spiritu Paulus *una*, inquit, *oblatione consummauit in æternum sanctificatos*. Vnam vocat oblationem vt apicem omnium sacrificiorum, religionis florem, & perfectissimam diuini cultus rationem. Et hæc quidem ex illa opinione, quæ ex Hebræo fonte deductum voluit augustum *Miffæ* nomen: nonnullis tamen magis sapit Latina scaturigo, quæ eo ducit, vt probet effluere à verbo *mitto*. Sed cur ab illo inquires? hic iterum hæret aqua, dubiaque mens quo se flectat: vt enim

in

in alijs fecunda sunt hominum ingenia, seseque in diuersas opiniones effundunt : ita & in hoc argumento latius spargunt.

Hugo de S. Victore putat ideò Missam appellari, quod in ea totius populi preces, & vota in cœlum mittantur, & puris Sacerdotum manibus immortalis Deo sistantur, veluti per Legatos, & totius generis nostri internuntios. Qua de re aureo orationis flumine Petrus Chrysológus. *Sacerdos*, inquit, *versatur inter altaria semper peccatorum causas, dolores populi suscipit, fert, offert, ingerit preces, accipit, refert, restituit impetrata, ex homine totus in Angelum substituitur.* Vide quam noua, quam augusta, quam diuina propè metamorphosis: in Missa quodammodo desinis esse, quod tamen es, à natura, homo; & à gratia, incipis esse, quod non es, Angelus, id est humani generis apud superos nuntius; mediator, & interpres quodammodo cœlestium monitorum, qualem se descripsit olim Moses. *Ego, inquit, sequester, & medius fui inter Dominum & vos: ut annuntiarem vobis verba eius: quod veluti exponens S. Hieronymus cum attingit illud Malachiae oraculum in quo Sacerdos Angelus Domini exercituum appellatur. Angelus, inquit, id est nuntius Dei Sacerdos verissimè dicitur, quia Dei, & hominum sequester est, eiusque ad populum nuntiat voluntatem.* Hoc sanè maximam,

L. 2. de Sacra.

Ser. 26.

Deut. 5.

In c. 2. Malachia.

254 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
& singularem sacrorum hominum dignitatem,  
amplitudinemque illustrat: vt qui non oratantum  
sint populi, sed ipsius quodammodo diuinitatis.

Quod ipsum Sacerdotij munus veluti proprium  
agnoscit D. Paulus, & de seipse ad Corinthios sic  
*a. Cor. 5.* prædicat. *Pro Christo legatione fungimur.* Verè le-  
gatione functus Paulus, qui in ipsam cœli regiam  
admissus, inde rediens diuina ad nos retulit oracu-  
la: verè legatione fungitur & Sacerdos, qui ad aras,  
diuinaque sacrificia sublimius omni mundo emi-  
net; Legatus vniuersitatis, cuius proprium est in  
augusto sanctuario, vt ait D. Gregorius Nazianze-  
*Orat. 23.* nus, *sacrum Deificationis munus obire.* Sed de hoc  
suo etiam loco fufius; reuertor ad nominis ety-  
mon, à quo paululum digressus sum.

Magister sententiarum, notum in scholis no-  
men, autumat huic diuino sacrificio inditum Missæ  
nomen, quod ad illud è cœlesti proscenio, Beato-  
rum sede, Dei throno mittatur Angelus, qui præ-  
fens assistat. In eam quoque opinionem descendit  
D. Chrysoftomus, alijque Ecclesiæ Sanctissimi Pa-  
tres, qui cœlestium spirituum choros, illo maxi-  
mè tempore diuinum sacrarium complere credide-  
runt. Sic enim quodam in loco disserit Chrysofto-  
mus mensæ Eucharisticæ prædicator in paucis ma-  
*L. 6. de* gnificus. *Per id tempus & Angeli Sacerdoti assi-*  
*Sacerd.* *dent, & cœlestium potestatum vniuersus ordo cla-*  
*c. 4.* *mores*

mores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Hæc vbi calamo aureo scripsit Chryfostomus, tum memorat visum mirabile vnius senis, viri à virtute, à Dei donis longè ornatissimi, qui illo tempore se vidisse aiebat multitudinem Angelorum sacrum altare circumdantium. Erat illis niueus in veste candor, lux amœna in oculis, in fronte sol aureus index maiestatis, cui deuotionem conciliabat humilis demissio: qua magnæ illæ mentes capita inclinabant, vt milites Imperatori solent. In hac foelicium mentium societate consistis, quisquis ei sacrificio vacas. Vide vt cum beatis illis genijs, tibi sit timor castus, pudoris comes, & reuerentis animi submissio.

Rupertus Abbas, quem olim Legia suum habuit, & in celeberrimo D. Laurentij Cœnobio Religiosum in paucis amauit, ac deinde Tuitiensi Monasterio Patrem ac Præsulem dedit: existimat dictam esse Missam: quia in ea, accidentium, & specierum Sacramentalium velo tegitur victima è cœlo missa, & in cœlum transmissa.

Pater æternus è cœlesti, beataque sede, è sinu quodammodo Diuinitatis suæ Christum in mortales oras emittit, sistitque ad ipsa Sacerdotis verba: vt olim ad Iosue voces solem stare fecit oblitum quasi suæ velocitatis. Tum deinde eundem Christum,

L. 2. de  
Offic. c.  
23.

256 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
stum, ceu hostiam superis acceptabilem, & propi-  
tando numini peridoneam in stellatas arces, aurea  
recta, beatarum mentium domicilia Sacerdos ipse  
transmittit, ab illa vnus, eiusdemque victimæ mis-  
sione in terras, emissione in cœlos Missa & nomen;  
& pondus, & sanctitatem & venerationem accepit.

L. de  
Missac.  
1.

Bellarminus non minus à virtute, doctisq̄ in-  
genij monumentis, quam à purpura, galeroq̄ il-  
lustris Missam nomen inuenisse putauit, à missio-  
ne, siue dimissione populi: videntur in eam opi-  
nionem manu ducere illa verba, quæ ad sacrificij  
calcem adijcit Sacerdos. *Ite, Missa est*, quasi diceret,  
abire iam licet, peractum omnino sacrificium.

Ita quondam in profanis gentilium sacris subij-  
ciebat sacrificulus hæc extrema verba. *Ilicet*, id est,  
ire licet, vt non nisi cum bona venia populus exce-  
deret. Et hæc de ipso nomine paucis agitalle suffe-  
cerit, modo ad rem ipsam propius appello, deque  
sententijs iam allatis Lectorem Iudicem, & arbi-  
trum facio: sibi quam volet, eligat.

§. 3.

*Quæ Missæ institutio?*

**M**ulta sunt, quæ pium hoc ac diuinum sa-  
crificium mirum quantum commendant.  
Primum author, à quo manauit, tum deinde tem-  
pus quo peragi placuit, tum etiam locus, tum deni-  
que

que personæ, & circa eas habita ratio, modusque institutionis.

## A V T H O R.

**A**uthor est Deus immortalis, Dei Filius, Deus homo, reparator generis nostri, à quo necessum est hoc sacrificium miram hausisse sanctitatem, ac venerationem. Habent artes, ac scientiæ ex seipsis lucem aliquam, sed eam quamplurimum augent ex authorum nomine, fama, dignitate.

Grata est eloquentia, & potens ad demulcendos animos: at gratior quia fluit à Tullio, Oratore Romano, viro in primis disertio.

Profunda est Philosophia, & quia ignotas, ac latentis veritates eruit, admirabilis; at mirabilior, cum eam aperit Aristoteles, purior, ac perspicacior naturæ ocellus.

Vtilis est medicina, & corporibus reparandis, fouendæque vitæ nata; at vtilior, quia Galeno, & Hippocrate ut Principibus gaudet.

In honore est Iurisprudencia, quia legum inuentrix, moderatrix Reipublicæ, iusti, rectique tenax; at in pretio magis, quia Bartolos, Baldos, Justinianos habet inuentores, magna, & augusta nomina.

Imò vero artes ipsæ mechanicæ ab authoribus suis gratiam, splendoremque mutuuntur: ita Scriptura fabrilem artem in opera æris, ac ferri commendat ab inuentore Tubalcaim.

K k

Quod

Quod si profanæ illæ scientiæ, artesque huic æuo mortali tantum vtiles, ex eo nomen obtinent, quanto magis ea, quæ ad diuiniorẽ sapientiam, ad superum cultum, ad Dei ter opt. ter max. religionem ducunt, Authori suo debent, quidquid adipiscuntur sanctitatis, atque maiestatis.

Laudatur Abel, qui primus omnium legitur Deo litasse, primitias frugum obtulisse, & quia Abel erat, hoc est innoxia, candida, grataque cœlestibus anima, ideo respexit Deus ad Abel, & ad munera eius.

Laudatur Enos, qui primus inuocare cœpit nomen Domini.

Laudatur Abraham, excelsus pater, & multarum gentium parens, qui filium, quem vnum sibi natura dederat, obtulit, ferro supposuit, & amanti busto: docuitque quid pro Deo audeat, & possit Pater.

Sed vel maximè laudandus est Iesus, qui docuit, atque extulit, quod nulla vnquam sensit ætas. Se nimirum ipse hostiam fecit, atque obtulit etiam post fata, acerbamque crucem; necum vita, spirituque mortali, victima placando numini opportuna deficeret. Ab illo diuini amoris excessu, authorisque maiestate, necessum est huic sacrificio immensum quiddam accessisse gratiæ, amoris, dignitatis, maiestatis.

TEMPVS.

## TEMPVS.

**A**ccedet & à tempore sua laus, ac commendatio. Erat illud Paschæ, quod Iudæis celeberrimum, quo præteritorum beneficiorum memoria reuocabatur, & quo prima futurorum dabantur auspicia.

Tempus erat & illud quidem nimium breuis æui supremum, dies decretoria, dies vltima, qua sese in filios explicare solet Parentis amor, qua vltimas Testamenti tabulas condere, qua filijs, ac hæredibus bona legare, qua grauissima negotia agitari, & expediri solent: & tamen cum in ea esset vitæ periodo, in ijs angustijs, inter vitæ, mortisque confinia, nostri tamen vel maximè memor, & amans Iesus Missæ sacrificium peragit, & peragendum proponit in æuum omne, ne amor, ne effusæ caritati dies vlla, sæculumve finem poneret.

Fuit Antiquis epulum amicitiae, quod teste Athenæo dicebatur τέλει φιλίας, extremum & finis amicitiae: in eo hospes pateram prensare manu, sibi sanguinem è vena elicere, largè fluentem excipere, & ex eo primus bibere, ac deinde cæteris conuiuiis prælibandum offerre. Dicebatur autem id conuiuium, amicitiae finis, vel quia amicis in extrema dabatur mensa, vel quia non potest vltra prouchi amicitia, neque sese copiosius effundere, quam si sanguinem, in quo est vitæ sedes, effundat. Fuit illud

Kk 2

huma-

260 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
humanæ amicitia, quaecumque argumentum: at  
hoc diuinæ est caritatis, quod in extrema vite cœna  
Christus exhibuit; sui, sanguinisque mirè prodigus.  
Et hæc à tempore laus petita.

LOCVS.

**N**Ec minor à loco dabitur ornatus. Fuit enim  
*cœnaculum grande stratum*, pro quo non  
erit importunum aliquam rei tum gestæ seriem  
exponere, calamumque ad ea loca reuocare.

*Math.*  
*26. v. 18.*  
Cum immineret solemnis Agno Paschali dies,  
discipulos suos emittit Seruator optimus. *Ite, in-*  
*quit, in ciuitatem ad quemdam, & dicite ei: ma-*  
*gister dicit: tempus meum propè est, apud te facio*  
*Pascha cum discipulis meis.* Hic in scholas, & pul-  
pita vocari solet quæstio? quis illè, quem Christus  
anonyma voce appellat *quemdam*? Hieronymus,  
& Beda respondent eo loci, ac temporis, quo  
nouum parabatur Pascha, quo cœna Eucharistica,  
atque epulum agni, neminem nominatum esse,  
certo consilio, ac decreto, vt omnes ex eo intelli-  
gerent non vnum aliquem, sed omnes omninò  
mortales ad nouum à Christo Pascha deuocari.

D. Ambrosius aliò sententiam, calamumque  
ducit; & ex vulgata illa, trita, abiecta, anonyma  
voce colligit appellari quemdam, quod pauper,  
ignobilis, adeòque inter homines innominatus esset.  
*In c. 22.*  
*Luc.* *Sine nomine, inquit, designatur, vt pauper, & igno-*  
*bilis aestimetur.*

Verum quod bona tanti Doctoris venia dictum sit, videtur illud parum consentire cum ijs quæ subijcit Sacer Historiographus, virum illum quemdam, habuisse cœnaculum magnum stratum: certè homunciones infimæ sortis, & ad extremas propè paupertatis angustias ac fordes abiecti, non solent offerre cœnacula illa magna, strata, aulæis vestita, non ad necessitatem tantum, sed ad luxum ac dignitatem, incolunt illi humiles casae, abiecta tecta, & nudo ferè teguntur Ioue. Nec sic ille homo *quidam*. Certè si de hospite ex amplo, nobilique tecto non inanis sit coniectura, cum & opulentum & inter suos magni nominis fuisse conficiemus. Et hoc in luce est; in nocte, & silentio illud quis fuerit. Ita voluere Historici sacri, qui eius nomen obscura vocula suppressere; è qua nihil erui potest, nisi doctis coniecturis.

Nicephorus credit hominem illum fuisse Inqui- L. l. c. 28.  
linum earum ædium, quas D. Ioannes Euangelista à Caipha, in monte Sion, ingenti ære coemerat, venditis, quas in Galilæa habebat amplissimis facultatibus. Hæc authoris illius coniectura, quæ quo nitatur argumento, non video.

Theophylactus ait hominem illum quemdam fuisse Simonem Leprosam, eumque Lazari Patrem, apud quem sex ante dies cœnarat Seruator optimus. Neque hoc cum loco conuenit; hic enim

262 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
Bethaniæ fixerat sedem, ille autem Ierosolymis.

Ideòque si suus in dubio coniecturæ detur locus, dicemus virum illum quemdam fuisse à Iudæis vnum aliquem, eumque prædiuitem, Christo familiarem in paucis, imò & discipulum, sed occultum; Is esse potuit aut Iosephus ab Arimathia, aut Nicodemus aliquis. Certè quisquis is fuit, Christo fuit ab amoribus & secretis: ei quippè dicitur, *Magister dicit*. Hæc ad discipulum vertuntur, *tempus meum propè est*, mors mea in ianuis est; & hæc produunt hominem admissum ad secretiora Domini sui arcana, vt qui ea vel è verbulo caperet. Et ista pro instituto satis. Venio ad illud, quod spectauimus quam maximè. Cur Deus homo, qui primam lucem in paupere tecto, vilique stabulo aspicere voluit, qui vitam omnem reliquam ijs paupertatis angustijs arctari, vt ipse ex vero queri posset: *vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinat*. Cur, inquam, is filius hominis adeo paupertatis amans, ac retinens, in vltima cœna, in occasu vitæ, in mortis limine, cœnaculum grande, & stratum, sibi, suisque delegerit?

Ne tibi persuade id temerè, casive factum: sed destinato consilio, certaque illius prouidentia; quem nec casus, nec fortunæ cœcutientis impetus regit & abripit. Erat nimirum eo loco celebranda primum

num cœna Eucharistica, erat edendus verus Agnus, erant augusta, potentiq̄ue manu creandi Mystæ noui, ac Sacerdotes, erat exhibenda scena diuini amoris, debuit proscenium esse nobile, ornatum, augustum. Et verò enituit, & cœnaculi opulentia, ac dignitas in tota illius supellectile, pro qua hoc erit instar omnium, quod calix, quo tum vsus Seruator noster, calix inquam, qui primus pretioso Christi sanguine imbui, rubere, calere debuit, effictus esset è lapide pretioso, cui pretium, lucemq̄ue addebat auri fulgor, nitorq̄ue. Visitur ille Valentia, ad illius dici, ac beneficij monumentum. Patina vero, quæ sacrum Christi corpus sub albicanti panis specie excepit, & illa è consimili materia affabrè facta Genuæ seruatur. Ea nimirum esse debuit Eucharistici ferculi dignitas, & cœnaculi opulentia, ac maiestas.

Valeant modo hæretici nostri temporis, quibus profana fana, & aræ, haræ sunt. Non ea Christo sacrificanti fuit, non inculta tecti moles, non stabulum egens, nudum, immundum: sed cœnaculum grande, stratum, aulæis ornatissimum. Eiusmodi certè esse voluit, vt illud spectarent ætates omnes longè consequentes, & ad illius instar, sua diuini huic sacrificio tecta molirentur. Senserunt illud maiores nostri, & principes animæ, quorum pius labor in eo sudauit, vt sua sacris ædibus staret maiestas, sua supellectili esset opulentia.

Hos inter enituere Iustinianus Imperator, qui cum animum adiecisset ad diuinam aram, quam magnificentissimè extruendam, quidquid terra, marique pretiosum, quidquid in orberarum fuit, id omne augusta voluntate, & munificentia contulit. De quo iuuat audire Cedrenum. *Fecit sacramentam ex auro, argento, & omni gemmarum genere, è ligno, & metallo, & alijs rebus omnibus, quæ terra, aut mari, toto denique in orbe in pretio sunt.*

In Iustinan.

In funere Placillæ.

Eiusdem pietatis, animique fuit Placilla Augusta, quam D. Gregorius Nyssenus insigni laudis preconio exornat, dum ait cum Placilla extinctum, & velut sepultum *altarium ornatum*. Crederes ab illa vitam, & spiritum accepisse, & cum illa mortuum, & conssepultum.

Eius munificentia, aureaque maiestatis in sacra suppellectile, in calicibus meminit D. Ambrosius, dum ait: *Infusum auro sanguinem Christi irrutilasse.* Meminit Augustinus, qui censuit non alteri magis loco, quam Ecclesie pocula pretiosa conuenire. *Si calicem, inquit, inuenisses in terra, donares illum Ecclesie Dei: donares, inquam, non iam donatum raperes, vt auara, sacrilega, impiaque manu faciunt hæretici.*

L. 2. Of. sic. c. 28.

Ep. 41.

Quos hic siterem lubens, vt vel leui saltem oculo spectarent, quis fuerit sanctorum sensus, quis spiritus nascentis Ecclesie, quæ maiestas, quam etiam

etiam suspicere, ac vereri debuerunt, vel ipsi Ecclesie hostes, quos inter Fœlix regij thesauri custos sub Imperatore Iuliano. Hic cum in templum Antiochenum venisset, ad sacra Ecclesie vasa diripienda, videretque ingentem ciborum copiam, & calicum, & complurium donariorum tum magnitudinem, tum elegantiam, stupore attonitus, & propè amens exclamavit. *Ecce quam sumptuosis vasis filio Mariæ ministratur.*

Theodo-  
ret. l. 3. c.  
11.

Hæc illi stupor, & sacre opulentie admiratio expressit verba, utinam & piam mentem impressisset, ut sacrilegas manus, à templis, ab aris, à sacris vasis abstinuisset. Verum auaritia, libido, impietas ut animum, ita & manus, ad furtum, ad rapinas, ad sacrilegia soluerat, uti etiamnum soluit hæreticis nostri temporis, qui altaria à suis maioribus probe vestita, & ornata, nudare, spoliare, diripere consueverunt, dum non ferunt æquis oculis auream illam Ecclesie Romanæ maiestatem, quæ tamen à prima Christi cœna initium duxit. Sed illi non sunt de peculio Christi; at potius de grege Antichristi.

## RATIO INSTITUTIONIS.

**V**idimus Christum primum nouæ legis Sacerdotem litasse calice nobili, ac pretioso, superest ut breuiter attingamus qua ratione, quo ritu? is certè fuit, qui liquido demonstraret tum quæ foret illius sacrificij dignitas, tum maiestas Sacerdotum,

Ll

dotum,

266 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
dotum, quos eo loco supremus sacrorum opifex  
Christus sacris initiare voluit. Primum enim à  
mensa surrexit, & sedere iussit abiectos homuncio-  
nes, à fortuna pauperrimos, ab arte piscatores: tum  
deinde linteo præcinxit se, & aquam eorum pedi-  
bus infudit, lauit, terfit, & fortè osculo dignatus est.

Quis, inquires ille, qui à cœna surgit, assurgit  
piscatoribus, & ad pedes prostratus eluit?

Christus est restaurator humani generis, in cuius  
manu posita nostrum omnium, mundi que sa-  
lus vniuersa.

Christus est author tot mirabilium, patror tot  
miraculorum, cuius nutus audiunt irata maria,  
cuius voces cum silentio excipiunt alias surdi, &  
insolentes Euri, ad cuius imperia patescunt Inferi,  
& mortuos, ac sepultos, luci, vitæ que reddunt.

Christus est cui ministrant Angeli, purissimæ  
illæ cœlorum intelligentiæ; quæ etiam pauent, &  
contremiscunt ad nutum eius.

Christus est Patris æterni dilectus omninò Filius,  
Deus ipse, eiusdem etiam indiuiduæ consors natu-  
ræ, potentiæ, maiestatis, sapientiæ, Deitatis parti-  
ceps, cui sol & luna, gemini orbis oculi, minora si-  
dera, cœli que gemmæ que lucent, & surgunt astra  
matutina; cui immensa, grauis que terræ moles, ef-  
fusa maria, liquidus æther, ipsa que elementa, & to-  
tus orbis supplex ac venerabundus accidit. Et hic  
tamen

tamen piscatoribus assurgit, seruilem in morem linteo sese accingit, aquam ministrat, luteis homuncolorum pedibus aduoluitur, eos affusa puriore lymphâ sedulus eluit, detergit, & fortè veneratur osculo.

Deus bone, qui tandem illi quibus sese ad ea officia submittit Iesus? num Angeli? num Cœli Principes? num beati spiritus? num altissime, Deoque proximæ mentes? minimè verò: nihil horum audias, nihil videas in sacra illa Seruatoris scena: qui ergo demum illi? è qua rerum creatorum serie? è quo cœli, terreque tractu? homunciones sunt, si naturam spectes, è communi luto, argillaque malè facti; si fortunæ bona, ad infima quæque deturbati. Atque ut ij sint, ijs tamen honoris causâ assurgit, etiam vel ipse rerum omnium molitor Deus. Erant nimirum creandi noui Mystæ, noui Sacerdotes, itaque euehendi in aliquam diuini nōminis, honorisque communionem: hinc deprimatur Deus, ut homo eleuetur.

Ab illa die, luceque sacratione, quo ad initiandum pedes visus est prostratus Deus, manauit in Ecclesiam, in posteras ætates, in regias mentes magnus ille de Sacerdotio sensus, ingens æstimatio, demonstratioque honoris, cuius argumenta spectauit omnis Antiquitas, aureaque Constantini secula, ipsoque in primis authore, cuius hoc pietatis, hoc demis-

268. SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
sionis est argumentum, dignum omni memoria.

Cum ageretur Concilij Nycæni Synodus, ipse religiosissimus Imperator, tamdiu pedibus institit, donec omnes Patres confedisent, & *tunc*, vt historici verbis vtar, *non alias sedere sustinuit, quam sacrosanctus Sacerdotum chorus annuisset*. Nec cæteris altiore folio, sed sede humili, ac depressa etiam infra pedes, ac vestigia Sacerdotum. Hæc Augustus, & pius Imperator, qui fenserat etiam Dominum ad piscatorum, & initiandorum tantum pedes aliquando in genua accidisse.

Acta.  
Conc.  
Nycæni  
& Histor.  
Trip.

Leguntur in Cœlis Seraphini famulantium more stare coram Deo suo: sic eos olim vidit Isaias. *Seraphim*, inquit, *stabant*: at Apostoli, at Sacerdotes etiam in cœlis cum Deo sedere dicuntur: testor illud Christi apud Euangelistam oraculum. *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis, sedebitis & vos super sedes duodecim*. Stare famulorum est, sedere Dominorum, ex illis Angeli, ex his Sacerdotes etiam in hoc beatis mentibus superiores, Deoque proximi, quam sacrorum hominum altitudinem scitè expressit Iesæus Propheta hoc oraculo.

Isaiæ 6.  
v. 2.

Matth.  
19. v. 28.

*Secundum altitudinem tuam, Deus, multiplicasti filios hominum: vel vt explicat Chrysostomus, eleuasti, extulisti: imò vt eleuares, efferresque magis, te ipse depressisti*. Vt non videatur mirandum illud, quod de Sacerdotio dixit Isidorus Pelusiota, esse  
*diuinum*

diuinum quiddam. Et omnium quæ inter homines ex-  
petuntur, velut extremam metam. Quo cum con-  
uenit & illud S. Ignatij, inuicti Martyris, Sacerdo-  
tium, omnium bonorum quæ in hominibus sunt, api-  
cem esse, & cum Tertuliano, honorem sanctificatum  
à Deo.

L. 2. Ep.

52.  
Ep. 71.Ep. ad  
Smyrn.  
Exhorr.  
ad cast.

Et is sensus fuit aureæ illius ætatis, à quo si defe-  
cere posteri, non eo factum, quod Sacerdotali di-  
gnitati aliquid decesserit, sed quia multum de Sa-  
cerdotum vita, moribus, sanctitate detractum est.

S. 4.

*Quid Missa, & quæ eius partes?*

**E**st Missa actio Sacerdotalis, qua ex Christi in-  
stitutione in eius Passionis memoriam, panis  
& vinum in eiusdem corpus, & sanguinem conuer-  
titur, & illa sub iisdem speciebus Deo immortalis  
pro viuis, ac defunctis offeruntur, & consumuntur.

Eam Theologi distinxerunt in tres omninò par-  
tes. Prima est ab initio ad Offertorium vsque: &  
hæc olim dicebatur Missa Catechumenorum, quia  
illis licebat illi parti interesse; non sine causa, prou-  
doque Ecclesiæ, ceu bonæ Matris consilio.

Primum enim per introitum disponebantur,  
eorum animi, & ad diuina capeflenda parabantur,  
tum deinde collecta, eis erat oratio, piæq; in Deum  
elevatio: tum etiam prælegebantur Prophetæ, a-

Ll 3

liave

270 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
liave Scripturæ sacræ oracula, quæ ipsos nosse oportebat: tum Euangelium proponebatur, & in eo præcipua viuentis, ac patientis Christi mysteria; tum denique festis solemnioribus adijciebatur fidei symbolum: & hoc quidem ex prima institutione, vt Catechumeni in fide, in Prophetis, in Euangelica historia instituerentur. His ritè peractis emittabantur; nec enim licebat vltra sacrificio interesse.

Altera pars est ab Offertorio ad ipsam Communionem, & ea complectitur consecrationem, quod primum, princeps, ac nobilissimum illius sacrificij decus.

Tertia denique à Communionem ad finem, & ea quoque pro acceptis à Deo, superisque beneficijs grati animi memoriam continebat.

Hic à Theologis agitari solet, eaque solemnis quæstio; in qua potissimum actione diuini illius sacrificij ratio, reposita esse videatur? sunt qui velint in deuota Hostiæ oblatione: sunt qui in Consecratione: sunt etiam qui in Communionem: sunt denique qui in ijs omnibus perfectum, suisque numeris absolutum sacrificium esse contendunt: ita in diuersas abeunt, scindunturque sententias: ego malim in vna Cōsecratione residere. Verum quia eam euoluere non est huius mei instituti, verbulo tantum indicasse suffecerit. Maneat ea quæstio, ea lis penes Theologos, agitetur in scholis, sileat in pulpitis;

pitis; in his enim ea tantum quærimus, quæ ad mores faciunt; quæ vero altissimæ commentationi seruiunt, & intellectui tantum lumen aliquod subtilioris speculationis obijciunt, ea alium in locum reiicienda existimamus. Interea dum illud nobis conceditur; singulas augusti illius, & sacratissimi sacrificij cæremonias, ea qua solemus breuitate, percurremus: sistemusque in ijs maximè, in quibus sese offerent opportuna morum documenta, leget in illis sacrorum præfectus, quæ sit officij, munerisq; sibi impositi sanctitas, dignitas, maiestas.

§. 5.

*Sintne probanda Cæremonia diuini huius  
Sacrificij?*

**I**S plerumque genius est hæreticorum, quod non probant, maledico dente carpunt, & in circulis suis vellicant, aut contra detonant in pulpitis; ne omnes producam.

Lutherus etsi non omninò improbet, & à Missa I. de capt. Babylon. c. de Eu- char. abesse velit cæremonias omnes, ait tamen tum eam fore magis conformem, consonamque illi, quam Christus instituit, quo simplicior ea fuerit, paucioresque cæremonias admiserit.

Docet deinde eas sine fide, sua nimirum, & Lutherana, esse potius *irritabula impietatis quam officia pietatis*. Hæc blasphema lingua effutijt Lutherus,

rus,

272 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
rus, cui etiam consonat Calvinus, mali corui, ma-  
lum ouum. Etsi enim fateatur cæremonias Missæ  
esse longè antiquissimas, imò cœpisse non ita pro-  
cul à temporibus Apostolorum: eas tamen appel-  
lat. *Rubiginem cœnæ Domini*: dicitque natas esse  
ex quadam prurigine, & procacitate humanæ men-  
tis, quæ se continere non potest, quin in Dei myste-  
rijs, sacrisque ludat, ac lasciuiat. Hæc impio ore  
euomuit Calvinus, atroque calamo notauit.

L. 4. In-  
stit. c. 17.

Sed & alterum est, quod Caluino stomachum  
& nauseam mouet; inferri in Ecclesias, in sacra tem-  
plorum adyta, in ipsas aras vasa è puro auro, argen-  
toque conflata, non aspicit æquis oculis, non ani-  
mo sustinet diuitem illam, & auream incruenti sa-  
crificij opulentiam. Ne porro videatur auaritiæ stu-  
dio sacris aris pretiosam illam supellectilem detra-  
xisse, nudasseque auro templa, producit duo loca  
Sanctorum Patrum, è quibus errori suo patroci-  
nium quærere, & facere conatur, non facit ta-  
men: si ea ex vero sensu, genioque authorum exa-  
minentur.

Primum est D. Ambrosij, qui mellea, forti-  
que eloquentia sic olim scripsit. *Aurum Sacramenta non  
querunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur.*

L. 7. Of-  
fic. c. 28.

Alterum est Acatij, qui dicitur sic aliquando lo-  
cutus: cum accusaretur, quod sacra vasa in paupe-  
rum vsus vendidisset: subiecit vir pius. *Deus noster  
neque*

*neque discis, neque calicibus eget, quia non comedit, neque bibit.* L. 7. Histor. c. 21.

Hæc pro sua causa Calvinus afferre se credidit, ut piæ illi Ecclesiæ luxum impugnasse, imò euertisse videretur, etiam ex ipso sensu antiquitatis. Vere tamen non impugnat, nedum euertit: sed potius tuetur, ac stabilit; tantumque euincit illud (quod ipsi vltro concedimus) licere vbi pauperum necessitas exegerit, etiam sacra vasa conflare, ac vendere, quia ea ad sacrificium omninò necessaria non videntur, & ea pedibus suis, id est, pauperibus seruire Dominus patitur, imò & amat quam maximè. Et illa vis est, ille neruus Ambrosianæ sententiæ, ille scopus Acatij, ille spiritus Orthodoxæ Ecclesiæ, quo afflati hæc dixere, hæc scripsere Doctores illi, & posteris legenda tradidere. Atque vtinam eodem oculo, animoque euoluisset Calvinus, qui ex illis Sanctorum areolis, ac flosculis, non mella legit; sed fel elicit, venenumque exprimit, quo incautum lectorem inficiat, ac perdat; similis aranæ, quæ è suauis florum gratia, atque odore, insulsum, & letale virus colligit, quo muscas præteruolantes & suis laqueis irretitas, enecet; sic iste leuiusculos animos fucata illa, ac mendaci doctrina captos, retinet; & toxico suo, non è natura, sed è fide, Dei que sui gratia, cœli que tabulis tollit.

Omitto illa, quæ contra Ecclesiæ cæremonias,

M m

maio-

maiorumque in ijs traditiones agitant, euoluuntque hæretici nostri, torrentis instar, in quo certè pugnant cum natura, quæ insito lumine præscribit in sacrificijs aliquos ritus, alios, atque alios pro eorum diuersitate, aut gentium recepto more. Pugnant cum Antiquitate, quæ caremonias illas admisit, imò sub graui præcepto etiam Deo Iudice, <sup>C. 15. 18.</sup> Moysè interprete sibi impositas sensit, vt videre est <sup>19.</sup> in libris Numerorum varijs capitibus, quæ pias illas obseruationes, ac præceptiones legentibus obuias exhibent. Pugnant & ipsi secum, dum modò has, modo illas amandant, non tam ex rationis lege, diuinisquæ placitis, quam peruersa sua voluntate, maledicendi licentia, & importuna quadam prurigine Ecclesiæ Romanæ contradicendi. Eam hoc loco fusè persequi non est animus, tum quia pro mea causa loquitur natura, clamat ratio, & sensus totius Antiquitatis decertat, tum quia in hoc opere mihi cum eius farinae hominibus litem indicendam non putauit, vt qui tantum ea confectæ, quæ ad mores, vitamque rectè instituendam conducunt, & ijs prodesse possunt, qui sacris illis mysterijs à cœlo sunt destinati.

Igitur vt ad rem ipsam propius accedamus, animum colliget amicus lector, aduertetque è sacroribus caremonijs, quæ huic sacrificio adhiberi solent, nonnullas esse, quæ voce, ac verbis exponuntur,

nuntur, & hæc pro seipsis quodammodo loquuntur, seipsæ exprimunt, & latentem sensum animis vel auditorum, vel sacrificantium immittunt: ideoque de ijs parcius agemus. Aliæ sunt, quæ in actione aliqua positæ sunt, quæ quia occulta quædam, arcanaque mysteria continent, nec sub aspectum, sensumque cadunt, eas fusius explicare, atque euoluere mihi consilium fuit: quod ut faciam à die, loco, aliisque augusti huius sacrificij circumstantijs ordiar.

## §. 6.

*Dies & hora sacrificij.*

**D**E luce, quam vel maximè spectauit, amauitque hoc sacrificium, constat inter Authores eam fuisse diem solis, quam Christiani deinde Dominicam appellarunt. Eius meminit Scriptura, meminere viri Apostolici. *Vna Sabbati*, inquit, *As. 20.* *cum conuenissemus ad frangendum panem.* Vnam Sabbati vocant primam Sabbathi Hebræo more, qui Sabbathum pro tota hebdomade recensabant, & quibus vna Sabbati dicebatur, quæ à Sabbatho prima surgebat. In ea primæui Christiani conuenire soliti ut sacris interessent: & ea fuit omni æuo, omni loco lucis illius religio, atque obseruantia: cui alijs in locis accessit & Sabbathum, imò & hebdomadæ dies omnis, ut testis est Augustinus. *Ep. 118.* Erat nimirum pius ille ardor animorum, qui primis

M m 2

illis

illis Ecclesiæ temporibus eminebat, cum omnes Christiani diuiniore musto pleni viderentur: quidni enim pleni essent, qui quotidie ad augustum Eucharistiæ poculum, ad sacram mensam, ad epulum Domini accedebant, ab eoque altiore quodam spiritu afflati recedebant? viguit illa Christianorum omnium consuetudo quam diutissimè: nam etiam tempore S. Hieronymi vsus fuit quotidianæ communionis, tum in Italia, tum in regnis ad occidentem, incredibili omnium bono ac fælicitate: sed tandem aliquando lapsu temporis, labente etiam sensim pietate sese remisit illa vis auitæ pietatis, & elanguit æstus ille animorum: hînc minus frequens esse cœpit vsus sacratoris epuli, & quidem æuo suo testatur D. Chrysostomus multos communicasse diebus Veneris, Sabbathi, Dominica, atque in festo Martyrum.

Hier. Ep.  
23.  
Hom. 5.  
1. ad  
Timot.

Sed neque hic stetit ille feruor, ita enim sensim defloruit pia consuetudo, vt necesse tandem fuerit Ecclesiam decreto suo annuam communionem sancire; adeo refrixerat pietas & imminutus ardor animorum, quibus sanè (quæ summa est iniquitas, & stupor inuisus) minus sæpè prospicimus, quam ipsi corpori mox in cineres abituro; huic enim quotidianus conceditur cibus, qui tamen illis negatur. Hinc iustæ magni Præfulis querelæ, & aculeata D. Ambrosij oratio. *Si quotidianus est cibus, cur*  
post

*post annum sumis?* Pungit eo loci Christianos, & L. 6. de  
Sacram.  
c. 4. vero etiam pupugit Sacerdotes, à quibus ea remif-  
fio deuotæ mentis, cum enim & ipsi refrigerata  
caritate minus sæpè sacrificarent, eorum exemplo  
& alij ea quoque Sacramenta rarius vsurpare cœ-  
perunt. Vt saltem ad prima Ecclesiæ capita, sacro-  
rum Principes, Sacerdotes, inquam, ea consuetudo  
reuocetur, à maiorum exemplis præsidium, à ratio-  
ne stimulum petam.

Quotidiana illa sacrificij huius oblatio videtur ex  
ipsa Christi institutione dimanasse, dixit enim dis-  
cipulis suis. *Hoc facite in meam commemorationem.*  
Quæ postrema Domini verba ita exceperunt, ut eam  
sibi pietatis legem impositam crederent, quotidia-  
no ad aram sacrificio litandi. Sic D. Andreas Chri-  
sti & in vita, & in morte æmulator magnificus,  
cum ad crucem vocaretur, ait, se omni die immor-  
tali Deo Agnū immaculatū obtulisse, cuius ex-  
emplum secuti Hierarchæ, & Sacerdotio instructi,  
nihil antiquius habuere, quam ut quotidie rem  
diuinam facerent. Vt omittam Cyprianos, Ambro-  
sios, aliosque sexcentos, at vnum Zenonem Con-  
stantiæ Episcopum præterire non possum, de quo  
Sozomenus testatur, quod etsi centesimum ætatis L. 7. c.  
27. attigisset annum, nunquam tamen neque matuti-  
nos, aut vespertinos hymnos, neque aræ diuinæ mi-  
nisterium omisisse: non potuit in senili, frigidoque  
corpore,

278 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
corpore senescere, aut remitti sensus ille pietatis,  
atque utinam in nobis non intepesceret aliquan-  
do. Certè si maiorum exempla sequi lubet, si ratio-  
nem audire, nunquam elanguescet.

Primum enim hoc suo quasi iure repetit ipsa  
*Hebr. 5.* consecratio, qua interprete D. Paulo *constituitur*  
*1.* Pontifex ac Sacerdos *in ijs que sunt ad Deum, ut*  
*offerat dona, & sacrificia pro peccatis.*

*L. 6. de* Et hinc ad populum emanat, pro eoque militat  
*Sacerd. c.* altera ratio; cum enim ( ut disertè notat D. Chry-  
*4.* sostomus) *pro vniuerso terrarum Orbe Legatus,*  
& quasi deprecator ex ipsa muneris sibi impositi  
ratione sit ordinatus, necessum est vt eo sese onere  
liberet, agatque quam optimè omnes officij sui  
partes; nisi in populum, in Ecclesiam, in orbem v-  
niuersum iniurius esse, ac videri velit: ita quippè  
hic de illo queri, & expostulare potest. Quisquis  
Pontificia, aut Sacerdotali dignitate donatus es, id  
esse te scias, quod perituris, aut periculo proximis  
est Seruator vnus aliquis: tibi mundus omnis in-  
cumbit: tibi commissa populi salus, & incolumi-  
tas, concredita miserorum vita, dati libelli suppli-  
ces, quos in ara deponas, & obijcias oculis, supreme-  
que illi menti, à qua miserijs nostris modum, fi-  
nemque præstolamur. Nos vrgent, ac fatigant ef-  
fusæ terris acies, infesta Martis agmina, districtique  
ensis fulgor; nos perdit, ac vastat sæua lues, fames  
euiscerat;

euiscerat; exedunt miseriæ, publicæque calamitates obruunt, ad quas pondus immensum addit ex ipsis Inferis euocatus Dæmon antiquus animarum prædo. In hac malorum omnium colluue, pelago dolorum, multaque funestæ mortis, ac noctis imagine, te vnum, ô quisquis es Sacerdos; te inquam vnum aspectat misella turba, nutans orbis, & propè periturum genus omne hominum, tuam illi opem exposcunt, fidem implorant, pietatem obtestantur, sacrificium expectant, quo placetur iratum numen, excutiantur parata cœlo fulmina, & ingruentia terris, aut etiam Inferis mala ab eorum ceruicibus amoueantur. Et certè amoueri possunt vel vna ad sacras aras litatione, vel vna oblatione agni immaculati, quem tu pauculis verbis, vnoque viuæ, ac valentis vocis oraculo è cœli regia deuocare potes: & illud improbus, durus, immitis generi tuo, tuo sanguini negandum putas; non putabis enimvero si te esse memineris, quem te terra, cœlumque esse volunt. Hactenus pro se, suisque incolis orauit orbis, & qui in terris spirant mortales: audi & eos qui expirarunt, clamant & illi, eoque altius quò profundius: cum primum mortale corpus exuimus, à Deo vindice in obscuros carceres, & expiatorios ignes ablegati fuimus; ibi hæsi ad extremum debitum: & mirum quantum ab illis flammis arsi. Earum vim & incendia mitigare,

gare,

280 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
gare, frangere, imò & extinguere potes vel vnus  
oblacione sacrificij : quod quantum erit benefi-  
cium vel ipsa supplicij grauitate, vel ex beatæ æter-  
nitatis adeptione metiri potes, cui tu viam aperies  
& clausos aditus referabis; hæc in fauentes auras, &  
si pateris aures tuas, & animos emittunt ex ipsis in-  
feris defunctorum Parentum & amicorum manes,  
quos vt audias, suadet, imò cogit communis san-  
guis, & quæ esse debet afflictorum miseratio, quæ  
utinam te in dies omninò singulos sisteret ad aram,  
vocaretque ad sacrificium: Quamquam etiam ad  
illud te inuitat ipsa Dei tui reuerentia, cultus, gra-  
tia, gloria, cui tantum detrahis, quantum huic sa-  
crificio videberis detraxisse. Ac ne meis tantum ver-  
bis credas, quid de hoc ipso argumento, officijque  
tui ratione senserit D. Bonauentura, paucis excipe:

I. de Mis-  
sa c. 5.

hunc in modum diuinè olim monuit. *Cum Sacer-  
dos non ex reuerentia, sed ex negligentia celebrare  
omittit, tunc quantum in ipso est priuat Trinitatem  
laude, & gloria: Angelos letitia; peccatores venia;  
iustos subsidio, & gratia; in Purgatorio existentes re-  
frigerio; Ecclesiam Christi spiritali beneficio, &  
seipsum medicina, & remedio contra quotidiana pec-  
cata, & infirmitates.* Hæc pius Doctor congeffit  
argumenta, quibus tuum illud pectus concuteret,  
& antiquam in te suscitaret pietatem, de qua hæc  
calamo notasse in præsentia suffecerit. Addamus

pauca

pauca de hora sacratissimæ Missæ descripta : est de hac nonnulla quæstio , & dissensio horum temporum ab Antiquitate.

Veteres olim celebrabant Missam ab hora tertia, quæ nobis est duodecima post meridiem , ad nonam , quæ ex nostra supputandi ratione est sexta. sed eo loci, ac temporis ieiunium protrahebatur ad eam usque horam , occasumque solis huius , ne mortalem escam aspiceret, daretque, priusquam immortalis, cœlestique pabulo refectus esset immortalis animus.

Quandoque etiam mos inualuit, celebrare post occiduum solem, idque duobus tantum diebus: feria quinta in cœna Domini, & Sabbato Sancto: alias etiam adulta, mediaque nocte, ut in Natali Domini. Modo recepta ea consuetudo, ut non offeratur sacrificium nisi ab aurora ad meridiem. Et hæc de tempore, ac hora: propero ad locum sacrificio opportunum.

§. 7.

*De templo, & loco sacrificij, reuerentiaque ei debita.*

**I**nualuit olim hæresis Manichæorum, quam deinde secuti Messaliani, qui templa omnia & altaria execrabantur: contra naturæ, & rationis placita, communem propè gentium omnium morem, & ipsa cœli oracula, ac præcepta quæ lo-

Nn

cun

cum aliquem sacrificijs offerendis opportunum, sacrumque esse voluerunt. Ne omnia confectæ, apud Iudæos ea quondam lata lex Deo Iudice; vt nemini omnium liceret immortali Deo litare extra eum locum, quem ipse sibi descripsisset.

*Deuter.*  
12. v. 4.

Is porro primum fuit tabernaculum, vnica sacrificij sedes, quæ tenuit à Moysè ad vsque Salomonis ædem: ad illud euocabatur quisquis æterno Numini erat immolaturus: secus si fecisset lata iam è cælo lege capitis supplicium incurrebat: adeo graue fuit extra tabernaculum victimas obtulisse. Ab illo deinde erectum templum Salomonis quod sacrificia, victimas, & holocausta admisit, publicumque cultum, ac immortalis Dei venerationem: ex

*2. paral.*  
c. 7. v. 12.

illo oraculo ad Salomonem, *Elegi locum istum mihi in domum sacrificij*, à quo ita sacer, & religiosus habitus est ille locus, vt extra eum Deo sacra facere nefas esset: profanum, hæreticum: inde Samaritani, qui in monte Garizim templum erexerant, eoque ad sua sacra ascendebant, pro hæreticis vulgo reputati.

*Ioseph. l.*  
11. Antiq.  
c. 7.

Rationes diuinæ illius institutionis, in oculis, in manibus sunt.

Vna ducitur ex ipso naturæ sensu, & ingenita quadam animorum consensione, dum enim statuta ædes sacra, ad quam sæpius conuenirent Iudæi, simul consultum est coniunctioni animorum, & fraternæ

fraternæ caritati, quæ fouetur, & augetur illa vnius, eiusdemque templi communionem: nihil enim magis fauet amicitia, quam frequens illa consuetudo, de qua antiquum illud, & verum pronuntiatum. *Melior est vicinus iuxta, quam frater procul.* Ideo Prou. 27. v. 10. que, vt inquit, Ambrosius. *Amici plerumque se benevolentia quisque committit, quam fratris necessitudini; tantum valet benevolentia, vt plerumque pignora vincat natura.*

Eius causa in promptu est, illa videlicet necessitudo, quæ à loci vicinitate, & frequenti congressu peti solet. Vt enim ad dissociandas amicitias multum potest loci distantia, iuxta vulgatum illud, *non sunt amici qui procul rus incolunt.* Ita ad integrandas, firmandasque confert plurimum eiusdem loci communio, quam Iudæis esse voluit Deus, vt esset inter eos sicut templi, ita & animorum vnio. Altera diuinæ huius legis ratio fuit, vt sacrificia vno in loco præstata, Deum vnum loquerentur. *Vnus* L. 2. de Mo-narch. *Deus, inquit Philo, non nisi vnicum sibi dicari postulare videtur.*

Accessit & aliud pondus à natiuo Iudæorum ingenio, erant illi pro ingenita sibi leuitate faciles, imò præcipites ad idololatriam, in quam proni abiissent, si diuersis in locis Deo sacrificassent.

Et hæc pro Iudæis militabat ratio; alia Christianis imponitur: non arctantur illi intra tabernaculi

N n 2 vnius.

284 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
vnius, templique angustias: sed orbe toto sacras æ-  
des & superis, & immortalī Deo erigunt; vt locus  
omnis pietatem spiret, ac religionem: vt publico,  
ac solemni sacrificio Numen æternum colant, non  
ter in anno, vt olim Iudæi; sed in dies singulos, dum  
vbique ferè locorum occurrunt templa, quæ bonas  
mentes muneris sui moneant, & proritent ad quo-  
tidiana officia pietatis.

Ex quibus conficies, quos ob fines extruantur  
sacratæ ædes, quæ sicuti quatuor nomina sortiun-  
tur, ita & quatuor fines obtinent.

Vnus est ad sacrificandum Deo, & hinc dicantur  
templa.

Alter ad orationem, & pios æstus deuotæ men-  
tis, & hinc audiunt oratoria.

Tertius ad Martyrum reliquias, exuias magna-  
rum mentium religiosè asseruandas, & ab ijs inscri-  
buntur basilicæ.

Quartus denique, vt in ijs Dei verbo, & Sacra-  
mentis alatur, ac reficiatur populus, & ab illa esca-  
spiritali Ecclesiæ sunt, & nominantur. Videri po-  
test de hoc argumento Bellarminus, ego interim ad  
alia propero fingendis probè moribus opportuna;  
& in templis quatuor maximè à Liturgis, ac Chri-  
stianis requiro: animi munditiam, ac nitorem,  
reuerentiam singularem, eximiam modestiam, cor-  
porisquæ, oris, ac gestuum omnium compositio-  
nem; denique & altum silentium.

Tom. 2. l.  
3. De cul-  
tu SS. c.  
4.

Ad illam arduæ mentis puritatem reuoco morem illum antiquum, quo maiores nostri ante fores, & templorum vestibula cantaros, & salientes aquas habere voluerunt, quibus oraturi, & templum ingressuri manus lauarent.

Manauit ea consuetudo à Iudæis Legislatore Moysè, cui præcepit Deus vt labrum æneum conficeret, quo Aaron & filij eius pedes abluerent, non corporis tantum sed & animi, eiusque quam maxime: quia vt disertè Tertulianus seuerus morum censor: *Quæ ratio est, manibus quidem ablutis, sed spiritu sordidato orare?* Nulla enim uero est ratio, vt proinde exhibendus videatur Saladinus, qui capta Ierosolyma, & Christianis superatis, cum ex omnibus pijs locis vnum Salomonis templum restare voluisset, in illud ingressurus aqua rosacea sese lauifertur: ea quidem corpus elui, manus olere potuerunt, at animus sordere potius, ac foetere. Sed de hoc infra latius, vbi ex professo quæram de sacro ritu lotionis manuum ante sacrificium; hic innuisse plus satis.

Eundem animi nitorem testatur niuea illa vestis, qua olim & etiamnum linteati, ac candidati ad aras procedunt Liturgi: monet illa, vt quæ corpori, eadem animo aptetur vestis. Beatas mentes, ac cœlestes genios amasse legimus hanc in indumentis suis niuem, si quando mortalibus oculis mutuato

286 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
ad tempus habitu, apparuerunt: est nimirum ille  
color consentaneus & cœlo, & cœlestibus incolis,  
quos & natura, & gratia, & gloria purissimos fecit,  
ac beatæ æternitatis candidatos: & eos amat Eccle-  
sia, amant Sancti Patres, in primis que D. Gregorius  
Nazianzenus, qui candidata illa ministrorum a-  
gmina ita eleganter metro depingit.

*Vestibus in niueis astatat turba ministra,  
Splendorem referens agminis Angelici.*

Venio ad reuerentiam sacris locis debitam eam-  
que tum ex ipsorum Gentilium recepto more, tum  
è singulari primorum Christianorum demissione  
colligo.

*Apol. 2.  
p. 74.*

Gentiles certè, vt mihi testis est Iustinus Martyr,  
ingredientes in fana solebant calceos deponere: au-  
dierant nimirum illud quod olim Moyfi diuinum  
Numen, *solve calceamenta de pedibus tuis*, cuius ra-  
tio deinde subijciebatur, locus enim in quo stas  
terra sancta est: audientes illius oraculi, ex quadam  
templorum veneratione, & sacri aditus reuerentia  
calceos ponebant, vnaque fastum omnem, & prauas  
animi affectiones abijcere se velle testabantur.

*In c. 3.  
Exod.*

Idem Lyrano teste fecere Saraceni, qui prima  
templorum limina non nisi nudis pedibus attinge-  
bant. Alij templorum aditus religiose salutare:  
hinc illud Plauti. *Limen superum, inferumque salue  
simul, & vale.* Alij denique templorum vestibulis  
non

non solum figere oscula : sed & capita attundere :  
quo alludit illud Tibulli.

*Non ego si merui dubitem procumbere templis,*

*Et dare sacratis oscula liminibus :*

*Non ego tellurem dubitem perrepere supplex,*

*Et miserum sancto tundere poste caput.*

Ethnicis addi possunt & Iudæi, apud quos tanta  
fuit illius templi, quod à Salomone perfectum est,  
obseruantia, vt ne parietes quidem contingere po-  
pulo licuerit : vt mihi author est D. Gregorius Na- Orat. 29.  
zianzenus, eamque ob causam alij parietes veluti  
profani ædificati sunt, qui sacros illos attingerent.

Similis aliqua; sed pia magis sacrorum locorum  
veneratio primos Christianos occupauit : quorum  
religio ante ipsum templi aditum deuota quadam  
demissione prælucebat : solebant enim ad illius li-  
mina procumbere, deosculari, & preces inibi fun-  
dere : quorum morem, cultumque reuerentiæ ple-  
nissimum altè prædicat os aureum, An non videtis,  
inquit; quot homines templi huius vestibula osculan-  
tur? hi quidem pronis capitibus abiecti, alij vero  
manu contingentes, tum eandem admouentes ori?  
Neque mihi dixeris eam infimæ plebis deuotio-  
nem fuisse : sed & è curia purpuratos, & è sacro  
Pontificum cœtu infulatos, & primis in orbe digni-  
tatibus illustres id officium pietatis vsurpasse noue-  
ris : de his, & illis canit Prudentius.

*Ipsa*

*Ipsa & senatus lumina,  
Quondam Luperci, & flamines,  
Apostolorum, ac Martyrum  
Exosculantur limina.*

Imò, quod in amplissimo totius orbis domina-  
tu, quod in purpura, sceproque suscipias, eo Au-  
gusti venire religionis, vt sibi multum honoris, ac  
gloriae datum existimarent si ad ipsa templorum  
vestibula, gloriosos cineres, & sanctarum mentium  
exuuias posuissent, & in ijs, sepulchrum inuenissent.

Appello Augustos manes, duo orbis Christiani  
lumina, Constantinum, & Constantium: de qui-  
bus diserta lingua ita scribit Orator aureus.

*Constantinum magnum, magno se honore affectu-  
rum existimauit eius filius Constantius, si in vestibuli  
collocaret piscatoris, & quod in regijs ianitores  
sint regibus, id in sepulchro reges sint Piscatoribus.*

*Et illi quidem veluti ipsius loci Domini intus habi-  
tant: hi vero tanquam accolae, ac vicini praeclearè  
secum agi putant, si ianua ipsis assignetur vestibularis.*

*Hom. 26.  
in 2. ad  
Cor.*

Haecenus Chrysostomus, ex quo duo conficies  
in Logica Christiana bene peritus, Piscatorum vesti-  
bula esse praestantiora quam sint Imperatorum pa-  
latia.

Alterum, quae ex Caesarum, orbisque sensu de-  
beat esse intima penetralium, & templorum reli-  
gio, si tanta est vestibulorum reuerentia.

Transeo

Transeo ad aliud, quod & sacrorum ministris, & Christianis omnibus velim esse commendatum: est illud eximia quædam in templis modestia, eam prodit externa, ac decens corporis compositio, cum quadam gestuum suauitate, ac grauitate, quæ & custodes Angelos deceat, & Deum intimè præsentem suspicere, ac reuereri videatur. Eam vnice amant Sancti Patres, ac religionis nostræ Præsules, quos inter Liberius summus Pontifex, cum in frequenti, lectissimaque procerum corona, B. Marcellam D. Ambrosij sororem casto velo inumbraret, inter alia religiosæ vitæ, morumque documenta, & illud inscripsit, ne spuendum, ne tussendum, ne ridendum in ijs locis, in quibus sacratoribus ceremonijs Deus coleretur. Hoc fuit tanti Pontificis oraculum dignum cedro. *Tu in ministerio Dei gemitus, sreatus, tusses, risus abstine.*

D. Ambrosij l. 3. de Virg.

Hoc fuit effatum religiosi Præsulis, quod S. Ambrosius ad omnem posterorum memoriam scriptis mandauit. Ab illo absunt longissimè hac ætate nostra plerique; quos ideo credas adijisse sacra templorum adyta, vt in ijs graueolentis stomachi sentinam, & cloacam exhauriant, atque exonerent, & qua indecenti sreatu, qua tussi impotentiore, parictum latera, fornicisque quatiant, & propè lacerent: ij verò quam maximè, qui in sacris officijs insolenti risu labra dissoluunt, omnemque, quæ esse debuit

Oo

religio-

290 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
religionem pessundant: Et hinc descendo ad postre-  
mum de silentio in sacris edibus religiosè seruando.

Fuit illud Pythagoreorum, Ægyptiorum, & sa-  
pientum omnium dogma; Deum silentio colen-  
Ia Aed. dum esse. Vt enim eleganter Eunapius *silentium*  
*mysterijs congruum, & sacrorum Præside digna ta-*  
*citurnitas.* Et eo quidem vt Valentinianis hæreticis  
silentium dictum sit veluti fons, & caput diuinita-  
tis: aiebant enim ex Bytho, & sige, hoc est silentio  
aliorum omnium Deorum sobolem natam esse:  
malè illi quidem ad religionem, & fidem veri Nu-  
minis: verum ad propositum meum non omni-  
nò malè, melius tamen Propheta Dauid: qui vna  
Pf. 64. & ad Dei laudes & ad silentium euocat. *Te decet,*  
inquit, *hymnus Deus in Sion:* vel vt vertit S. Hiero-  
nymus. *Tibi silentium laus Deus in Sion:* vt ex eo  
intelligas eximium quoddam esse laudis genus, ani-  
mi, orisq̃ue silentium; ad quod vt inuitarent An-  
tiqui, in templis expressam silentij imaginem erexe-  
re. Videri potest de hoc argumento Myrtagogus  
Ludouici Cressolij, opus sanè doctū, varium, pium.  
Ego hic ex illo, alijsq̃ue pauca delibauī, & veluti  
in fasciculum collegi, vt tibi ex eo amplam meri-  
torum, gloriæq̃ue coronam texas, quam efferas in  
templo adeptæ quondam beatitatis.

## §. 8.

*De situ Templorum ad Orientem.*

**E**X antiquo Ecclesiæ ritu, atque instituto templa sic extruuntur; ut solem aspiciant Orientem: in quo dissentit à Synagoga Iudæorum, & Salomonis eade, in qua locus ille, qui dicebatur *Sancta* Ezech. c. 8. *Sanctorum* vergebat ad Occidentem.

Eius ratio alia, atque alia proferri solet: D. Thomas, Angelicus Doctor duas ponit.

*Adoratio, inquit, ad Occidentem fuit introducta* I. 2. q. 102. ar. 4. ad. 5. *in lege ad excludendam idololatriam, nam omnes Gentiles in reuerentiam solis adorabāt ad Orientem.* Ne in eo oraturi Iudæi consentirent, solem ipsi spectabant Occidentem.

Subijcit deinde causam aliam è figura, typoque petitam: *quia totus status prioris testamenti ordinabatur ad significandam mortem Christi, quæ figurabatur per Occasum.*

Hæc S. Doctor, ut probet non sine rationis nutu, legeque factum, ut Salomon *Sancta Sanctorum* direxit ad Occidentem.

Quod si quis dixerit eo respexisse, quo vnà cum antiqua lege, ac Synagoga occidere debuerit, non erit à mysterio vacuus, à ratione alienus.

Christiani iam inde à nascente Ecclesia secus omnino fecerunt, censuerunt enim quantum loci na-

292 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
tura pateretur, enitendum vt altare tenderet ad O-  
rientem, cuius instituti causas hic inquirimus; In  
ijs olim sudauit pius sanctorum labor, & authorum  
plurimorum doctæ commentationes.

D. Basilius antiqua Christianorum consuetudi-  
ne receptum ait, vt orationem facturi sese vertant  
ad Orientem, cumque animo, & oculis vsurpent:  
vt hac corporis compositione, & luminum conie-  
ctu innuant se requirere, & aspirare ad primas sedes,  
ad antiquam patriam, ad Paradisum terrestrem, è  
quo hominis vnus noxa exciderunt.

Erat ille in Eden ad Orientalem plagam, ad  
quam anhelat mens pia, patriæ amantior. Ita ple-  
rumque solent peregrini, & exules conuerso tramite,  
lumina retroflectere, & in patrias sedes oculos, vna-  
que & animos conijcere; seseque vel illo aspectu so-  
lari: vel ad repetendos patrios penates excitare.

Ita quondam Iacob emoriens languidulam cer-  
uicem, natantes in morte oculos, caputque graue,  
& annosum conuertit ad lectuli caput, quod erat  
ad Orientem, flectebatque in terram promissam, cui  
exules Hebræi sese, adorantes, inclinabant; tum vt  
illius memoria in oculis esset, tum vt exilij, malo-  
rumque incumbentium molem suauissimo hoc  
patrij cæli, solique aspectu leuarent. Et hæc ratio  
ducitur è natura, & amore patrio.

Aliam ad mores vocat S. Augustinus; censet  
enim

enim ad Orientem vel ipso duce oculo præcates rapi, quod Oriens vulgata hominum opinione cæteris orbis partibus præstet: eoque tacitè monemur optima quæque, ac præstantissima in Dei honorem cultumque destinare.

Huic affinis est ratio, quam de hoc instituto extulit S. Athanasius. Admonemur, inquit, nos conuertere ad excellentem naturã: ea porro est Oriens, utpote lucis regio, solis thalamus, thronusque, & surgentis orbis oculus, cum è contra Occasus noctis sit sedes, & plaga tenebrarum: ab hac iubemur discedere, ad illam accedere non sine mysterio.

Interprete Propheta regio peccator est in Occidente, Deus autem in Oriente. Illic olim fuit Saulus de quo D. Augustinus. *In Occidente vetus, in Oriente nouus, in Occidente Saulus, in Oriente Paulus.* Hom. 14. inter 50. Ideoque necessum fuit, ut Christus, qui surgebat in Oriente, valido clamore geminaret illas voces *Saule, Saule*: quia Saulus erat in Occidente, à Christo, à luce, à sole suo quam longissimè diffitus: ab eo reuocatus est in Orientem, & qui in Occidente vetus, in Oriente nouus fuit, qui in Occidente Saulus, in Oriente Paulus audiit.

Ut ij quoque nos audiamus, abeamus quam longissimè ab Occidente, conuertamur ad Orientem: ita monet, ita vrget Augustinus. Auertere, inquit, ab Occidente, conuertere ad Orientem: ita longe ante

Pf. 102.  
v. 12.

monuit Iesseus vates: *quantum distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras*: Sed hæ rationes etiam Iudæis cõmunes fuere; demus alias, quæ propius ad Christianum institutum accedant.

Nos, qui à Christo Christiani dicimur, & sumus, ad Orientem vergere debemus: quia ex vero Christus est Oriens. Testor Zachariæ fidem, & oraculum. Hic inter alia, magnifica, augusta, diuina Messia nomina, reponit illud *Oriens est nomen eius*.

C. 6. v.  
12.

Et ipse de seipso extulit illud Seruator. *Ego sum lux mundi*, eam spectamus, dum Orientem aspiciamus & ab illo lucem aliquam diuiniorem, quæ non oculis, sed animo appellat.

Accedit & alia ratio index amoris, tesseraque diuinæ in nos charitatis. Si nonnullis credimus, in cruce moriens Saluator auersa facie fuit à Ierusalem, auersa etiam ab Occidente, conuersa verò ad Orientem, vt iam inde benignis oculis annueret Orienti, eiusque incolas ad suauissimos brachiorum amplexus, ad oris basia vocaret: & quia Christianus quisquis est amat illos amplexus Dei sui morientis, & cum sponsa ingeminat illud amantium. *Osculetur me osculo oris sui*, ideo flectit oculos ad Orientem vt ad Christi Crucem, amabilem illam faciem, coniuentes in morte ocellulos, amoris amplexus, charitatis basia aspiret. Et illa à Cruce, morteque Liberatoris nostri mutuata ratio: hæc ab eius in cœlum ascensu,

LIBRARI

e o o

ascensu,

ascensu, cum enim è terris viam sibi ad superos faceret, ad Orientem solem eleuatus est, eòque conuersi discipuli Magistrum suum ad Orientem adorauerunt, & inde manauit in Ecclesiam pia illa consuetudo, vt qui vota, precesque Deo fundit, vultum & oculos vertat ad Orientem, & animo Christum sequatur; ad cœlum, & superos toto cordis impete anhelet.

Denique pro coronide postremam huius auitus causam affert D. Damascenus, quod Christus, cui ab æterno patre datum est in mortales iudicium, venturus sit ab Oriente: ita quondam insinuasse visus D. Mathæus: dum enim vltimam illam perituri orbis periodum legit, & Iudicis aduentantis speciem exhibet: eum componit cum fulgure, quod euiecta, disruptaque nube, ingenti nisu erumpit, euolat ab Oriente, & summa montium, terrarumque iuga concutit; repletque immani gemitu; atque horrore. *Sicut fulgur exit ab Oriente, Math. ita erit aduentus filij hominis.* Et quia hunc in vltima mundi scena, in qua vertitur cardo longissimæ eternitatis, nobis propitium esse volumus, ideo preces ad Deum fusuri declinamus ad Orientem, tum vt etiam viui, ac spirantes in medio vitæ cursu meditemur, & æqua lance pendamus supremum illum orbis actum, tum vt illius probè memores ita vitam omnem exigamus, vt eo loci, ac temporis salus nobis in tuto sit.

Ecce quam variæ, quam piæ huius instituti rationes, quam prouida Mater Ecclesia; quæ ex ipso templorum situ, tot mysteriorum nos admonet.

§. 9.

*Sanctorum Nomini templa inscripsit tota  
Antiquitas.*

**S**Vccurrit hic vna difficultas, quam Bellarminus, alijque tractant recepto in scholis more, styloque: ego ijs omiſſis reddam, quæ sacro ſufficiant oratori.

Obganniunt Hæretici, & Catholicis obſtrepunt vel eo nomine tantum, quod templa ſoli Deo dicanda, etiam hominibus, & puſillis olim mortalibus ex eodem nobiſcum luto malè compactis erigantur, in quo nos arguunt idololatriæ, videamus an rectè.

In ea quæſtione, quæ nobis cum hæreticis intercedit; fatemur ingenuè cum D. Auguſtino templa ſoli Deo extrui, & hoc docet natura, ratio probat; ædificantur enim templa, vt in ijs ſacrificia fiant, ea porrò vni Deo deferuntur.

Sortiuntur tamen à Sanctis, aut Virgine Deipara appellationem, tum ob ſacram eorum memoriam, imagines, reliquias, apparitiones quæ ibidem aliquando contigerunt, tum etiam ob eorum apud Deum patrociniũ.

Et

Et ne illud huius æui figmentum clamites, Hieronymum audi, vrsit ille quondam Vigilantium, & modo teipsum perurget. *Ingrederere*, inquit, *basilicas martyrum*, & aliquando purgaberis, à tua hæresi, & peruersis opinionibus, postquam ibi pios manes, sacrosque cineres colueris.

L. cont.  
Vigil.

Eodem te vocat Augustinus, dum enim ait, *pompulus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat*: vna etiam te monet, vt & ipse concelebres, nisi cum Fausto, quem ibi arguit, Christianus esse, & haberi desieris; velisque pugna-  
re cum tota Antiquitate, quæ appellationem, & nomen templis indidit, à sanctorum memoria, & religiosa solemnitate, quam vides non esse huius temporis, sed iã inde ab ipsa Ecclesiæ infantia vsurpatam.

L. 20.  
cont. Fau-  
stum c.  
21.

Et quia non minus exemplis, quam verbis tuta est fides, tibi produco nascentis Ecclesiæ lumina, fidei, morumque magistros, quid illi?

D. Iacobus maior, Beatæ Virgini, quæ sibi in columna iuxta fluuium Iberum apparuerat, templum ædificauit, & hoc quidem annuente, imò iubente ipsa Virgine Dei Matre, quæ tamen adhuc agebat in viuis: quod Deiparæ Iacobus eius amans in paucis, hoc S. Marcus Euangelista D. Petro Apostolorum Principi, adhuc inter mortales agenti, cui Alexandria sacram ædem dedicauit.

Ribadi-  
neira.

Ribad.  
25. April.

Ecce quid senserint, quid egerint primipili Ecclesiæ,

P p

sia,

298 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
fiæ, orbis columnina, religionis & fidei fatores: quos  
erroris arguere non dico temeritatis, sed & profligatæ  
erit amentia. Ab illis hausere posterius quid-  
quid in eo genere ostendere pietatis.

Silvester, magnus omninò Pontifex basilicas à  
Constantino Imperatore sumptu planè magnifico  
extructas Diuis Petro, & Paulo dedicauit. Damasus  
Beato Laurentio, inuictò Martyri. Liberius Virgini  
Matri, Innocentius Sanctis Geruasio, & Protasio,  
fortissimis Ecclesiæ pugilibus. Alij alijs sacras ædes  
inscripserunt, prout occasio, pietasque tulit; quam  
maledico dente carpere, in circulis vellicare, cala-  
mo notare, indoctum, insulsum, impium est: sed  
ne longius stylum ducamus in argumento satis  
obuio: pauca de altaribus subnectamus, vt sua illis  
stet religio, ac reuerentia.

§. 10.

*De Altaris nomine, materia, consecratione.*

**D**E altari prima quæstio erit, quid nominis, al-  
tera quid rei; à qua veniemus ad illius autho-  
rem, materiam, consecrationem, ac cultum.

Festus opinatur altare dici ab altitudine, veteres  
enim Dijs sacra faciebant in ædificijs à terra subli-  
mibus, ac elatis, hoc fortè consilio, vt in ijs quisquis  
litasset, alto, ac sublimi esset animo; nec terris abie-  
ctus adreperet.

Ifidoro

Isidoro appellatur altare, quasi alta ara, in qua L. 15. Euang. c. 14. victimę authori rerum omnium Deo immolabantur. Vnde altare Hebraicè vocatum est *Mizbeach*, à radice *zabach*, hoc est mactavit, quod altare sedes esset, in qua animalia mactabantur.

Nominabatur autem ara vel ab ardendo, quod in ea arderent victimę; vel à precibus, quas Græci *αράς* appellabant, consona omninò voce, quia oratio ab ardore, ab igne deuoti pectoris calere, & ardere debet.

Hic velim pedem, oculumque figat, quisquis ad altare ascendit, legat ille quid in eo nominis, quid in se ardoris: deriuatur ara ab ardendo, ardeat ergo quisquis arę fit proximus, caleat æstu deuotionis, æstuet igne caritatis. Hoc enim vel ipsa nominis sui etymologia tacitè monet, & vrget ara.

Et hæc de voce disceptatio: de authore etiam sua lis. Qui primus altare extulisse legitur is fuit Noe, terris, & sibi à diluuiò redditus *edificauit altare Domino*: quamquam & vero simile fit etiam Gen. 8. v. 20. Abelem, aliosque in altari sacrificium obtulisse, licet eius Scriptura non meminerit. Sed ad rem ipsam transeamus.

Altare ex vsu Ecclesię, & decretis summorum Pontificum: solidum sit oportet, non inane, & concauum; lapideum sit, sacroque chrismate delibutum, ac consecratum; quæ causa?

Inter altare veteris & noui Testamenti hoc interest, quod illud intrinsecus esset inane, & concuum, atque è terra, vel rudi, & impolito lapide: hoc autem solidum, & politum. Cur diuina prouidentia hoc inter vtrumque discrimen esse voluit?

Exod. 20.  
v. 24.

Hæc olim de altari lex. *Altare de terra facietis mihi.* Cur inquires è terra, ex opere lateritio? hic laborat, gemitque Rabbinorum industria, & in suas quisque flectitur opiniones.

Rabbi Abraham ait altare ferro, aut scalpello non attingi, quia nefas erat partes ferro abrafas in terram excidere, tanta sacris aris inerat reuerentia.

Rabbi Moses ne ex frustis sacratorum lapidum, simulacra sibi fingerent idololatræ, ijsque ad magicas artes abuterentur.

Rabbi Simeon ideo credit ferrum ab altari remoueri, quod hoc propagandæ hominum vitæ erectum sit, illud autem maligno mortalium ingenio inuentum vt ætatem, ac vitæ filum impressa vi rescinderet.

Huc etiam spectat illud, quod in templo Salomonis nullus omnino fuerit ferri vsus. *Malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita, in domo cum edificaretur.*

3. Reg. 6.  
v. 7.

Sapientis id consilium fuit, ea ratio, quod ferrum ad hominum perniciem, ac cædem comparatum diuino cultui seruire non debeat; quod ipsum aduertisse.

uertisse videntur Ethnici, quorum ea lex teste Tul-  
lio, *Æs, & ferrum arceto à delubris, vt duelli in-* 2. de Le-  
gibus.  
*strumenta, non fani.*

Eodem ferè collimat Plutarchus, qui ait templa In ciuil.  
Instit.  
quædam fuisse, in quæ ingredientes aurum omne  
relinquebant, si quod forte secum haberent, ferrum  
autem nulli in fana introeunti permittebatur, sa-  
pienter omnino constitutum, vt potentissima duo  
vitiatorum instrumenta tollerentur; illud auaritiæ,  
hoc immanitatis.

Malunt alij tum temporis altaria è terra, vel in- Serra-  
rius In  
Iosue c.  
8.  
fecto lapide erecta, ne si è polito marmore, ex ar-  
gento, aurove conflata essent, vt apud Gentiles mo-  
ris erat, Iudæi ad idola faciles, ac proni deflecterent:  
& illa ex inconstanti Iudæorum ingenio hausta vi-  
detur ratio, hæc ex ipsorum sacris.

Voluit amabilis Dei prouidentia altare sibi tum  
fieri è terra, vel rudi lapide, vt vel hoc vno innueret  
antiquæ legis sacrificia, ac victimas rudes fuisse, &  
veluti informes typos illius sacrificij, quod in noua  
lege, vel in ara Crucis, vel in altari erat offerendum.

Eodem reuocari potest & illud, quod olim al-  
tare inane esset, ac vacuum, modo plenum, ac soli-  
dum; cuius rationes inuestigare nostri est instituti,  
cum illæ vel ad dignitatem sacrificij, vel ad mores  
ritè componendos plurimum conferant.

Primum igitur altare lapideum sit oportet ex in-  
stituto

stituto Siluestri magni Pontificis, tum quia Christi-  
 tum refert, & excipit, qui Apostolo interprete  
 1. Cor. 10. *Petra est*: tum ut æuum sustineat, tempusque lon-  
 gissimum, tum denique ut doceat Sacerdotes, qui  
 in eo superis, Deoque litant debere esse solidos,  
 firmos, & aduersus insultantes hostium impetus  
 obduratos: non autem molles, & in malum flecti  
 faciles, non etiam terreos, & leuiusculos, qui pulue-  
 ris instar qualis & aura circumferantur: hoc enim  
 alienum est à petra, è qua excisi sunt, à Christo, cui  
 quodammodo congeniti.

Sit deinde altare è polito lapide, qui huius sacri-  
 ficij nitori, elegantia, dignitati seruiat, doceatque  
 sacrificantis animum tersum, mundum, politum  
 esse oportere.

Sit denique consecratum: consecratur autem non  
 tantum Sacerdotali benedictione, sed & oleo sacro,  
 & vntione Chrismatis; qui ritus iam inde à sæcu-  
 lis, à Iacobo Patriarcha dimanauit.

Horrebat ille atroces fratris sui minas & crude-  
 les iras, quas dum fuga declinat, fessus de via obdor-  
 mit, dormienti, ac sopito obiecta scalæ species, quæ  
 imo pede terram, supremo vertice cœlos attinge-  
 bat; per eam ibant, redibantque veloces Angeli;  
 quos dum oclusis à somno sensibus, sed aperta, vi-  
 gilique mente contemplatur Iacob, sibi tandem ab  
 alto sopore restitutus, exclamat. *Quam terribilis est*  
 locus

Gen. 28.  
v. 17.

locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Tum deinde vt perennis foret lucis illius, obiectæque speciei memoria, lapidem, cui indormierat, erexit in titulum, ex quo manauit in posteros eadem communis appellatio, qua primæui Christiani Ecclesias à se erectas titulos nominauerunt, à titulo, hoc est signo Crucis, aut sancti nomine, cuius honorem eas inscripsissent. Ita Ecclesia S. Praxedis vulgo dicitur titulus S. Praxedis, & sic de alijs, à quibus ipsi Cardinales Ecclesiæ Principes sibi nomina, titulosque fecere.

Merito lapidem illum Iacob erexit in titulum, hoc est monumentum accepit beneficij, tum quia lapis ille amabili Dei prouidentia stetit in monte Moria, monte Caluariæ in quo futuro quondam sacrificio præludebat Deus. Primum enim in eo, si Rabbinis credimus, cæsus Abel prima cælo victima: tum in eo stetit Abraham, & innoxius Isaac genua posuit, ferroque caput supposuit; tum denique in eo obdormiuit Iacob, vt iam inde portenderet aliquando fore, vt in eo obdormiret, oculosque dura morte clauderet Iacobo potior Dei Filius, Christus Iesus.

Accessit & altera ratio erigendi lapidis in titulum, in monumentum diuini ostenti, est enim ea Hebræorum opinio Iacobum tres sibi lapides extulisse, & capiti supposuisse, ac deinde stupendo miraculo

304 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
miraculo factum, vt illi in vnum, eundemque la-  
pidem conuenerint: quod si ita est, symbolum ali-  
quod fuit Triadis, & vnitatis, Triadis personarum,  
& vnitatis naturæ: sicque primus titulus, primum  
altare authore Patriarcha Iacob Deo vni, & Trino  
erectum fuit.

At quomodo, inquires, erectum? qua ratione?  
quo ritu? Euigilans ab entheo illo sopore Iacob, ex  
vrbe *Luzan*, quæ deinde ab eodem *Bethel*, audijt:  
oleum extulit, lapidem imbut, eaque vnctione  
Deo ter opt. ter max. sacrauit.

Can.  
omnes de  
consecr.  
d. 1.

Ab illa die, rituque sacratione fluxit in Ecclesiam  
pia illa consuetudo, vt altaria tingantur oleo, ab eo-  
que sanctitatem ac reuerentiam accipiant, quod  
deinde etiam abiit in præceptum, adeo vt nefas, &  
letale scelus habeatur, celebrare sine altari hac sacra-  
caeremonia consecrato.

Est porro oleum illud, & vnctio signum ali-  
quod spirituale pinguedinis, symbolum est gratia-  
rum, quæ ab altari in nos effluunt; si tamen ij su-  
mus qui esse debemus, si nobis cor, amoris sedes,  
altare sit, si manus bonorum operum effectrix, ac  
magistra pro altari statuatur.

Meta-  
phras. 7.  
lan.

Dicitur olim B. Lucianus in carcere vsus suo pe-  
ctore pro altari; quo in ijs angustijs carebat.

Nice-  
phor. l. 8.  
c. 31.

Dicitur & Theodoretus Cyri Episcopus mani-  
bus Diaconorum pro altari vsus. Et huic, & illi ve-

nia

nia danda. Erat enim B. Luciani pectus altare viuum, ac spirans, erant innoxia Diaconorum manus, mobilia quidem altaria: sed plena spiritu, ac vita altiore; atque utinam nobis essent eæ manus, in quas toties illabatur euocatum quodammodo cælo Numen, Deus homo: id, esset pectus, in quo ut ara nobiliori quiescit, augustum, & diuinum Christi corpus; à quo manat oleum deuotæ mentis, ac miserationis.

## CAPVT VIII.

*De Cæremonijs Missæ: ijs præsertim, quæ in actione consistunt.*

§. PRIMVS.

*Ieiunium naturale.*

**P**riusquam agam de ritibus, sacrisque Missæ cæremonijs, erunt nonnulla præmittenda de ieiunio naturali (id est diei integræ à media scilicet nocte, ad vsque tempus, & horam sacrificij) quod à sacrationibus Mystis exigit Ecclesia.

Ei certè reclamationem Lutherus, aitque esse articulum Papæ, & Papistas merè fatuos, & stolidos appellat, qui ieiunio stomacho synaxim percipiant, vultque liberum cuique videri, & esse; hæc sunt Lutheri scommata. *Nos autem istos merè fatuos, & stolidos appellamus, & communionem liberam habemus*

L. contra  
Regem  
Angliæ.

Q q

sive

306 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
*sive per diem, sive per noctem; sive manè, sive vespere:*  
*apud nos non peccat; qui modestè ederit, aut biberit ante communionem.*

Quis autem censendus sit modestè edisse, aut bibisse, explicat in libro de formula Missæ, dum ait: ne quis crapula ructet, aut distento ventre pinguescat: hæc illi modestia est, & sobrietas sacris epulis præuia: in qua præceptione rigidus sibi visus est interpres, & Doctor, vt qui plerumque & infamem crapulam eructaret, & dilatato ventre non saginari modo, sed propè crepere, rumpiq; videretur.

Ne porro videatur Lutherus id sine ratione iactasse, erroris sui patrociniū sumit ab exemplo Christi, qui & Sacramentum hoc instituit, & sumpsit ipse, imò & discipulis sumendum obtulit etiam post cœnam, & liberalem quidem.

Vt huic argumento fiat satis primum id statui-  
mus, non omne Christi exemplum, etiam nobis  
in exemplum trahi, multoq; minus in præceptum;  
Christus prius circumcidi voluit, dein à Ioanne  
baptizari; an ideo recte conficiēs Christianum pri-  
mò debere circumcidi, deinde baptismi aquis, ac  
fluentis elui?

Christus hoc Sacramentum instituit, ac distri-  
buit post cœnam typicam, & esum Agni Paschalis,  
an hinc in Christiana logica concludes etiam typi-  
cam illam, & Paschalem cœnam epulo Eucharis-  
tico præmitti oportere?

Sed illa, inquit, abrogata est, cessitque mensæ diuini. Et hoc volo, tibi que lubens concedo, sed & tu mihi illud cedito, mensam illam tuam, cui incumbis totus, vinum liberale, quo mades, & effluis, catholico ieiunio concedere oportere. Sed audio, reclamas, recalcitras, & pleno ventre de ieiunio disputas, & in illud inueheris, ac debaccharis: nec mirum, ventri natus es, & abdomini, huius es seruus & mancipium: nec ut velis ieiuno stomacho sapere possunt diuina: at alij sapiunt qui se non Baccho mergunt: sed musto replent diuiniore.

Ex ijs fuit Augustinus, qui hunc Ecclesiæ Romanæ morem, iam inde à primis sæculis vsurpatum magnificè prædicat. *Placuit, inquit, Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius corpus Dominicum intraret, quam ceteri cibi, nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur.*

Contra hunc morem orbis vniuersi pugnat Lutherus, contra sanctorum placita; contra veneranda Conciliorum decreta: contra sensum Antiquitatis, quem ne impugnet magis; audiat ille, etsi ipsis inferis altè insepultus audire non possit, at saltem audiant eius asseclæ Lutherani: & æquis oculis aspiciant, quid pro seueriore ieiunio senserint, & scriptis ediderint Ethnici, ac Iudæi impia licet, duræque ceruicis.

Amphiarus Ethnicus homo à natura ipsa edo-

Qq 2

ctus,

Volaterr.  
l. 13.

ctus, edixit vt Sacerdotes qui responsa clarè à Dijs excipere, & hominibus reddere voluerint, integrum diem à cibo, triduum à vino abstinerent.

Censebat nimirum ad ebrias, & temulentas voces obmutescere superos, nec oracula reddere mortalibus nisi sobrijs, imò & ieiunis. Venter enim benè fartus caret auribus, nec Diuorum linguas admittit etiam ex ipsa Ethnicorum opinione.

Hom. de  
ieiunio.

Videamus, quæ & Iudæis persuasio. D. Bassilio teste Sacerdotes olim non ingrediebantur tabernaculum nisi ieiuni, vt maiore fiducia Deum orarent, atque exorarent. Occuparat illos ea opinio, ieiunæ linguæ cælum aperiri, & patere: claudi verò, & negari stomacho pleno. Inde ieiuna lingua audiit cæliclausis.

Ea fuit Eliæ magni, quæ cælos pro libito vel aperuit, vel occlusit. Hæ enim illius voces. *Viuat*  
3. Reg. c. 17. v. 1. *Dominus Deus Israël in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia nisi iuxta oris mei verba: quæ verba liberæ, & arduæ mentis dum amat, miraturque* Ambrosius ait. *Eliæ ieiuno ore vox emissa cælum clausit sacrilego populo Iudæorum.* crederes ieiunæ linguæ parere cælum, & astra, benignosque siderum omnium influxus adstipulari; quod certè vel maximè patuit in magno illo Heroe, Israël's Duce, Iosue: cuius paucas vuculas, easque ieiunas, sol ipse exaudiit, stupuit, stetit. *Stetit*, inquit Tertulianus

In eum  
locum.

tulianus, *Sol in Gabaon, & luna in Aialon, ut exaudiret Deus hominem parem Solis.* Par fuit Soli, quia non minus, quam Sol ieiunabat, & abſtinentia ſua orbi vniuerſo prælucebat.

A Iofueredeo ad Eliam, quem ſolemne ieiunium etiam ſupra cœlum, & Solem euexit. De quo Ambroſius. *Hoc gradu, inquit, Elias aſcendit antequam curru.* Et iſta faciunt ad vim ieiunæ linguæ, mentisq̃ue: Hęc ad religionē, & ſacrorum reuerentiam.

Fuit ille quondam mos Antiquis, & ſanè pius ac religioſus, vt etiam de lege ad iuramentum adacti, illud non emitterent niſi ieiuna ſaliua ad obſervationem diuini nominis, quod efferre tepente à vino, potuq̃ue lingua à ſacris videbatur alienum.

Quod ſi ea veteres omnes tenuit opinio, ea ieiunij obſeruantia, ac religio; neceſſum eſt fateamur: Primum Lutherum, & Lutheranos omnes Neotericos eſſe, & ab antiquitate degeneres. Deinde & alterum illud, pio more, rituq̃ue inductum in Eccleſiam, vt Sacerdos ſacris non aſſiſtat niſi ieiunus.

Debet ille vt Legatus totius populi vota excipere, Deoq̃ue reddere: atq̃ue à cœlo reſponſa, & velut oracula referre: debet ad miſerationem flectere ſuperos omnes, & inſtar Eliæ alicuius ſoluere, laxare cœli repagula, opportunumq̃ue gratiarum imbrem, ſolutis diuinæ munificentia nubibus in terras, in arida, ac hiantia mortalium corda demittere.

Qq 3

Debet

310 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
Debet vt alter Iosue, non solem, facem illam, &  
oculum orbis: sed ipsum lumen æternum, lumi-  
nis fontem, abyssum, Deum hominem, potenti  
verbo sistere: debet vsurpare non nudum modo  
Dei sui nomen: sed sacrosanctas, ac Deificas illas  
voces; voces longe superiores etiam ijs, quibus olim  
in prima rerum molitione, è nihilo euocatus orbis  
prodiit: Dixit olim Deus, & facta sunt: dixisse, fuit  
etiam fecisse: sed quid amabo? cœli regiam, &  
aspera superis orbibus sidera, flammâsque: immen-  
sam aquarum abyssum, liquida maria: terræ mo-  
lem & si quid ea portatur: at dicit Sacerdos, & fa-  
ctum est Christi corpus: quod tantum à cœlo,  
terra, aqua, elementis, vniuerso que dignitate di-  
stat; quantum inferi à superis, humana à diuinis,  
ima à summis: debet denique Sacerdos cum ad con-  
secrationem accedit, ad cœlum quodammodo ip-  
sum accedere: imò cœlo quasi ipso, cœlestibus-  
que accolis cingi: in illa inquam hora (quam S.  
Pater Epiphanius *terribilem horam* appellat, lucidi  
ætheris orbis aperiuntur, descendunt Angeli, cir-  
cumuolant cœlestium spirituum chori, & sese ter-  
ris inclinat Paradisus, vt eo veluti capiatur Sacerdos,  
& in illum euadat abstinentiæ gradu, ceu curru  
deuectus instar alterius Eliæ, & hæc in præsentia af-  
ferre placuit, pro sacro illo ieiunij ritu, quem sacri-  
ficanti pia Mater Ecclesia indicendum putauit.

Orat. de  
Resur.  
Christi.

## §. 2.

*Lotio manuum ante sacrificium, sacramque  
Communione.*

**D**E hac manuum lotione aliquid verbulo ante insinuavi, modo ex professo fufius agam, ex eaque præclara deducam morum documenta.

Aaroni, ac filijs eius hanc olim Mosis calamo legem inscripsit Deus. *Facies labrum aeneum, cum basi sua ad lauandum, ponesque illud inter tabernaculum testimonij, & altare, & missa aqua lauantur in ea Aaron & filij eius, manus suas, ac pedes.* Exod. 30. v. 18. 19.

Ea lex cælo iudice lata à Iudæis transijt ad Gentiles: ad quorum morem alludit illa Hesiodi parœmia. *Illotis manibus sacra tractare nefas.*

Imò placuit suauis, diuinæque prouidentia, cum quoque ritum in noua, ac Christiana lege vsurpare: Sacerdotes enim sacris operaturi, iubentur prius manus eluere: imò & sub ipsum sacrificij tempus eluunt, adnectuntque votum illud regij vatis. *Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.* Et hæc Sacerdoti cæremonia singularis; illa etiam alijs fidelibus communis.

In primitiua Ecclesia Christiani omnes templum ingressuri, & communicaturi, manus lauare soliti, quem in vsu pro foribus templi visebatur vas ingens aquæ opportunum sacrae illi lotioni, cuius loco

312 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
loco in presentia ad templi fores seruatur vasculum  
aquæ lustralis, quo non tam corpus, quam animus  
eluitur.

Illius autem auitę institutionis duplex ratio fuit.  
Vna quidem, quia tum temporis Christiani sacram  
Eucharistiam non ore ( vt modo vsus obtinuit )  
sed manibus excipiebant, domumque deportabant:  
ideoque probe lotas, & puras esse oportebat, vt quæ  
sacrum illud vitæ melioris viaticum exciperent.

Altera, eaque potissima causa hæc fuit, vt illa  
lotione manuum, corporisque munditie, moneren-  
tur, quæ deberet esse animi, mentisque puritas, can-  
dor illibatus; & eximia quædam continentia, ad  
*In c. 1.  
Luc.* quam vocari potest ea lex antiqui Testamenti Sa-  
cerdotibus imposita, qua iuebantur tempore vicis  
suar, ab vxoribus, licitaque alias venere abstinere; vt  
mihi author est Beda, & Theophylactus.

*L. de  
Monar-  
chia.* Imò, Philone teste, eo tempore non domi suar,  
sed in domibus atrij templi habitabant, ne aliqua  
legali immunditia foris sese contaminarent.

Ad eandem munditiei, & castimoniar legem,  
traduci potest illa consuetudo, qua in Ecclesia Lati-  
na Sacerdotibus coniugium interdicitur, de quo D.  
Ambrosius quæstionem mouet: cur in antiqua le-  
ge concessum illud, negatum in noua?

Vt nodum illum soluat, respondet, quia in vete-  
ri lege Sacerdotes rarius & per vices templo serui-  
bant:

bant: in noua autem quotidie ministrant. *Sacerdotes*, inquit, *die, noctuque pro plebe sibi commissa oportet orare. Mundiore ergo debent esse cæteris, quia actores sunt Dei.*

*In c. 3.  
Ep. 1. ad  
Timoth.*

Quod ipsum argumentum foelicissime tractat, & persequitur D. Augustinus: quærit enim. Cur si licet, & bonum est nubere; Sacerdoti non liceat? vt illi dubio faciat satis, hæc subiicit.

*Quia debet mundior esse quam cæteri, quia sancta sunt, quæ administrat. Nam sicut ad comparationem lucernæ, tenebræ non tantum obscuræ sed etiam sordidæ sunt: ad comparationem autem stellarum, lucerna caligo est: ad solis vero comparationem stellæ nebulosæ sunt; ad Dei autem claritatem sol nox est: ita quæ ad nos licita, & munda sunt: ad Dei dignitatem quasi illicita, & immunda sunt.*

*L. quæst.  
vtriusque  
Testam.*

Hæc Christiana eloquentia D. Augustinus, vt luce meridiana clarius ostendat, quam purus esse debeat, castusque Sacerdos Dei ter opt. ter max. administrator.

Lucerna est in domo Dei, ideòque super candelabrum poni debet, non sub modio coniugij.

Stella est infixæ Ecclesiæ, tanquam cælo nouo.

Sol est positus in firmamento huius æui mortalis. Ideòque & lucerna defœcator, & stella purior, & sole ipso lucidior sit oportet. Est lux ipsa solis huius aspectabilis, & nobilissima cælestium cor-

R r

porum

314 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
porum affectio, quæ nullo vicinorum corporum  
appulſu, nullis qualitatibus externarum contagijs  
inſici poteſt, ac fordeſcere.

Et luci cognatus eſſe debet Sacerdotum animus,  
qui nullam impuri amoris colluuiem, fordes om-  
ninò nullas patiatur: vel ob id tantum, quod diui-  
nis Miſſarum ſolemnijs propius interſit, quod aris  
aſſiſtat, quod epulo Dominico participet.

Ob eandem ſacrorum reuerentiam, adorandam-  
que Eucharistiæ maiestatem, video quondam ali-  
cubi prohibitum, ne qui erant in communi vita,  
legitimo alioqui matrimonio copulati, totius Qua-  
drageſimæ tempore coniugij vſum adhiberent;  
qui id feciſſet minus pius, & religioſus videretur.

*Hom. 16.* Hinc illa S. Eligij Nouiomensis Episcopi. *Nam,*  
*vt quidam sapiens ait, similis reatus est fidei Chri-*  
*ſtiano diebus Quadrageſimæ etiam cum propria vxo-*  
*re concumbere, ſicut & carnes in eâ ſumere.* Hæc  
ille. Vtque videas ac mireris, quis fuerit illius æta-  
tis, ſæculique ſenſus, quis Patrum animus, zelusque  
caſtimoniæ; Concilium Eliberinum vnus anni  
pœnam ijs imponit, qui deſtinatò vacarint rei vxo-  
riæ; & hoc genus voluptatis experti ſint eo Quadra-  
geſimalis ieiunij tempore, quo ad ſacram ſynaxim  
diſponi debet animus.

*c. 9.* Neque dixeris eam tantum vnus Concilij men-  
tem fuiſſe: fuit & illa ſanctiſſimorum Pontificum,  
quos

quos inter Nicolaus Papa in responsis ad consulta Bulgarorum : significat eam esse Romanæ Ecclesie consuetudinem, vt Christiani omnes, in Quadragesima communicarent, & proinde omni carnis voluptati renuntiandum monet.

Quod si voce, monitisque Patrum, si oraculo magni Pontificis, etiam coniugatis tam diuturna continentie lex imponitur, vt se ad pias preces; & diuini corporis communionem apparent; quanta hominum Deo sacrorum continentia esse debet, vt in dies singulos altari seruire possint, & tractare veneranda illa, & ipsis Angelis tremenda mysteria. Pro quorum vsu, ac reuerentia bene cecinit Arator Diaconus. *Ecclesie nunc alma fides, sine fine pudicos, Pontifices iubet esse suos.* In Act. c. 30.

Et certe Diuus Dionysius, magna illa tuba resonantis cœli, negat vllum admittendum esse ad Pontificium Ordinem, & dignitatem Sacerdotij, qui non profiteatur *se mundum, & sanctum ad ea que sancta sunt, atque pura tractanda venturum.* De Eccl. Hier. c. 1. Quidni enim mundus sit, & sanctus, qui elata voce pronuntiat, ac profitetur ascendere se ad montem, ad tabernaculum Altissimi?

Magnus ille gentium Pater Abraham, dum in montem cum filiolo Isaac sacrificaturus pergeret, asinum, & seruos ad illius pedem, ad abiecta vallium loca consistere iussit, vt suo exemplo doceret,

R r 2 quo:

316 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
quo pede, quo comitatu Sacerdos alta montium,  
& pretiosa sacrificij myſteria ſubire debeat: vt in  
ijs alter Ifaac, eo longè potior, æterni Patris filius  
hoſtia immoletur. Nimirum ad ea admitti non  
potest aſinus, aut ſeruus: ſeruile, & aſinum inge-  
nium, ad gulæ paſcua, ad fœdas voluptates abie-  
ctum: quî enim admittatur, qui aſcendit in taber-  
naculum, non vetus illud, in quo fumus tantum,  
aut nebulæ aut euaneſcens gloria maieſtatis, non  
arca ophireo auro illuſa, non manna rorifero ex  
aëre concretum, non muti Cherubim, ſed auguſtio-  
ra longè, ac diuiniora: ea ſcilicet, in quibus pro ar-  
ca, pro manna, pro rore, pro Cherubinis, ſit ipſe  
Deus, fons vitæ, & ſedes maieſtatis.

§. 3.

*De ſigno Crucis.*

**V**Bi ad altaris pedem ſteterit Sacerdos ſacræ  
Miſſarum ſolemnia inchoaturus, primum ſe  
munit ſigno Crucis; de quo mihi ſuccurrunt tres,  
eæque præcipuæ in primis quæſtiones.

Vna de numero; altera de ſede; alia denique de  
myſterijs, præſidio, virtute, gloria, quæ ab illo ſi-  
gno ſeu corpori, ſeu animo inſigitur.

L. de ob-  
ſer. Eccl.  
c. 14.

De numero id obſeruat Mycrologus ſignum  
Crucis in Miſſa quandoque ſemel, quandoque ter,  
quandoque etiam quinies exprimi, numero ſem-  
per diſpari, nunquam pari. Quæ cauſa?

Hæc est in oculis, & manibus: semel efformatur, vt diuinæ naturæ vnitatem representet: ter vt personarum Trinitatem; quinquies, vt ad quinque Christi plagas, memor, gratus, & pius animus reuocetur: ecce quæ in numero religio, quæ religionis expressa species. Nos in ipso Missæ principio altiora mysteria à Cruce ordimur: & illam semel in fronte fingimus, vt ea notetur diuinæ naturæ vnitatis: Æthiopes autem in ipso sacrificij limine ter sese signât, vt ternario numero Trinitatem designasse videantur: Et hæc de numero, eiusque ratione.

Venio ad sedem Crucis, partesque corporis, quæ illa muniuntur. Eæ sunt frons, os, & pectus: has enim potissimum signare maiores docuerunt; non sine Numine, & consilio rationis, ac pietatis pleno.

In fronte signatâ hæc mysteria Sancti Patres commendant.

D. Augustinus liberam, atque explicatam fidei confessionem. *Non sine causa, inquit, signum suum* Con. 3. in Ps. 30. *Christus in fronte nobis fieri voluit: tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobrium Christianus erubescat.*

Quod si ea cuilibet Christiano communis est ratio; Sacerdoti certe vel maximè singularis, cuius propria fidei professio, quæ pudorem, ruboremque in fronte nesciat, nisi eum velis à fuso Christi causa sanguine creatum.

Ea quondam fuit magni Præfulis, inuicti Mar-

318 SPECVLVM ECCLESIATICORVM,  
tyris S. Macedonij Constantinopolitanæ Urbis E-  
piscopi: qui insignem illam fidei notam, religio-  
nisque tesseram & viuus, & mortuus vsurpauit.  
Cum enim exanime iaceret corpus, claro, & illu-  
sti prodigio, elata manu signum Crucis fronti im-  
preffit: vt non animus tantum in cœlis agens vita  
beatior: sed etiam in terris eo vacuum corpus ab  
hoc signo suam in Christum fidem testaretur.

Niceph.  
l. 16. c. 26.

D. Chrysostronus aliò consilia fleçit, & nota-  
tam à Cruce frontem, refert ad gloriam splendidis-  
simi ornamenti, quo præ cæteris eminere debent  
sacrorum præfecti: Ij certè in diuinis oraculis dice-  
bantur olim à Dauide *filij Core*, hoc est, interprete  
D. Augustino, *filij Passionis, filij Crucis: portantes  
in fronte, quod inimici in loco Caluarie fixerunt*, &  
quod modo Reges, ac Cæsares ostentant in diade-  
mate. Et hæc est Sacerdotum gloria, hoc sacratæ  
frontis decus, hoc nobile capitis diadema.

In Ps.  
xii.

A fronte pudoris, ac maiestatis sede descendit  
manus ad os, & pectus, & tam huic, quam illi salu-  
tis signum inscribit.

Ori quidem ne lingua, quæ à natura corrupta in  
malum volubilis est, quæ flamma vorax, quæ v-  
niuersitas iniquitatis, sese in scelus, in maledicas, &  
cœlo ingratas voces aperiat, atque dissoluat.

Pectori denique, quod cordis est receptaculum,  
domicilium amoris, & affectionum prope om-  
nium

nium officina crux appingitur, ne vllas appetituum imagines, vllas suæ amoris typos à ratione, à Cruce, à Deo alienos in se excudi patiatur. Et hæc pro tribus illis corporis partibus militant rationes, à quibus venio ad alia mysteria, quæ in eo signo nitere, cœlum, Deusque voluit.

Primum videtur ab antiqua consuetudine, ac religione deriuatum. Pontificibus Hebræis id sacrum, ac solemne fuit, ostentare in fronte laminam auream, in qua scriptum legebatur, augustum, ineffabile, diuinum Dei nomen *Iehoua*, quod illis reuerentiam, populo religionem commendaret.

Quod in veteri lege Pontifex; hoc & in noua Sacerdos; præfert ille, atque exhibet in fronte, ianua mentis, signum Crucis, vt ex eo noueris quod Altissimi sit minister, quod illius nomen in lucem, in solem efferat, & ab illo sibi authoritatem, atque obseruantiam conciliet.

Et hoc primum in eo mysterium clauditur; addo & alterum, quod inuenit S. Hieronymus, qui censuit in fronte celsa corporis parte Crucem imprimi tanquam notam salutarem, à qua sibi timeat Erebus, & exterminator Ægyptius. *Crebro, inquit, Ep. 8. signaculo Crucis munias frontem, ne exterminator Ægypti in te locum inueniat.*

Vbi vindex cœli manus sese in Ægyptios explicuit, ingenti que strage, nocte vna, omnia eorum

primo-

320 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
primogenita cecidit, vt ab illa clade liber iret He-  
breus, iussus est liminare domus signare signo *thau*,  
quod vbi legerat vltor Angelus, nouerat vel ex eo  
ibi latere electos Dei, & à communi excidio libe-  
randos.

Hic orbis nobis est pro Ægypto exilij sede, do-  
mo seruitutis, in qua multi iusto Dei iudicio ad  
pœnas exiguntur: ab ijs à Crucis præsidio, plerum-  
que liberi Sacerdotes, vtpote populus acquisitionis,  
gens sancta, genus electum. Et illud diuini benefi-  
cij, & eximia quædam illius bonitatis inclinatio;  
quod sequitur, Sacerdotis officium probat.

A dura ceruice, à suis sceleribus, & inueterata  
malorum consuetudine, eò iam venerat Israël, eò  
lapsa erat solyma, vt eam nec terra ferret amplius,  
*Echel. c.* nec cœlum intueri posset. *Appropinquauerunt*, in-  
*9. v. 1.* quit Deus Ezechielis ore, calamoque, *uisiones*  
*Vrbis*, quas vt Euro velocius expediret, è cœlis e-  
misit sex Angelos, iussitque vt singuli haberent *Vas*  
*interfectionis in manu sua*. Prius tamen quam ad  
pœnam elaberentur spiritus illi vindices, omnia-  
que ferro perderent; *Vir vnus vestitus lineis, & a-*  
*tramentarium scriptoris ad renes erat*, iussus est trã-  
sire per mediam ciuitatem, & signare *thau super*  
*frontes virorum gementium, & dolentium super cun-*  
*ctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius*. Ita ha-  
bes signum *thau*, hoc est, interprete D. Hieronymo,  
signum

signum Crucis, ex tunc fuisse signum dolentium atque gementium.

Ex his, quæ prisca tulit, ac sensit ætas, hoc ad institutum meum deduco: dum iubetur Sacerdos ineunte sacrificio, quod pro totius mundi delictis offertur, frontem notare, signo *thau*, signo Crucis; unà etiam tacitè hoc symbolo monetur, ut sit è sorte virorum dolentium, atque gementium de peccatis, & abominationibus populi, ut ante probavi, cum in eas lacrymas explicui manipulum fletus ac doloris. Et illud est indulgentiæ, & piæ miserationis; quod subijciam erit insigne documentum nitoris ac castimonix. A Cruce ceu symbolo, ceu ornamento virginei pudoris, erigitur Sacerdos ad ipsam beatarum mentium puritatem.

D. Ioannes in alto mentis excessu vidit aperiri cælos, ac superùm domicilia, & in ijs Agnum stantem, stipatum agmine centum quadraginta quatuor millium signatorum: qui ut in alijs multis, cæteris eminerent, ita & in hoc quam maximè. Habebant enim *nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.* Apoc. 14. v. 1.

Si quæras qui sint illi hoc nomine insignes, hoc stemmate nobiles, audies ex eodem Ioanne, Virgines esse, quibus pro tessera, pro laurea cessit amabile, & augustum illud nomen, signumque Crucis, quod in fronte elucet, quia frons sedes est pudoris,

Sf

&

322 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
& ianua virginæ mentis, in quam proinde euadit,  
& inscribitur illud. *In nomine Patris, & Filij, &  
Spiritus Sancti.*

Hoc ipsum Sacerdos aris assistens in fronte scribit, vt vna pudoris notas, continentia characterem, virginitatis typos & corpore, & animo circumferat. Et hæc à Crucis signo vitæ benè instituendæ sunt argumenta: omitto vim illius in Dæmones, aliaque istis affinia, quia satis obuia, & probè nota.

§. 4.

*De Triplici osculo, altaris, libri, & pacis.*

**I**Nter sacras cæremonias, ritusque quos usurpat Ecclesia, reponitur osculum, altaris, libri, & illud, quod vulgo dicitur, pacis, de quo prius quam tractem: ex Antiquitatis fide, ex Historiarum monumentis, ex Scripturæ authoritate, atque oraculis aliqua osculi symbola deducam; tum ea ad meum institutum reuocabo.

Omniauo osculum symbolum fuit amoris, ac benevolentie singularis: à qua factum vt apud Grecos, & Xenophontem eadem vox, φιλεῖσθαι, & amare, & osculari significaret: nimirum amor, qui in cordis regia, & arcano residet, ac latet, subit quodam modo in os, & per illud tanquam per ostium animi elabatur. Ad eam osculi, & amoris tum in voce, tum in reipsa communionem, accessit omnium

nium propè gentium vsus, ac sensus, qui amorem suum vnico ferè osculo prodidere: ita apud Romanos inualuit illud, vt amici in morte carissimorum, & filij in obitu parentum, sese ad eorum oscula demitterent, spiritum abiturientem aperto ore, & hiantibus quasi labris excepturi, quod summæ caritatis erat argumentum. Et illud ita cuiq; peruium est, ac tritum, vt pluribus probare sit nefas.

Arcanum magis, ac reconditum illud, quod osculum antiquis etiam fuerit indicium prærogatiuæ, dignitatis, imperij, gratiæque per illud conferendæ.

Exempla si voles tibi dabunt sacrae paginæ, Doctorum scholæ, ac pulpita, ipsique ritus in Sacerdotum consecratione quondam seruari soliti.

Caligarat Isaac, & oculorum orbis propè amiserat, lucisq; huius vsuram, cum ad eum de veneratione redijt Iacob, & à Parente, sene quam optimo sibi bene precari, benedici petijt: cui senex: *Acce-* Gen. 27. v. 26.  
*de, inquit, ad me, & da mihi osculum fili mi.*

Quid opus osculo, quærit Abulensis? opus enim uero quam maximè. Ambiebat Iacob iura primogeniti, & amplissimi in fratres, ac posteros principatus: eum bonus Isaac in Iacobum filiolum natu minorem vno osculo transfundit.

Ita deinde posteris sæculis cum Saulem in Regem vnxit, erexitque Samuel, *Deosculatus est eum,* 1. Reg. c. 10. v. 1.  
& osculo ei regios animos, dignitatem, maiestatem, q. 20.

Sf 2

gratiam

324 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
gratiam impertijt : ita censuere Theodoretus, &  
Procopius. Quamquam alij id referri malint ad  
obseruantiam, quam Sauli osculo testabatur Sa-  
muel : more tum recepto, vt populus in signum  
submissionis Regem oscularetur. Quod si à regia  
ad lyceum transire velis, & in hoc osculo sua vis, &  
authoritas. In cōferenda laurea doctorali, & nouel-  
lorum doctorum inauguratione, Academiae Prin-  
cipes dabant osculum, vt quam habebant in do-  
cendo authoritatem per osculum quodammodo  
transmitterent.

Neque mirum si ea legendi, docendique pote-  
stas ita diffundi potuit, cum & ipsa gratia quæ cœ-  
li quodammodo, beatæque æternitatis dos est, fe-  
menque gloriæ, sic possit participari. Certè quon-  
dam in consecrationibus Sacerdotum mystica fie-  
bat osculatio; & Episcopus Neomystæ incumbens,  
impertito osculo consecrationem perficiebat. Imò  
& ipse seruator optimus in discipulos insufflauit, &  
illo suo spiritu, benignaque ad osculum inclinatio-  
ne, Spiritum Sanctum, eiusque dona, ac charismata  
immisit, atque inspirauit.

Est deinde osculum symbolum honoris, testi-  
monium reuerentiæ, ac submissionis : quam vt  
prodamus, non ori tantum, sed & manibus, & ipsis  
vestibus osculum figimus. Vt sit illud professio que-  
dam excellentiæ, & auctoramentum seruitutis.

Ita

Ita quondam deuota, supplexque pœnitens Magdalena, ad Christi, Seruatoris sui pedes abiecta, eos osculabatur.

Ita Constantinus Imperator ab imperij culmine magnus, ab insigni pietate, ac demissione longè maximus, suauari solitus oculos, & cicatrices Confessorum: gestiebat nimirum vi amoris, religionis impete erumpere, & complecti inuictos illos Christi Heroas, fidei pugiles, & cum eorum virtute, ac pietate quodammodo coniungi, ac conglutinari, quod per osculum faciebat. Imò quod in antiquitate laudes, ac mireris, iam inde ab initio susceptæ fidei, Imperatores & Principes Episcopis aduentantibus osculum offerre soliti, eratque illud signum venerationis, quod à laicis exhibebatur.

Sic olim S. Ambrosius cum ad Maximum Legatione fungeretur, & ille in prætorio ad osculum assurrexisset. *Nolo, inquit Ambrosius, osculari ut Episcopus, qui in prætorio vocatus sum tanquam non Episcopus.* Sui semper similis magnus Præsul, memorque Pontificiæ dignitatis, ferebat ægrius se fuisse vocatum, cum in palatio honoratius de sua legatione cum Imperatore conferre potuisset.

Eandem animi libertatem, ordinisque sui sacram maiestatem multis post sæculis tenuit S. Hugo Lincolnensis Episcopus: cum enim Richardi Angliæ Regis offensam incurrisset, quod eius no-

326 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
mine pecuniam à populo colligi vetuiffet : nihil ta-  
men Regem veritus eum adiit, quem in facello do-  
mus regiaë ad altare conuerfum à tergo compel-  
lans, *da mihi*, inquit, *osculum*.

Hic primò stupor Regem inuasit, & magna sa-  
cræ libertatis admiratio ; deinde tanta Præfulis reue-  
rentia, & authoritas, ad debitæ submissionis officia,  
ad osculum induxit : inò & ad regias illas voces.  
*Si tales forent plerique Episcopi, Reges modestius a-*  
*cturos* : Nimirum infulæ, pedoq̃ue pastoralisua  
vis etiam ad commouendos, & subiugandos rebel-  
les animos ; maximè si virtus, constantia, & ardua  
quædam libertas accesserit. Sed institutum profe-  
quamur. Non enim solum honoris, ac veneratio-  
nis signum est osculum, verum etiam obedientiæ,  
debitæq̃ue submissionis.

Cum esset Pharaoni Iosephus carus in paucis, &  
Ægypto, summo cum imperio præficiendus : sic  
ad illum Pharao : *tu vero eris super domum meam,*  
*& ad tui oris imperium cunctus populus obediet* :  
Hebraicè *Iissac*, omnis populus ad ostium oscula-  
bitur, quod erat argumentum insignis obedientiæ,  
quæ Iosepho reddenda fuit, ex Pharaonis arbitrio.  
Ita quondam vates regius cum præfaga mente, en-  
theoq̃ue spiritu, iam inde à suis sæculis ætates lon-  
ge consequentes monere vellet, atq̃ue obtestari,  
vt Messiaë sese submitterent, illiq̃ue essent obedien-

res in paucis: his verbis, & hac adhortatione vsus. *Apprehendite disciplinam, in lingua sacra, osculamini filium, hoc est Dei filio, & Mellix, Seruatori vestro obaudite.* Ps. 2. v. 12.

Est & aliud ab osculo bonum: pignus quod-  
dam, & arrha data, atque acceptæ fidei, cuius vim,  
vinculaque sacratoria dum agnoscit Theodosius,  
statuit, vt si quæ à sponso, ante nuptias initas spon- L. 5. de spons.  
sæ facta sit donatio, ea valeat media ex parte, si ta-  
men adfuerit osculum; secus si defuerit, nihil vali-  
tura. Nimirum ab osculo fidei tessera, & sinceræ  
mentis nota firmatur contractus, & si non accesse-  
rit, infirmatur. Ad eandem osculo inditam legem  
pertinet illud, quod refert Zonaras in Concilio  
Trullensi: si quæ virgo post contracta iam sponsa- Can. 98.  
lia, à sponso osculum admiserit, habeatur vt adul-  
tera, si ad alium virum diuerterit, si aliò amores in-  
flexerit. Non esset autem adultera, neque rea haberi  
posset tantæ perfidiæ, nisi vel vno osculo fidem  
censeretur obligasse.

Postremum quod in osculo legimus est insigne  
pacis, & specimen amicitix singularis, à qua Hebræi  
cognatas, affines & aliquo sanguinis nexu sibi iun-  
ctas osculo salutabant: & Romanæ fœminæ pri-  
mis temporibus virorum frontes osculabantur. Vi-  
ris autem etiam datum illud, vt fœminis in ore os-  
culum figerent, maximè verò post latam legem  
de

328 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
de non bibendo vino, experiendi enim gratia an  
vinum bibissent, in osculo communicando, os ad  
os admouebant; hinc illud Arnobij. *Affinibus, &*  
*propinquis osculari eas fas est, vt sobrias comprobent.*

Arnobius  
l. 2. ad  
Gentes.

Sed nihil adeo pacem ostendit, ac probat, atque  
osculum, quod omnium prope gentium consuetu-  
dine, sensuque habitum est concordiae symbolum.

Tom. 10.  
serm.  
quodam  
de diuer-  
sis.

Ita, vt aduertit Augustinus. *Olim osculabantur se in-  
uicem Christiani in osculo sancto, quod est signum pa-  
cis, si quod ostendunt labia, fiat in conscientia, id est,  
si quomodo labia tua ad labia fratris accedunt, sic  
cor tuum à corde illius non recedat.*

L. 6. He-  
xam. c. 9.

Ab ingenito illo naturæ sensu, iudicioque om-  
nium nationum, factum vt Iudæ osculum, quod  
pacem præferre debuit, & bellum Seruatori intulit,  
appelletur à Sanctis Patribus *prodigium*. De illo sic  
Ambrosius. *Dominus velut prodigij genus in prodi-  
tore condemnans, ait. Iuda osculo filium hominis  
tradis? hoc est, caritatis insigne conuertis ad signum  
proditoris, & infidelitatis indicium? pacis hoc pigno-  
re vteris ad officium crudelitatis? bestiali igitur  
oris obsequio inferentem potius necem, quam charita-  
tis fœdera deferentem diuinæ arguit vocis oraculo.*

Eandem infandi Iudæ simulationem, peruersum  
atque inmitem animum detestatur D. Augusti-  
nus, & pio quodam concitatae orationis, irarumque  
æstu excîtus, exclamat. *O signum sacrilegum! ô pla-  
citum*

*citum fugiendum ! ubi ab osculo incipitur bellum, & per pacis indicium, pacis rumpitur Sacramentum.*  
 Ita sancti illi Præfules, sui orbis oculi, & gemina Ecclesiæ lumina in illud Iudæ osculum inuehuntur; ita etiam in illud declamauit Antiquitas non voce tantum, verborumque sono: sed & re ipsa, pioque instituto: vt enim mihi author est Tertulianus. Christiani olim in die Paschæ, id est Dominicæ Passionis, à pacis osculo abstinebant, in odium ac detestationem illius osculi, quo in solemni Iudæorum Paschate, à Iuda osculo proditus, hostibus, tormentis, infandæque cruci cesserat Saluator innocentissimus. *Die Paschæ, inquit, quo communis, & quasi publica ieiunij religio est, meritò deponimus osculum: & hoc quidem, interprete Pamelio, in odium, fugamque proditoris osculi.*

L. de o.  
rat. c. 14.

Ibidem.

His ita ex occulto naturæ genio, rationis sensu, ipsaque Antiquitatis fide constitutis; propius ad quæstionem mihi propositam accedo, & rationes inuestigo triplicis illius osculi, altaris, libri, & pacis.

RATIONES CVR SACERDOS ALTARI,  
 LIBRO, ET DIACONO OSCVLVM  
 PRÆBEAT.

**S**ancti Patres, qui sacrorum rituum obseruationes sunt, eorumque causas studiosa quadam, piaque indagine rimantur, censent osculum altari à ministro apprimi in signum venerationis: tum

T t

quia

330 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
quia eo clauduntur Diuorum reliquæ, spolia, &  
exuuiæ nobiles magnarum mentium, quæ modo  
in cœlis viuunt, regnantque euo beatiore: tum quia  
ipsum altare sacrum, Deo dicatum, & ipsius corpo-  
ris Christi sedes est, & veluti thalamus amoris; in  
quo cum genere nostro, pusillisque mortalibus,  
esse, deliciari, ac quiescere non dedignatur. Certè si  
de arca scriptæ illæ & probatæ regiæ Dauidis voces.  
*Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum  
est.* Si de Christi etiam Infantis præsepio id efferre,  
& posteris commendare sit ausus Nazianzenus.  
*Præsepe adora, nam quæ Deo oblata sunt, eius parti-  
cipatione, & contrectatione fiunt sancta:* Si inquam  
& de arca, & de præsepio ita magnificè locuti san-  
cti illi Heroes; si & illam, & hoc omni veneratione  
dignum censuere: quid de altari credis esse sentien-  
dum? hoc certè quod illi; venerandum, imò & a-  
dorandum osculo sacratiore; fuit osculum apud  
Hebræos, Græcos, Latinos signum adorationis, imò  
vox ipsa adorare ex eo deduci videtur; quod vene-  
rabundi osculum rebus imprimant, easque ad ora  
adducant: inde *adora*, quasi ad ora ductum. Sic  
Gentiles suis simulacris oscula dare si possent, sin-  
minus, manum exosculari: ita ij qui Solem Orien-  
tem pro Numine colebant, osculabantur manum  
suam: à quo ritu vt scelerato, & impio se liberum  
faciat Iobus, *si vidi*, inquebat, *Solem cum fulgeret,*  
¶

*Osculatus sum manum meam.* Ita Iacob emoriens C. 31. 7. adoravit fastigium *virga eius*, vel vt alij, *osculatus* 27. est; quod osculum adoratio quædam fuit, & eximij cultus significatio, quæ sacris aris impendi potest, etiam vel eo tantum, quod Christum referat, est enim ille *Petra*, & *Lapis angularis*, qui facit *utraque vnum*, & Iudæos, Gentilesque vno fidei, vno Missæ Sacramento nectit, ac sociat; imò humana diuinis, ima summis iungit, dum in vno personæ vinculo, diuinam naturam, cum humana copulat, atque maritat. Huius porro nexus, ac connubij memor, ac reuerens Sacerdos altari præbet osculum, eoque Deum hominem adorat.

Et hæc est ratio, quam etiam attigit D. Thomas, 3. p. q. 83. ar. 3. quo interprete, altare exosculatur Sacerdos: gratus pro illo amoris osculo, quo in Incarnatione verbum æternum, Dei filius naturam nostram sponsam sibi fecit. Quod si & illud velis, ac ames, ab altaris osculo recipi quodammodo & hauriri gratiam vberem, virtutum decora, prærogatiuam dignitatis, non ibo inficias, & lubens, volensque illud tibi concedam.

Si enim, vt censet Procopius: Saul ab vno Samuelis osculo Prophetiæ gratiam, donumque illud prælagæ mentis accepit: *osculatus est eum*, inquit, *ut gratiam que in ipso habitabat, ei communicaret.*

Si Iacob ab Isaaci parentis osculo iura primogeniti,

332 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
niti, in seipſe deduxit, ſi lauream & docendi autho-  
ritatem, ac pondus etiam ex eo deriuare Doctores  
nouelli, & melioris ſapientię candidati: quidni &  
ab ara principe, in qua ſedet, ac quieſcit, Chriſtus,  
Samuele ſanctior, Iſaaco ditior; ipſaſque Patris æter-  
ni ſapientia, quidni inquam & ab hoc, & ab illa  
copioſę gratię fluenta; cęleſtium opum torren-  
tes, ac maria ſapientię deducere poſſit? Poſte-  
nim uero ſi vel tantum auuerit ea quę in altari im-  
molatur uictima.

De arbit.  
interd. c.  
4.

Apud S.  
Cyprin.  
p. 400.

Sed ad oſculum libri tranſeamus, eſt illud inſigne  
quoddam, & argumentum reuerentię, ac honoris  
illius, quem ſacris paginis, & Scripturę oraculis Sa-  
cerdos exhibet: & iure ſanę meritiffimõ: ſi enim  
de Imperatorum ſanctiõibus pronuntiauit Am-  
broſius. *Velut diuinos adorari apices*: quid de Scri-  
pturarum codicibus, quę Dei ad nos litterę ſunt,  
& oracula de cęlo miſſa dicendum putas? ſi Ter-  
tullianus altiore ut ſolet ſtylo, eis *maieſtatem* tribuit,  
& verę quidem, ac ſapienter; ſi Lucius Epiſcopus in  
Concilio Carthaginenſi, ſacroque Patrum confeſ-  
ſu, cui interfuit B. Cyprianus, *Sancta, & adorabi-*  
*lia Scripturarum uerba* cenſuit: quid adeo mirum  
ſi pio Eccleſię inſtituto Sacerdos aris miniſtrans li-  
brum Euangelij dignatur oſculo? Certę ut à Iudęis  
aliquid ad rem noſtram mutuemur: eos conſtat  
ſacrorum librorum in paucis obſeruantes, ac reue-  
rentes

rentes fuisse : nimirum eos spiritus hauserant à Moïse, à sanctissimis illis Patriarchis, à quibus cum vita, & sanguine magnos de Scriptura sensus imbibierant. Et hinc apud eos ea bibliorum reuerentia, vt iuxta illa federe nefas ingens duceretur, & ea illotis manibus tractare magnum piaculum.

Quod si ea probè loti vsurpassent, honoris ergo in altum supra capita sua erigebant, vt seipfos, suaque omnia viderentur submisisse.

Ab illa Scripturæ sacræ authoritate, & insita quadam maiestate fluxit illa obseruantia, cultusque, quem sanctissimi quique ei tribuendum esse censuerunt.

D. Barnabas, & ipse Christi discipulus, Ecclesiæ columen, & facundus cœli orator : Euangelium Mathæi quod ipse sibi sua manu studiosè descripserat, in sinu gestare solitus : imò, & cum eo sepeliri voluit, vt idem tumulus & Apostolum, & Euangelium tegeret : rebatur nimirum vir sanctus ab Euangelio ne sibi quidem mortuo esse recedendum, qui ab eo in vita nunquam discessisset.

Eundem sacris litteris honorem, ac reuerentiam detulit S. Bonifacius Episcopus, & Martyr ; qui à virgine locuplete magni beneficij loco petijt, & impetrauit, vt sibi litteris aureis Beati Petri Apostoli litteræ describerentur *ob honorem, & reuerentiam* Tom. 2.  
*Scripturarum*, inquit Baronius.

T t 3

Denique

Denique ne in hoc argumento longior sim, nostra aetate S. Carolus Borromæus qui Scripturam sacram quam sæpius lectitabat: nunquam nisi nudo capite, flexoque genu euolebat: audiebat nimirum in ijs sibi loquentem Deum, & Prophetarum oracula, atque Apostolicæ vocis tonitrua excipiebat, non sine sacro horrore, ac reuerentia; cuius æmulus Sacerdos in augusto Missæ officio, osculo librum Euangelij donare consuevit.

Elabor ad postremum, quod in hoc argumento mihi propositum fuit, osculum, quod pacis appellamus. Originem illud habuit è familia Christi, in qua discipuli redites Magistro suo osculum offerre soliti, in pignus amoris, & insigne venerationis: hinc illæ querelæ & amica expostulatio Christi ad Simonem Phariseum: *Intraui in domum tuam, osculum mihi non dedisti*; de more scilicet meorum familiarium, ac domesticorum. Ex illo, Ecclesiæ pietatis amans, ac retinens, in sacris Missæ solemnij osculum offerri voluit. Ideoque Diaconus olim contenta voce clamabat. *Osculemur nos inuicem*. Ad ea verba, quasi data, acceptaque venia: viri viros, fœminæ fœminas osculabantur, vt mihi testis est Clemens Alexandrinus, qui osculum illud, *mysticum* appellat. D. Paulus, *sanctum: salutate*, in-  
L. 3. p. da c. 11.  
1. Cor. 16. L. 6. He-xam. c. 9.  
*quiebat, inuicem in osculo sancto*. D. Ambrosius, *pietatis, & caritatis pignus*.

Tertulia-

Tertulianus venerandæ antiquitatis obseruator,  
 & interpres, *osculum pacis, signaculum orationis*: quod De Orat.  
 à Sacerdote sacrificium immortalī Deo offerente c. 14.  
 primum ad Diaconum, & ab hoc ad alios longius  
 emanabat. In quo ritu doctè obseruat, Ioannes Be- De diu.  
 lethus antiquissimus Theologus Parisiensis: sacris offic. c.  
 operantem osculum accepisse primum ab ipsa 48.  
 sacrosancta Eucharistia, ac deinde alijs dedisse: vt sen-  
 tias vnde tibi, toti que populo amor, caritas, pax esset  
 alta, scilicet ab ipso Altaris Sacramento.

Ea basiorum in templis consuetudo non diu te-  
 nuit subeunte per osculum flagitio, imò duobus  
 scelerum monstris perfidia, & impudicitia, quibus  
 animi polluebantur. Hinc Ecclesia (quæ labentibus  
 annis, collapsa etiam filiorum suorum innoxia pie-  
 tate, prospectum voluit) osculum illud sustulit, &  
 tantum sacros inter Ministros seruandum esse exi-  
 stimauit.

## §. 5.

*De eleuatione manuum.*

**H**abet in hoc ritu, sacraque corporis compo-  
 sitione, quod arguat, & maledico dente ro-  
 dat Hæreticus, & Papistarum Sacerdotem gesticu-  
 latorem appellet: vt qui in Missa, velut in scena, co-  
 micum agere videatur: modo enim curuo corpo-  
 re sese in terram abijcit, modo sublimes oculos, ma-  
 nusque in cælum tollit, modo brachia diducit,  
 modo

336 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
inodo contrahit. Hæc è Lutheri, Caluiniq̃ue schola  
iactabat aliquis malè doctus à malo Magistro dis-  
cipulus, quem vt dedoceam, in illud incumbam, vt  
luce clarius appareat eleuationem manuum ( de  
qua mihi in præsentia disceptatio) cum natura, cum  
ratione, cum Antiquitate consentire.

Natura duce, ac magistra quisquis venerandum  
Numen adorat, supplices in cœlum manus attollit.  
*Habitus orantium hic est*, inquit Apuleius, *vt ma-  
nibus extensis ad cœlum precemur.*

Hæc ratio in oculis est, quod cœlum Dei fedes  
sit, patens, apertum, explicatum templum, quo  
proinde spectant, & tolluntur manus.

Hunc naturæ, ceu communis matris sensum  
probat, quod Romani ab eadem edocti pietatis si-  
mulacrum effinxerint, sublatis, & expansis in æthe-  
ra manibus. Quem ritum à Gentilibus seuerè ob-  
seruari voluit Constantinus etiam lata lege. Præ-  
scripsit enim vt Gentiles die Dominico feriantur,  
*Enseb. in* vota que sua exponerent eleuatis in cœlum mani-  
*Vit. c. 28.* bus, & animis: imò suam ipse imaginem eo habitu  
fingi voluit, & in posteros transmitti, vt directis in  
*Enseb. c.* sidera manibus, superis, Deoque supplex videretur  
*3.* Constantinus.

Pugnent ergo Hæretici cum Cæsarum statutis,  
ac decretis, pugnent cum recepto apud ipsos Genti-  
les more, pugnent cum natura: ita certe pugnare  
videntur,

videntur, modo Papistas impugnent. Sed expugnabunt nunquam, nisi & ipsam antiquitatem, quæ etiam barbaris venerationi esse solet, impugnent, atque expugnent.

Moyſes certè legitur orasse expansis in cœlum manibus; seu à Deo beneficium exposceret, seu in hostes iret, quod non semel miraculo probarunt superi. Iosephus Antiquitatum Iudaicarum scriptor illustris, existimat manna primum in manus orantis Moyſis incidisse; ita enim habet. *Dum Moyſes* L. 2. c. 3. *precabundus palmas attollit, ros de cœlo delabitur, qui cum manibus eius hærens concreuiſſet, suspicatus ille hanc alimoniam à Deo demitti, deguſtat, ac mox deguſtandum alijs offert, ut experti crederent.*

Fuit manna signum paternæ, diuinæque in Israëlem beneficentiæ, fuit naturæ prodigium, stuporis obiectum, & cœli benignioris miraculum, quod non incidit, nisi in manus sublimes, & elatas, à quibus in alta pace, armorumque silentio, israëli inuentum est annonæ subsidium. Vis in puluere martio, in bellico strepitu, hostes inter, & arma potens omninò præsidium? & illud offerunt elatæ in æthera palmæ.

Hebræas acies armata militum manu inuaserat Amalec, ne obrueret contra emittitur cum exigua turma Dux inuictus Iosue; Moyſes autem ex aduerso colle, non armis, sed oratione pugnat, leuat ad

Vu

superos

Exod. 17. v. 11. *superos manus, & mirum propitio Numine prodigium. Cum leuaret Moyses manus, vincebat Israël, sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.*

Hæc ubi spectarunt Aaron, & Hur, tantum esse momenti, ac ponderis in ea manuum eleuatione, vt si starent illæ, staret Israël; sin autem remitterentur, illico caderet, hostique cederet: hæc inquam, ubi spectarunt, tum inuito consilio, ne graues Moyses manus suapte mole deficerent, ac collaberentur. *Sumentes lapidem posuerunt subter eum, in quo sedit, Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex utraque parte, & factum est vt manus illius non lassarentur, vsque ad occasum solis, fugauitque Iosue Amalec, & populum eius in ore gladij.*

Hic sese in varias sententias spargunt Interpretes. Vna, ne hæc victoria Israël armis, ferroq; tribuenda videretur. Altera, vt eo symbolo vis orationum innotesceret. *Oratio enim, vt ait Augustinus, oranti est presidium, Deo sacrificium, Dæmoni flagellum.*

Sed cur Deus ter opt. ter max. qui animos altius aspectare solet, non actione, non gestu corporis moueri, pugnae momentum, ac victoriae pondus in eo posuisse videtur, si starent erectæ in cælum manus, sin autem concidissent, & vel suo, vel etiam virgæ pondere, in terram inclinassent, illico in hostem inclinaret victoria?

Respondet Tertulianus Moysen eo corporis habitu,

bitu, ea brachiorum extensione orantem, typum L. contra Marcionem c. 18. fuisse Christi in Cruce pendentis, ut iam inde à Cruce, à Christo ei affixo subsidium peteretur.

Alij volunt hoc signo indicari quis esset orantis animus, quæ contentio, quæ remissio, si enim collaberentur manus, vna etiam collabi videbatur orantis feruor, sin autem attolli, & erigi, etiam efferuescere, & inualescere deuotionis æstus.

Ego vero existimo fuisse ludum illum amabilem diuinæ prouidentia, quæ etiam tum ritum illum orandi probare voluit, & ostendere eo loci, ac temporis vel maximè conuenire.

Audiebatur tubæ clangor, strepebant tympana, Mars æstuabat, certabat Israël, certabat & Iosue, etiam oratione pugnare debuit ipse Moses; ea porrò manuum eleuatio pugnantis est, ac dimicantis; exhibet enim brachia in modum arcus extensa, è quibus in hostem euolent vindices sagittæ.

Ita quondam orauit, & pugnavit bonus Iacob, qui emoriens hæc Iosepho veluti tabulis vltimis legauit. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & in arcu meo.* Gen. 48. v. 22. Fuit illa pars ager in Sichem; sed nusquam cum Iacob, in gladio, & arcu sibi comparasse legitur, ideoque Chaldæus scitè vertit, *quam tuli in gladio, & arcu, id est in oratione, & precibus.* Iustis enim oratio gladius, est, & arcus.

Eo quondam vsus Dauid, dux omninò magnus.  
*Ps. 17. v. Posuisti, inquebat, ut arcum aureum brachia mea.*  
 55. Beatus Ephrem arcum illū esse credit extensa in o-  
 ratione brachia; *quoniam, inquit, in ea manus exten-*  
*dimus, & veluti sagittam in inimicum dirigimus.*

Sed & alia huius antiquæ consuetudinis est ratio,  
 quam paucis attingit Tertulianus, probatque qua a-  
 nimi fortitudine, quo robore debeat esse Christia-  
 nus, ac Sacerdos quisquis expansis manibus Deum  
 orat, eo scilicet vt in manibus Dei sit, ad omnia  
 promptus, seu prospera fluant, seu aduersa refluant,  
 ad omnes fortunæ casus, ad graua, acerba, funesta  
 religionis, cœlique causa toleranda. Hos animos,  
 inuictumque robur portendit ipse orantis habitus:  
 audi Tertulianum grandi vt solet cothurno insur-  
 gentem. *Paratus est, inquit, ad omne supplicium ipse*  
*In Apo- habitus orantis Christiani, quasi dicat orans, præsto*  
 10. c. 30. *sum, ne cte, aut plecte si vis, aut certè miserere.*

Ita, teste Prudentio, inclyti martyres cum ad car-  
 ceres, ad supplicia ducerentur, manus attollere soli-  
 ti, & expandere in formam Crucis, vt se ad Crucem,  
 & immania quamuis tormenta paratos, & expedi-  
 tos ostenderent.

De ex-  
 hort.  
 Martyr.  
 c. 8.

Huic affinem causam reddit Tertulianus, ait  
 enim Sacerdotem sæpius in Missa orare expansis in  
 Crucem manibus, vt hoc gestu corporis proteste-  
 tur se cultorem esse Crucis; & Crucifixi in paucis  
 aman-

amantem; & ab illo sperare omnia, eiusque merita, ac sanguinem per extremos cruciatus expressum ostentare æterno Patri; vt ab illo in nos effluat misericordia, vel vna obiecta Cruce, aut Crucifixi imagine.

Quod si ea ratio tibi mystica videtur, dic age cum Clemente Alexandrino, quod eleuatio manuum indicet, & mentem in oratione attolli oportere, parum enim est, si erigantur in cœlum manus, si interea temporis mens ipsa in terras deprimatur. *Caput, inquit, & manus in cœlum extendimus corpus à terra educere conantes, erectam, & eleuatam animam desiderio meliorum, cogimus in sancta progredi, magno animo corporis vinculum despicientes.*

Ad extremum pro coronide adijci potest, hæc ratio, vt & cor in cœlum abeat; & manus; id est opera, fundantur. Ita porrò puras, & multis meritis graues manus leuabat Dauid, cuius eæ voces testes animi. *Leuabo manus meas ad mandata tua que dilexi:* hæc etiam in bellico puluere, in aulae strepitu, in æstu negotiorum canebat Dauid: cuius æmuli omninò pauci; hoc enim orbe, quo volumur, quamplurimi in cœlum vocem eleuant, at minime manus explicant, & virtutum actus ad superiores emittunt, in quos certè verti potest illud Isaaci: *vox quidem vox est Iacob, manus autem, manus sunt Esau.* Ne tibi aliquando eæ sint; excipe quæ tibi Augustinus singulari vir pietate, & miranda eruditione

ps. 118. v. 48.



342 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
ditione magnus. *In manibus, inquit, opera debemus  
accipere: ergo talia sint opera, ut ea possis in altum,  
in conspectu Domini leuare, poteris autem si manus  
tua, id est actus tui, & conuersatio tua non sit in ter-  
ris, sed in caelo.*

Eiusmodi fuit olim Iosephi Abbatis, viricum  
Vit. Patr. Deo magnis omninò virtutibus copulati. Is cum  
expanderet in oratione manus, in caelumque at-  
tolleret, digiti eius videbantur velut decem lampa-  
des ignis, claro & mirifico splendore lucentes, ut in  
Patrum monumentis traditur.

Huic affine est illud, quod de Conrardo Egino-  
nis, quondam Abbate Villariensi, ac deinde Sanctæ  
Romanae Ecclesiae Cardinali, & Episcopo Portuen-  
si, referre solebat Guilielmus Abbas Villariensis.  
Hist. Leod. lib. 6. Cum accederet ille propius ad augustissimum Eu-  
charistiae Sacramentum, manusque de more, sacro-  
que ritu tolleret; tanto in illud ardore animi fere-  
batur, ut ignescere videretur. Certè digiti illi quibus  
sacrosanctam Hostiam sub sacrificium attrectari fas  
est, eâ luce radiare soliti, ut ad legendum, scriben-  
dumve, etiam obscura & intempesta nocte, lumi-  
ne alio opus non esset: quod ipsum & oculis hau-  
sisse se, & experientia didicisse, Cantipratano ipsi te-  
stis est Guilielmus Abbas, cuius supra memini.

His prodigijs pium Numen ostendere voluit,  
quam accepta sibi foret ea manuum eleuatio, si  
modo ad arduæ mentis eleuationem sequeretur.

## §. 6.

*De Sacerdotis inclinatione.*

**S**Citè quondam pronunciauit D. Cyprianus.  
*Placendum diuinis oculis etiam habitu corporis*: Serm. de Orat. Dom. 2.2.9.83. ar. 11.  
 cuius rationem è natura, ipsaque hominis molitione deducit Angelicus Doctor. Cum enim ille totus à Deo sit, necessum est vt totus etiam ei seruiat: cum & corpus diuina manu, meliore argilla, lutove compactum, & fictum sit; & mens altior inspirata diuino quodam afflatu, oportet, vt & corpus Deo, tanquam figulo, & mens eidem, vt auctori submitatur.

Signum autem huius submissionis est ipsa corporis inclinatio, cum qua sese inclinat animus tum ob sui despicientiam, tum ob honorem, ac reuerentiam supremi Numinis. Et illa naturæ nostræ compagem, figmentumque attingit ratio, hæc ad Deum pertinet.

Inclinauit cœlos Patris æterni filius, imo & maiestatem abiecit suam, descenditque formam humilis serui accipiens. Sacerdos, qui eo loci, ac temporis eum in terris refert, ideo sese inclinat, vt spectantium oculis obijciat speciem aliquam, & imaginem Dei sui, qui sese hominum amori, commodisque ita demisit, vt homo fieret. Et ista spectant ad supremi Numinis in mortale genus indulgentiam: hæc ad vberem

vberem

344 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
vberem sacrificij prouentum : surgit ille à radice  
humilitatis, cuius signum est ea corporis inclinatio,  
cum qua animus profunda quadam sui cognitione  
in seipse descendit, & nihilo sui, è quo prodiit, im-  
mergit, vt emergat altior. Et hoc quidem ex primo  
Christianæ legis præcepto, placitoque religionis,  
de quo scitè scripsit olim D. Augustinus ad Diosco-  
rum. *Vt olim Demosthenes ter rogatus quid præci-  
puum esset in oratoria facultate, ter respondit, actio-  
nem; ita si de præceptis Christianæ religionis rogare-  
tur, semper responsurum, humilitatem.*

Ep. 36.

L. 2. Ep.  
54.

Quod si ea humilitas, animique demissio, Chri-  
stiano cuique communis, Sacerdoti certè, maximè  
debet esse singularis. Vt enim D. Gregorius. *Sola  
humilitas est officij Sacerdotalis erectio.*

Quisquis aris assistit Sacerdos, est ille lux mun-  
di, ab illo surgit, & clarescit, virtutum, bonorum-  
que operum dies, dissipantur peccati tenebræ, nox  
ignorantiæ mundo incumbens fugatur, vtque fu-  
getur procul, & perennis sit vsura lucis, necessum  
est vt ille dies à vespere, hoc est ab humilitate sese  
terris ostendat.

Nos pusilli mortales cum dies censemus, initium  
ducimus à manè, contra Deus à vespere ordiendum  
esse docuit. Factum enim non sine Numine, suavi-  
que prouidentia, vt dies ille, qui primus orbi illuxit,  
Deique opera distinxit, inceperit à vespere: *factum  
est,*

est, inquit Scriptura, *vespere, & manè, dies vnus.* Gen. I. v.

Hinc incidit quæstio, cur author naturæ Deus, & magnus ille vniuersi parens computum dierum suorum à vespere exordiri velit?

Catharinus vt nodum illum dissoluat ex suo ingenio magis, quam ex veritate, vult solem primò productum in altero hemisphærio, opposito ei in quo prodierat Adam: sicque prima lux illi illuxit, cum Adamo esset alta nox. Verum vt hoc velit fidem non faciet: si enim Adamo vtpotè vniuersi Domino, adnata cætera, quidni & ipse sol, illorum oculus? & cœli gemma?

Credunt alij initium dierum sumi à vespere; quod vesper, & nox prior fuerit ipso manè, ipsa luce: censent enim fluxissè noctis horas omnino duodecim, quarum beneficio è nihilo vocatum cœlum, terra, & immensa aquarum abyssus: tum deinde successissè lucem, eamque duodecim etiam horas integrastenuissè; sicque ex nocte, & luce, ex vespere, & manè dies primus conflatus mortalibus oculis apparuit.

Ex illa persuasione manauit ille mos apud Iudæos, imò & Ecclesiam Romanam vt dies festi à vespera, ad vesperam celebrentur, appositè ad primam illam dierum institutionem.

Nonnulli etsi fateantur ante lucem præcessisse tenebras, *spiritus enim Domini ferebatur super a-*  
*X x* *quas,*

346 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
quas, & tenebræ erant super faciem abyssi: contem-  
dunt tamen illam caliginem abyfso fufam, sex tan-  
tum horis terram occupaffe: ac deinde amœnum  
solis iubar, fontemque luminis conditum esse in  
ipfo meridie, & quasi grandi iam, adultaque die.

Sed hîc non vertitur cardo meæ quæftionis, ne-  
que ea sententiarum inter fe pugna, & varijs argu-  
mentis hinc & inde difcuſſa veritas, lucem affert dif-  
ficultati, quam ad mores efformandos euoluo: ad  
illos mihi plus fatis ſi conceſſeris illud, initium ope-  
rum Domini datum in profunda nocte, denſiſſique  
tenebris; ſicque primum omninò diem à vespere  
cœpiſſe. Ex quo certe confici velim quatum Deum  
inter, & homines interſit, quod inter huius, illius-  
que conſilia, ac molitiones ſit interuallum.

Nos tricubitales homunculi, terræque ſarcina,  
ſi opera ducimus; ſi puſillo in orbe meditamur  
magna; lucem volumus, ſolem amamus, & noſtra  
luci, ſoli que obijcimus: vt ab illo pareant mortali-  
bus oculis, & malè niteant. Secus omninò Numen  
altiffimum, mundi rector, & arbiter, hic enim in  
obſcura nocte, inglorijs tenebris prima ducit rudi-  
menta mundi, & rerum maximarum initia moli-  
tur; vt vnus cœcæ noctis ymbra, tenebrarumque  
inuolucris opus omne ſuum obtegat, atque inuol-  
uat; doceatque etiam à nobis ſic velari oportere;  
præclaro fanè ſtudio demiffionis, & animi huma-  
na omnia infra ſe deſpicientis.

Et ista tibi à sole morum documenta : eadem etiam ab oculo parui mundi , id est tui corporis lucerna, & si voles altero sole : hoc enim suggerit Philosophorum lycæum, & medicorum affirmat schola ; pupillam oculi , quò nigrior fuerit , eò acutius obiecta reddere ; eòque melius, quò profundior.

Quisquis es Sacerdos , es Ecclesiæ, quod vniuerso sol, quod oculus corpori : ideoque quo à tui contemptu nigrior , quo ab humilitate fueris profundior, eò aptior regendo magno corpori, id est Ecclesiæ. Ad hanc porrò profunditatem te ducit ea corporis inclinatio, quam inter sacra vsurpare soles ; si modò illa animi inclinationem vt debet , etiam exprimat.

## CAPVT IX.

*De Cæremonijs Missæ ; ijs maximè, quæ  
verbis exprimentur.*

**D**ixit olim , & scitè quidem Orator Romanus ne histrio videat in scena, quod non videat sapiens in vita. Ille vt auditorum oculis, auribusque seruiat, eius mores, geniumque induere solet , cuius personam in scena sumpserit exhibendam. Si Regem ille e mentito ad tempus habitu, assumpta purpura, sceproque defert in theatrum, Regis ora, vultus, oculos, frontem ostentare nititur , & licet è vili

348 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
luto, agrestique casa, prognatus sit; se tamen ipse  
superat; vt Cræsum, vt Alexandrum, vt Cæsarem  
præstet. Tu verò quisquis es altissimi Sacerdos, non  
dico Regis, non Cræsi, non Alexandri, aut Cæsaris  
alicuius: sed Christi Seruatoris personam in sacra  
templorum adyta inferis, atque importas, vide qua  
corporis compositione, quo oris nitore, qua frontis  
elegancia, quo deuotæ mentis apparatu. Theatrum  
ingrederis nobile, augustumque proscenium, in  
quo non mortale tantum genus, sed immortales  
assistunt genij, & te ipsum à capite ad calcem ex-  
plorant, rimantur omnes animi latebras, voces ex-  
cipiunt, & oracula sacrificantis, gestusque omnes  
obseruant: vide ne quid in his leuiusculum, in illis  
disonum sit à persona quam sustines.

Ne porrò sit; patris explicabo, nonnulla verba,  
sacrasque orationes, quibus inter augusta Missæ  
mysteria vteris, in illis enim potissima pars actionis  
illius videtur esse reposita.

§. P R I M V S.

*De Introitu.*

**D**E Nomine prima instituetur quæstio, tum  
altera de re, tum denique alia de authore, si-  
neque; quem sibi Sancta Mater Ecclesia præfigen-  
dum putauit.

Ille Introitus ab introeundo dictus has potissimum

ob

ob causas. Sacerdotibus antiquæ legis, è vestis ora pende-  
 bat series tintinnabulorum, quorum tinnitu, sonoque monebatur  
 populus, quod iam sanctuarium subiret Sacerdos, cui etiam animos,  
 piæque vota conferre iuebatur; sicque hac ratione ad sacra  
 vocabatur tota concio, quæ conuenerat. In noua lege alia,  
 atque alia ratio fuit.

Primum enim in veterum monumentis lego populum ad sacra  
 Missarum solemnities euocatum humana voce, validoque clamore,  
 tum deinde quasi festiuo tubarum clangore; tum denique sonoro  
 campanarum ære, pulsuque, quorum primus author fuisse creditur  
 S. Paulinus, Nolæ Episcopus, & inde campana dicta est Nola,  
 ut vel suo nomine, locum sibi veluti natalem proderet, atque  
 commendaret. Vbi verò populus in veneranda templorum adyta  
 sic est accitus; ut etiam de propinquo officij sui moneatur,  
 è choro Clerus omnis, alta, concinnaque voce sacrum carmen  
 accinit, ut ex eo doceantur Christiani sese componere ad  
 singularem quandam in superos pietatem, & hinc à nonnullis  
 Introitum dici placuit, quod tum populus, qui in primis  
 herebat adytis, in Sancta Sanctorum euocetur; atque introeat.

Et ista de nomine quaestio, ad rem ipsam venio; constat  
 Introitus antiphona, & versu, plerumque è Psalmis petito,  
 vnde enim potius? sunt Psalmi diues,

350 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
diues, & opulenta affectionum omnium officina,  
continentque eximia quædam pietatis incitamen-  
ta; ideoque à Radulpho rectè componuntur cum

Prop. 9. manna, quia vt in hoc omnis erat ciborum sapor,  
suauitas omnis, & innoxia gulæ irritamenta: ita &  
in Psalmis gustus quidam insidet, & sapor diuinorum.

De authore Introitus sua quoque inter Docto-  
res controuersia.

Dur. l. 4. Theologum legi, qui dicat olim ante Missam  
de diu. cantari solitos Dauidis Psalmos centum quinquaginta,  
off. c. 5. ginta, non vna vt opinor orationis serie, vocisq; tra-  
ctu (is enim in longum abiisset, etiam forte plus  
quam ratio temporis, & pietatis æstus ferre po-  
tuisset:) sed quod verò similis est, alios, atque alios:  
sic vt aliquot Missarum lapsu totum Psalterium  
decurreretur.

L. de diu. lam, normamque reuocata à Cælestino Papa, vt  
Offic. c. credit Alcuinus, qui eum Pontificem authorem fa-  
quid sig. cit illius, quod Introitum appellamus.  
vestim.

Priusquam id è sede Petri statuisset summus Ec-  
clesiæ Præsul. Missæ primum prælegebatur Episto-  
la Pauli, tum Euangelium. Imò D. Gregorius cre-  
dit, sub initia surgentis Ecclesiæ, Apostolos oratio-  
nem Dominicam tantum adhibuisse.

L. d. Eccl. Malunt tamen alij introitum è Psalmis petitum  
Hier. c. 3. ad ipsa Apostolorum tempora reuocare: certè ma-  
gnus

gnus Dionysius Apostolis coetaneus meminit Psalmorum, qui sub initium Missæ prælegebantur. Et ista ad Authorem attinent.

Venio ad finem & scopum, quo collimauit Ecclesia, dum Sacerdos ad aras introit, Christumque exhibet Sacerdotem in æternum, qui è sinu Patris, seu diuino quodam sacrario egressus est, vt seipse hostiam offerret pro salute generis nostri: sic introeuntem voce, cantuque sequitur chorus omnis, & pios versiculos iterum, iterumque repetit, ac geminat.

Ea geminatio ostendit, quæ fuerint olim suspiria, qui gemitus Prophetarum, & Sanctorum Patrum, qui è longa illa, tristicique nocte, è limbi claustris, ac repagulis, validos in cœlum clamores emittebant; vt ex ijs tandem aliquando Dei Filium euocarent, atque excirent. Et hæc dicta velim;

Primum vt Sacerdoti ad altare introeunti succurrat animo, cuius ipse personam sustineat, cuius gesta, vitamque exprimat. Christum exhibet, quem Pater æternus introduxit in orbem terræ, & dixit: *adorent eum omnes Angeli eius*: quanta in eo dignitas; maiestas quanta! Christum ostentat Seruatorem generis nostri, qui ad aras, ad Crucem ascendit, vt in eo salutis nostræ cadat victima: quantus in eo amor est, quam effusa caritas. Et hæc tum temporis Sacerdoti iniici debent cogitationes, vt supparet Saluatori

Saluatori

352 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
Saluatori animos induat; eaque se sistat; quae ille  
quondam caritate, & animorum zelo,

§. 2.

*De Psalmo Iudica, & Confessione generali  
Sacerdotis.*

*Ps. 42.*  
*C. 6.*  
*Cassiod. l. 10. c. 9.*  
**A** Signo Crucis exorsus Sacerdos alterna voce,  
cum Ministro legit Psalmum *Iudica me  
Deus*. Mos ille Psalmos, & Antiphonas alternis  
versibus decurrendi manauit primum è caelo. Isaia  
enim reclusum illud cum esset obiecta visio duo-  
rum Seraphinorum, qui clamabant alter ad alte-  
rum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exer-  
cituum*. Ab illa caelesti vocum alternatione in ter-  
ras emissus Antiphonarum vsus, quarum author S.  
Ignatius, eas Ecclesiae Antiochenae tradidit, æmula-  
tione quadam cum Angelorum concentu; quos  
alterna vocum modulatione Sanctissimam Trini-  
tatem laudare audierat.

In hoc porrò Dauidis carmine, metroque sacra-  
tione, tria ab immortali Deo postulat Sacerdos,  
priusquam ad aras gradum faciat.

Primum discerni de gente non sancta, & profa-  
na; procul enim à sacris este profani.

Tum deinde affulgere sibi radium aliquem diui-  
nae lucis, ac veritatis.

Tum denique Prophetarum more duci, admit-  
ti que

tiq̄ue in montem sanctum, in cœlestem Ierusalem,  
in qua omnibus incessat lætitijs.

Hæc vbi Dauidica voce peregit, tum delabitur  
ad confessionem generalem, vt ab omni peccati  
næuo liber, ad sacra Missarum solemnia propius  
accedat. Huius confessionis author dicitur Pontia-  
nus, qui centum quinquaginta annis ante Dama-  
sum Papam vixisse legitur.

Valet ea confessio, tum ad peccatorum omnium  
detestationem, tum etiam ad remissionem venia-  
lium, de qua agitari solet inter Theologos quæstio.  
An ea confessio à Sacerdote facta, remittat peccata  
venialia non tantum ex opere operantis, vt coniun-  
cta cum odio, fugaq̄ue commissi sceleris, pioq̄ue  
motu pœnitentis, verum etiam ex opere operato.

Doctores Scholastici hic discedunt, trahuntur-  
q̄ue in duas sententias; quas priusquam euoluam,  
ex communi scholæ sensu, & Theologiæ placitis  
id statuo, esse in Ecclesia, tum Sacramenta, tum e-  
tiam ea quæ dicuntur & sunt Sacramentalia; inter  
quæ magnum omninò discrimen.

Primum enim Sacramenta à Christo instituta,  
eum vnum authorem agnoscunt, & amant; Sacra-  
mentalibus verò Ecclesiastica autoritate excitari pos-  
sunt, virtute clauium, quas Ecclesiæ suæ reliquit  
Seruator optimus.

Alterum, in quo ab inuicem distant est illud,  
quod

Yy

quod

354 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
quod Sacramenta sint veluti vasa gratiæ, eamque  
conferant ex opere operato; sint remedia peccato-  
rum mortalium, quæ nunquam delent sine infu-  
sione gratiæ; est enim ea peccato letali necessitas  
imposita, vt nunquam extirpetur, nisi cœleste, ac  
diuinum gratiæ germen inseratur. At verò Sacra-  
mentalia sunt remedia peccatorum venialium, ea-  
que tollunt, etiam sine aliqua gratiæ communionem.

His ita ex veritate constitutis, ad quæstionem  
meam redeo, eique paucis facio satis, & primum  
quidem illud conficio, quod extra litem, & con-  
trouersiam est, Sacramentalia ex Christi beneplaci-  
to, Ecclesiæque institutione, virtute clauium, delere  
peccata venialia, eiusmodi sunt aqua lustralis, bene-  
dictio Episcopalis, & similes actus quos Theologi  
recensent.

Alterum inter Sacramentalia reponi posse con-  
fessionem generalem, & quod inde consequens  
est, peccata venialia relaxare, vt cum Theologis lo-  
quar, ex opere operato.

Pro hac sententia præsidium peto ex Canone de  
quotidianis, distinctione tertia de pœnitentia, vbi  
ea vis confessioni, quæ inter sacra Missarum solem-  
nia fit, attribui videtur.

Tom. 3.  
tit. 4. c.  
68. re-  
lect. de  
Sacram.  
p. 1. ad 6.

Accedunt, & pondus addunt huic meæ assertio-  
ni Theologi magni nominis. Waldensis, Melchior  
Canus, Maior, Victor. Sotus, Valentia, alijque quam  
plurimi,

plurimi, quorum sententiæ subscribere in præsen-  
tia magis pium, & excitandæ deuotioni opportu-  
num videtur. Scio alios contra sentire, & loqui, &  
in hac materia vt in alijs plerisque esse Doctorum  
inter se pugnam: ego in ea, dum adhuc res est sub  
dubio, illa sequor, & amo, quæ magis fauent pietati.

Quod si in eam opinionem te non inclinât ea  
virorum magnorum authoritas: fortè adducet v-  
berimus ab illa confessione prouentus.

Narrat Cæsarius Petrum religiosum adhuc iu-  
uenem & in primo ætatis æstu, dum Villariensi  
Abbati Missæ ministraret, & confessionis generalis  
formam decurrisset, absolutionemque excepisset,  
audisse hanc è cælo vocem, & hoc oraculum Dei  
miserantis. *Dimissa sunt peccata tua.*

Potuit equidem non diffiteor, accessisse dolor  
aliquis pœnitentis animæ, qui maculas illas elueret;  
at etiam potuit non accessisse, & vni confessioni  
vim eam omnem reliquisse.

## §. 3.

*De Versiculo: Gloria Patri, & Filio, &  
Spiritu Sancto.*

**D**E hoc versiculo, vna, alterave succurrit quæ-  
stio, quis nimirum illius author, & quæ ra-  
tio institutionis.

De authore non conuenit inter antiquos. Al-

Y y 2

cuinus,

L. de diu. Offic. l. 4. ration. c. 5.  
 L. 2. de diu. offic. c. 11.

cuius, & Durandus credunt versiculum illum à D. Hieronymo compositum.

Hugo de S. Victore censet editum à Concilio Nicæno, & toto Oriente, Occidente, & Africa diffusum.

Referunt alij ad tempora Constantij Imperatoris Ariani, sub quo vigeat ea hæresis, quæ & Filio, & Spiritui Sancto Diuinitatem per summum nefas adimebat: aiebatque Filium cum Patre esse quidem *ὁμοιούσιον*, id est similis substantiæ, non autem *ὁμόσιον*, hoc est eiusdem. Ita tum temporis orbis vniuersus ferè in duas sectas discessit. Vna Ariatorum fuit, altera Catholicorum. Vt hi fidem suam proderent, ad calcem singulorum Psalmorum addebant solemne illud, & diuinum acroama; *Gloria Patri, & Filio: & Spiritui Sancto.*

Contra vero Ariani, vt perfidiam suam testarentur, addere soliti *gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*. Ita Ariano more, id est hæreticè, & perfidè. Eadem quoque veræ fidei, formæque corruptela in baptismi formam euasit. Catholici enim dicebant. *Ego te baptiso in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Ariani contra. *Ego te baptiso in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto*. Quam formam

L. 2. Col. lect. circa Annum 500.  
 etiam miraculo damnarunt superi. Vt enim refert Theodorus Lector cum Deuterius Episcopus Arianus, baptisare vellet quendam, cui nomen erat *Barbas*

bas, spretaque forma Catholica, erupisset in eas voces: *In nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto*; derepentè è manibus, ex oculis euauit aqua baptismo parata, & infusa. Diceres aquæ elementum, quamuis expers sensus, ac vitæ sensisse tamen formam hæreticam, eamque damnasse. Adeo non superis modo, & hominibus ea fuit odiosa, sed & ipsi aquæ elemento inuisa, quod tantæ impietati, impuroque lauacro subseruire recusauit.

Hoc miraculum vbi sensit, viditque *Barbas*, adhuc Catechumenus, ab impijs Arii castris, ad Catholicos transfijt, miraculum vulgauit, & sacro ritu, formaque Ecclesiæ consueta baptismo probè tinctus. Sed ab illo redeo ad sacrum illud epinicium. *Gloria Patri, & Filio: & Spiritui Sancto*. Inuenitur etiam illud in Liturgijs D. Iacobi, & D. Marci; ex quibus liquido constat, iam inde ab Apostolis vsurpatum, cum aliquo tamen discrimine: nam apud Iacobum dicitur *Gloria Patri, & Filio: & Spiritui Sancto nunc, & semper in secula*.

Statutum deinde à Concilio Romano sub Da-<sup>Anno</sup>maso Papa, vt ille ipse versiculus ad calcem singu-<sup>382.</sup>lorum Psalmorum pro coronide adderetur. Vtque in eo legas, quis fuerit sensus antiquitatis, quæ Maiorum nostrorum pietas ac religio; noueris inualuisse quondam inter Monachos illam consuetudinem; vt ille ipse versiculus esset pro forma salutationis.

358 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
lutationis. Si enim alter alteri de via occurrisset, di-  
cere solitus. *Ora Pater*, tum ille quasi dicto audiens,  
subijcere: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*;  
quem orandi, salutandi que ritum vt probarunt vel  
maximè superi, ita & inferi improbarunt.

C. 119. Narrat Sophronius in Prato spirituali, Dæmo-  
nem olim in habitu Monachi sese Eusebio Abba-  
ti exhibuisse. Hic eum è veste Monachum credens,  
de more dixit illi: *ora Pater*. Tum malus genius  
vt parere videretur, nescio quid insulsum submur-  
murans, & maledico dente mandens, ad extremum  
adiecit illud, *sicut erat in principio, & nunc, & sem-*  
*per*. Cui Eusebius proposititenax, pij que instituti  
retinens, illicò præposuit illud, quod præposuisse  
iam oportuerat. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui*  
*Sancto*. Non tulit eas voces infelix Dæmon, diceres  
ijs quasi fulmine percuti, & in tartara adigi, ita e-  
nim subito ex oculis abiit.

Sed hæctenus de authore, insita que ei versiculo  
religione; rationem, causam que institutionis ver-  
bulo subnectamus. Hæc inter alias prima, prin-  
cipis que fuit, vt esset quasi publica, ac solemnis pro-  
fessio fidei nostræ, & veluti tessera, qua Catholici  
ab hæreticis discerni possent. Videbant enim maio-  
res nostri pro indita sibi à Deo luce, lapsu temporis,  
& sæculorum fore, vt contra hoc Sanctissimæ Tri-  
nitatis mysterium, tanquam caput, arcem que reli-  
gionis

gionis nostræ, enascerentur variæ hæreses, quasi totidem Hydræ, & immania monstra, quæ vt præscinderent, extulerunt augustum illud diuinæ Triadepiniciam. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*

## §. 4.

*De sacris illis vocibus Kyrie eleison,  
Christe eleison.*

**A**B introitu Missæ, & cornu Epistolæ deflectit Sacerdos ad medium altaris, ibique stans & in cælum erectus emittit illas supplicis animi voces, *Kyrie eleison*, quas enim potius? pro se, pro populo orator ascendit, vt redeat exorator, à diuina misericordia initium ducit: ab illa quippe omnis boni principium.

De hac oratione suboritur primum quæstio, quis illius author? tum cur Græca lingua? cur eo numero? tum denique quæ illius vis, vt benigna in nos, & prona sit superum, Dei que inclinatio?

Durandus censet solemnnes illas voces *Kyrie eleison* inuentas esse, & Missæ insertas à D. Gregorio: ex vero tamen nec eas inuenit, nec instituit: sed cum lapsu temporis, ac pietatis in dissuetudinem abiissent, pro cura Pastoralis reuocauit, & fortè vt nouies diceretur pro sua pietate decreuit. L. 4. c. 12.

Sotus existimat eam supplicationem à S. Siluestro à Græcis sumptam, & ad Latinos translata. L. 4. sent. d. 13. q. 2. ar. 4.

Verius

Verius alij, eas voces iam inde ab Apostolis vsurpari solitas, vt videre est in liturgijs Diuorum Iacobi, & Marci; ex quibus intelliges morem illum, modumque supplicandi, fuisse perantiquum.

Sed cur inquires Græca voce? cur non potius Latina, vt alijs Missæ orationibus consonarent?

Ep. 178. D. Augustinus Græcas voces ideo retentas ait, vt qua Latinos, qua Græcos vnum esse Dei populum fateremur, vt vnius fidei, vti & vocis debere esse communionem. Habet nimirum illud Christiana humilitas, & linguas, & animos vno caritatis vinculo nectit, ac maritat. Ita cum terra esset innoxia, erat ( vt Scripturæ verbis vtar ) *labij vnius*; ad eam ætatem te reuocat pia Mater Ecclesia, amatque vt fideles sui idem & sentiant, & loquantur.

l. 6. c. vi. Isidorus id factum ait amore venerandæ antiquitatis, quæ primum eas voces vsurpauit, & quarum retinentes posteri esse debuerunt.

Can. Iacob. de consec. d. 1. Turcremata, quod inter Gentiles, Græci omnium primi fidem admiserint, imò è Græcia Ecclesiæ principes Petrus, ac Paulus Romam aduenerint, vt ad Latinos quoque eadem religio transferretur; vt iret in posteros omnes, à Græcis ad Latinos transisse fidei lucem, solemnem illam orationem in acceptæ religionis tesseram, in monumentum, æternamque beneficij memoriam retineri placuit.

Visum alijs datum illud sapientiæ, quæ tum temporis

temporis apud Græcos florebat quam maximè; erat enim ea præcatio testis & index altioris sapientiæ, quæ diuinæ miserationi se, suaque submittit. Et hæc pro Græco idiomate; quæ subiungam pro numero militant.

Iteratur nouies ea oratio, tum *Kyrie eleison* tum *Christe eleison*, quæ causa? Dixit olim ex antiquis nonnemo Deum opt. max. calculorum numeris delectari, alius: numero Deus impare gaudet, sed cur nouenario?

Puillus homo, terræ puluis, & fugacis æui ludus in æternitate ascribi rogat, & associari nouem ordinibus Angelorum, opus illud nec indulgentis naturæ esse potest, nec vindicis iustitiæ, ideoque misericordiam appellat; nouiesque geminat easdem ferè voces, vt à nouem beatarum mentium ordinibus ad ipsius supremi Numinis aures appellet ea supplex oratio: Domine miserere, Christe miserere.

Obnoxius est homo (quæ immanis eius est miseria) obnoxius, inquam, ignorantia, culpæ & pœnæ, vt ea à suo capite, à suis ceruicibus amoueat, cœlum suspicit, misericordiam inclamat, & ter singulas personas Sanctissimæ Trinitatis appellat. Nimirum quisquis vel vni peccato mortali sese inclinat, in Deum erigit, Patrem petit, Filio insultat, Spiritui Sancto illudit; eoque dignus est qui ingenti supplicij mole obruatur, penitusque perdatur.

362 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
Ne porrò ita malè pereat, quamdiu breues huius  
mortalis vitæ conceduntur induciæ, ter Patrem, ter  
Filium, ter Spiritum Sanctum compellet, & inge-  
minet augustum *Kyrie Domine*, & hoc amabile  
*Christe*, vt à Domino seruus, à Christo Christianus  
audiatur, & misericordiam cælo propitio conse-  
quatur.

Ab illa etiam liber esse volet à nouem peccato-  
rum generibus, ceu totidem naturæ, stygisque mon-  
stris, quibus impetitur. Est enim peccatum origi-  
nale, veniale, mortale, est peccatum cogitationis,  
locutionis, operis; est scelus in quod humana fra-  
gilitas inclinatur, est aliud, in quod cæca deuoluitur  
simplicitas; est denique & aliud, in quod sua spon-  
te ruit malitia: ab his, & ab illis omnibus liberari  
cupit Sacerdos, ideoque nouies repetit easdem vo-  
ces *Kyrie eleison*, & velut nouem tela in hostem  
intorquet.

Ne mirere quod appellem tela, vt enim in his  
militare robur, ita & in illis vis elucet Christiana.  
Demus eiusce rei argumentum ex historijs, vete-  
rumque monumentis petitur: maior fides est re-  
bus, quam verbis.

Si Rabbinis credimus, vbi Salomon absoluit au-  
gustam illam templi molem stata die, cum ingenti  
populi concursu, procerumque corona, ad eam læ-  
tus, alacerque perrexit; verum inexpectato prodigio  
terratus,

territus, & subsistere coactus; derepentè enim templi valvæ, quæ prius explicatæ erant, & patentés, ita penitus occlusæ, & ex oculis propè subductæ, vt nemo vnus omnium videre posset, qua in sacram ædem daretur aditus. Id prodigium primò attonitos habuit, deinde ad preces exciuit pro placando Numine si fortè subiratum foret. Preces porrò fuere per nomen Dauid; *memento*, inquebat Salomon, *Domine Dauid*. Ad eas voces subito apertæ valvæ, obuiusque apparuit aditus: crederes Dauidis nomen Salomoni, populoque pro clavi fuisse, & verè, re etiam ipsa fuit.

Quod Salomoni Dauidis nomen, hoc magno Basilio fuere duæ vocolæ, *Kyrie eleison*, quas cum expressisset pius Præsul, portæ Ticinæ Ecclesiæ, quæ prius arctè clausæ, nemine manum admouente apertæ sunt. Et hinc in toga, & pace ab illis vocibus præsidium. Vis in fago, & Martio puluere? illud tibi dabit S. Geminianus sua ipse experientia, bonoque edoctus. Dur. 1. 4.  
c. 12.

Mutinæ Ciuitati imminebat Attila, vulgo *Dei flagellum*, ingens erat exercitus, immanes copiæ, barbarus furor, cui impar vis omnis videbatur. Vbi humana defunt, ad diuina confugere virtus docet, & certè confugit S. Præsul pro suo grege pie sollicitus: elataque mente protulit supplices illas voces *Kyrie eleison*. Et ecce mirum dictu, visuque omnes

364 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
illæ copiæ, quæ iam ciuium ceruicibus incumbere,  
quæ mœnibus insidere videbantur, in fugam  
actæ sunt: diceres aduerso hoste premi, à tergo vr-  
geri, & immensa telorum nube peti, atque opprimi.  
Nimirum pro hoste, pro telo fuere duæ vocolæ  
*Kyrie eleison*, quæ omnes barbarorum conatus irri-  
tos fecere, omnem impetum fregere.

Theo-  
phil. l. 16.

Nec adeo mirum, cum & ipsa elementa domer  
eadem vis orationis. Iustiniani tempore repentino  
terræ motu euerfa fuit Antiochia, qui à ruinis reli-  
qui fuere ciues, nudis pedibus precabundi processe-  
re, acclamantes illud in miserijs vulgatum, ac so-  
lemne, *Kyrie eleison*. Vix ea vox in cœlo euaserat,  
cum diuino oraculo moniti sunt, vt domorum re-  
lictarum superliminaribus inscriberent *Christus no-  
biscum, state*. Legerunt superi vindices has miseri-  
cordiæ notas, hos amoris typos, hanc tesseram pacati  
Numinis, & in miseros mortales sæuire desierunt.

S. 5.

De hymno: *gloria in altissimis Deo, & in terra  
pax hominibus*. Luc. 2.

S Acer ille Ecclesiæ hymnus in duas omnino  
partes abiit. Vna è cœlo petita authores habuit  
Angelos, cœlestes illas intelligentias, beatos spiri-  
tus, qui nascenti Christo augustum illud accinue-  
runt acroama. *Gloria in altissimis Deo, & in terra  
pax hominibus*.

Altera pars è terris ducta hominum opus fuit.  
Quorum autem, sua inter antiquos super care lis  
est, ac contentio.

Sunt qui authorem faciant Symmachum. Ascri- Microl. c.  
bunt alij S. Hilario Pictaviensi Episcopo. 46.

Authorem alij volunt fuisse Telesphorum. Alcuin. l.

Alij ab Ecclesiasticis Doctoribus compositum, de celeb.

ne vni cuiquam ea laus tribuatur in re ancipiti, &  
dubia: ita censuit Toleranum Concilium. Ut vt sit,  
ex illa sententiarum pugna, scriptorumque inter 111.

se dissensione satis liquet, eam in occulto esse. Hoc  
tamen in aperto est: in Liturgia D. Iacobi tantum  
exprimi eam partem, quæ ab Angelis composita, &  
expresâ; cui aliam addidit Ecclesia, vt tota iret in  
Dei laudes: quidni enim tota? *Cum laudatis Deum,* In ps.  
inquit Augustinus, *toti laudate, cantet vox, cantet* 148.  
*vita, cantent facta, Deum toti laudate.*

Ne omnes illius hymni partes sequar, paululum  
harebo in ea. *Et in terra pax hominibus;* pax, in-  
quam, cum seipsis, pax cum Deo, ter optimo, ter  
maximo. Illa ducitur à conscientia, cui est benè,  
cum à pravis affectionibus sua quies conceditur.

Conscientiam Hebræi dixerunt, *Leb*, id est, *cor*,  
quod magna sit cordis, & conscientia cognatio, at-  
que affinitas. Est cor vt caloris, ita & affectionum  
prope omnium officina; hinc ab illo micationes  
arteriarum, venarumque pulsus, index benè, aut

366 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
malè affecti corporis. Sic à conscientia ceu passio-  
num omnium indice ; panduntur omnes animi  
motus, ijque alij, atque alij. Si enim ea pacata sit, &  
tranquilla, ab ea spes enascitur, gaudium, & lætitia:  
sin autem à scelere turbida, & euerfa ; tum infœlici  
animæ insultat timor, pudor obruit, enecat ingens  
mœroris, ac tristitiæ vis, & acre domi bellum est:  
qui illud oderit, ac pacem amarit, necessum est, vt  
ille conscientia suæ consulat, eamque à noxa libe-  
ram seruet: tum ei à cœlo pax, quia vt ait Ambro-  
sius: *Vbi Domini gratia, ibi debet esse pax Domini.*  
Et hæc in præsentia sufficiat attigisse: cætera eius-  
dem hymni verba omitto, quia pro se satis illa lo-  
quuntur, & seipsa explicant.

§. 6.

*De solempni illa salutatione: Dominus  
vobiscum.*

**S**acerdos ad populum versus, cum sacris ipse ver-  
bis salutat, precaturque quam optimè: *Dominus  
vobiscum.* Est ea salutatio è Scriptura petita, & à vi-  
ris sanctis, beatisque spiritibus vsurpata.

*Judic. 6.* Ita quondam Angelus Gedeonem virorum for-  
tissimum legitur salutasse. *Dominus tecum virorum  
fortissime.*

*Ruth. 2.* Ita Booz messoribus adulta iam die, & imminen-  
te altius solis æstu benè precatus: *Dominus vobiscum.*

Ita

Ita Prophetæ magni, victori Afa, eiusque exercitui iam laureato accinere cœperunt, & lætum illud acroama. *Dominus vobiscum; quia fuistis cum eo.* L. 2. paraliq. c. 15.

Ita denique Gabriel, cœlestis ille paranympus Beatam Virginem auditus est compellasse. *Aue gratia plena: Dominus tecum:* & ab illa salutatione prima duci cœperunt salutis nostræ rudimenta. Luc. 1.

Ab illo Scripturæ ritu, cœlique genio factum est, vt hæc ipsa salutio adhiberi sit solita etiam ab Apostolis, qui populo ita bene apprecati: *Dominus vobiscum:* non intima tantum præsentia, qua abesse non potest, cum sit immensus: sed auxilio, & singulari quadam protectione, quæ summi Numinis beneficium est.

Hæc vbi à Sacerdote audit populus, respondet, *Et cum Spiritu tuo;* & illud quidem ex Apostolica traditione.

Hic immitti potest brevis quæstio, quæ ad mores faciat, cur populus, cur Clerus, aut minister non resalutet eadem forma, iisdem prope verbis: *Dominus tecum.*

Videbitur forte cuiquam ea quæstio leuioris momenti, sed vt eiusmodi videri possit, ex vero tamen magni est ponderis, vt enim acutè animaduertit Albertus, cum subijcit minister. *Et cum Spiritu tuo,* tacitè monet Sacerdotem in ara consistentem pœnè sine corpore esse oportere, vt totus sit  
spiritus.

spiritus.

368 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
spiritus, expers corporeæ molis, ac sollicitudinis, ac  
Deo velut immersus, qui scilicet quantus est, spiri-  
tus est.

Monet deinde quanta vis boni exempli, quomo-  
do populi vox, & vita consona esse soleat vitæ Sacer-  
dotum. Benè precatur Sacerdos, & benè precatur  
populus, benè viuit ille, & hic etiam benè: tantum  
in illius voce, ac exemplo positum est momenti,  
vt certè digna sit Pontifice, digna Petri sede illa sen-  
tentia, illud oraculum magni Pontificis Clementis,  
cuius meminit Emilius in Ludouico Rege. *Non an-  
tea sanctis viuetur moribus, quam imbuti sanctitate  
sint morum magistri, videmus enim subditos emula-  
ri mores superiorum, eo prorsus modo, quo umbra  
corpus.*

§. 7.

*De Collecta, & voce Hebræa Amen.*

**A**B illa solemni sacraque salutatione subijcitur  
oratio, quæ vulgò *Collecta* dicitur, quia Sa-  
cerdos fungens legatione ad Deum pro populo,  
huius vota, precesque compendiosa quadam breui-  
tate colligit, æternoque Numini legenda quodam-  
modo obijcit. Vbi porro sic obiecerit, sicque pro  
populo superos orauerit, vt exoret, hic subnectit  
*Amen.*

Est ea vox Hebræa, de qua sua lis, ac disceptatio.  
Eam enim septuaginta ita reddunt, *Amen*, id est,  
*fiat.*

fat. S. Hieronymus Epistola ad Marcellam *fideliter*. 137.  
*ter*. Origenes *verè*. Alij *certè*: quidam *etiam*, vel *ita* *Tract.*  
*est*. Hæc est Authorum pugna de vna vocula *amen*, <sup>35. in</sup> *Matth.*  
 ex eo orta, quod aliter, atque aliter accipiatur, modo  
 enim aduerbium est affirmantis, modo optantis.

Porro mos sacratæ precationi subdendi *Amen*,  
 iam inde ab Ecclesiæ cunis, primisque initijs inua-  
 luit, vt testis est Tertulianus libro de spectaculis, vbi c. 25.  
 acriter eos reprehendit, qui vno, eodemque ore, &  
 Sacerdoti, & histrioni responderent, *Amen*.

Ita habet seuerus morum censor, & antiquitatis  
 amans in paucis: *manus, quas ad Dominum extule-  
 ris, postmodum laudando histrionem fatigare: ex ore,  
 quo amen in sanctum protuleris gladiatori testimo-  
 nium reddere, profanum, sacrilegum, impium: hæc  
 ille. Ex quibus aperte colligas, quis olim fuerit  
 piorum sensus, quis æstus deuotionis, quæ obser-  
 uantia religionis, vel in vna voce Amen, quam ad-  
 hiberi ad profana nefas fuit: ne ludis, ne vanitati  
 aperiretur illud os, & explicaretur ea lingua, quæ  
 vel vni sacræ voculæ aliquando patuerat: quod si  
 vel in vno verbulo ita religiosi fuere maiores nostri,  
 in aperto est, quam in alijs Missæ, & Orationum  
 officijs seueri, & prope scrupulosi extiterint: con-  
 trà, laxior est ætas nostra, & in hoc profana, ne di-  
 cam impia, quod sæpenumero religiosas, sacrasque  
 voces ad petulantes iocos detorqueat.*

*De Epistola, Graduali, Tractu, Versiculo,  
Prosa, Euangelio.*

**C**ollectam excipit Epistola, eaque ferè è veteri Testamento vel litteris Apostolicis petita antiquo sanè more, qui à Iudæis originem traxisse videtur: apud hos enim per omne Sabbatum lectiones ex Prophetis in Synagoga explicari solita.

Præmittitur autem Epistola Euangelio, quia lex vetus & Prophetæ, Euangelicæ prædicationi præcurrebant.

Legitur deinde in dextro altaris cornu, quia Christus primùm ad Iudæos missus, quos diuina beneficentia in dextera locarat, vt populum electum, à quo transijt ad sinistram, ad gentes, quibus Euangelicæ veritatis oracula prælegit.

Ne vero id temporis interuallum, quod Epistolam inter, & Euangelium interesse necessum est, vacuum sit, inseritur *Graduale*, quandoque etiam *Versus, Tractus, Prosa.*

Graduale authorem agnoscit Cælestinum Papam, & id nomen inuenit, quia canitur dum Diaconus ascendit ad Euangelium decantandum: innuitque debere nos à virtute in virtutem gradatim veluti ascendere, & ab Epistola ad Euangelium: hoc est à caligine, à nocte antiquæ legis, ad nouam lucem, ac solem aspirare.

Verficulus est vox Hebræa, & peregrina videlicet *Alleluia*, index effusæ lætitiæ, & sanctæ exultationis, *Alleluia* enim, id est *laudate Deum*, vel *laus Dei*: *Hallelu* quippe hoc est *laudate*, *Ia* verò vnum est è decem Dei nominibus, eumque ex vero vniuersalem ostentat, à quo deriuetur, ac pendeat quidquid in vniuerso est singulare.

Et quia gaudij nota est *Alleluia*, ex Ecclesiæ instituto omittitur in Quadragesima, & hebdomada sancta, quæ luctum amat, & sequitur, consentaneum scilicet illi tempori, quo luget, imò patitur, & per extrema supplicia vitam in Cruce sponsum animarum nostrarum expressit.

Ita nimirum visum est Patribus, & toti antiquitati, cui tamen reclamatione Lutherus, & in formula suæ Missæ; tam in Quadragesima, quam in Hebdomada sancta legi vult, & effuso clamore attolli lætum *Alleluia*: non quod ad Dei laudes pronus sit, sed ad maledicendum Ecclesiæ præceps, ex genio quodam hæreticorum, qui rem bonam præstare se credunt, si tantum Ecclesiæ Romanæ contradicere videantur. Sed discedamus ab illis.

Subditur quandoque *Tractus*, siue verficulus è sacris Paginis excisus, qui quia lento spiritu trahitur, *Tractus* appellatur: consonat ille luctui, & Ecclesiæ gemitus exprimit, longasque exilij nostri moras deplorat.

Denique aliquando, licet rarius, subiicitur *Prosa*: seu versus rythmicus, ac numerosus, cuius author fuit *Notgerus* primum Abbas de S. Gallo, deinde Leodiensis Ecclesiae Praeful, & orbis Legiaci augustum lumen. *Prosa* Ecclesiae, choroque dedere viri magni. Sacrum illud, piumque carmen, *Veni Sancte Spiritus*, regia voce, calamoque edidit Robertus Rex Franciae. *Lauda Sion Salvatorem* S. Thomas de Aquino, insigne decus Dominicanae familiae.

Subiungitur deinde & Euangelium, quod ex Apostolorum instituto in Missa praefigi debuit, ut videre est in Liturgia D. Marci.

Primis autem Ecclesiae temporibus, cum nondum scriptum extaret Euangelium: erat vnus aliquis, qui verba faceret de sacrosancta Christi Domini Incarnatione, Passione, Resurrectione, Ascensione, & futuro quondam iudicio. Nimirum adeo veneranda fuere mysteria, ut necesse visum sit ea sacris Missarum solemnibus inserere primum verbo, cum nemo vnus omnium calamo manum admouisset; deinde scripto vbi à sacris Historiographis Euangelicae Historiae series emanauit.

Adhibentur verò nonnulli ritus omninò digni qui stylo notentur.

Primus is est, qui Euangelium legit, se munit signo Crucis in fronte, ore, pectore. In fronte quidem sede pudoris, ne erubescat Euangelium. In ore,

ore, vt illud loquatur palam. In pectore, vt illius causa pectus obuium ferat, & ferro, & igni, & quibuscumque voles iniurijs.

Alter ab eo ritus est, quod cereus incendatur, vt ab illius luce in oculos, in animum veniat altior omnino lux, Christus inquam, lux mundi, orbis oculus, sol Ecclesiae, à quo in nos emanet coelestis intelligentiae nitor, & purioris amoris aestus, atque incendia.

Legitur deinde Euangelium facie versa ad Aquilonem, quia cum ab Aquilone pandatur omne malum, à diabolo mittantur omnia tela, ijs obijcimus scutum fidei, quae in Euangelio continetur. Denique infigitur ei osculum, symbolum amoris, ac venerationis, de quibus cum antea fusius disseruerimus, hic verbulo indicasse suffecerit.

Transeo ad quaestionem, quae à viris magnis à Sanctis Patribus, à Theologis immitti solet. Vtrum Subdiaconus, qui solemniter ritu, habituque Epistolam legerit, Diaconus qui Euangelium, qui, inquam peccati mortalis male conscius id fecerit, sit ne ille censendus letalem animae maculam contraxisse.

Doctores sciuntur in diuersas sententias, quae quia faciunt ad institutum nostrum, eas paucis tantum attingam, & singulorum rationes explicabo.

D. Thomas, in ea quaestione, hanc statuit regulam, hoc in posteros emittit pronuntiatum, eos <sup>In 4. d.</sup> <sup>24. q. 1.</sup> <sup>ar. 3. q. 5.</sup>

374 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
omnes mortiferæ culpæ obnoxios teneri, qui ali-  
quod sacrum officium, quod ijs ex ordinatione  
competat in peccato grauiore exercuerint.

Rationem è principijs suis hanc deducit S. Do-  
ctor, quia indignè tractant res sacras, & sacrilegij  
rei censendi sunt: hoc autem ex suo genere vt mor-  
tale sit, est necesse: vtpote quod Deum omnis boni  
fontem petat, eiusque sacra ausu temerario violet.

Ex hoc principio Siluester, & Angelus etiam id  
conficiunt idem videri in ministerijs inferiorum  
ordinum, vt Ostiarij, Lectoris, Acolyti, Exorcistæ,  
qui omnes si in peccato letali ordinum suorum mi-  
nisteria obierint, noue maiorisq; noxe rei videatur.

Non videntur tamen varias ob causas. Primum  
enim verior ea sententia, quæ asserit minores illos  
ordines in Sacramentis reponi non oportere. Acce-  
dit deinde, quod ea materia leuis sit, actus enim pro-  
prij minorum ordinum, licet aliquomodo sacri,  
non tamen adeo accedunt ad ipsum sacrificij a-  
ctum, aut Sacramentorum administrationem; ra-  
tione cuius ea labes sacrilegij, contrahi videatur.  
Relinquatur ergo quæstio, de functionibus sacro-  
rum ordinum: Subdiaconi, & Diaconi; illi ex of-  
ficio incumbit Epistolam, huic Euangelium po-  
pulo prælegere. Quod si fortè, ( quod malum  
auertant superi ) & hic, & ille in peccato mortali id  
audeat, cuius culpæ arguetur?

Duæ

Duæ sunt super ea re sententiæ; Vna censet eos omninò culpam letalem incurrisse: ita Siluester Angelus, Caietanus.

Si exijs authoribus quærat<sup>ur</sup> huiusce rei ratio, ea proferri solet, tum quod ministerium illud sit graue, tum quod proximè accedat ad sacrificium: tum denique quod ad illud dignè exercendum specialis quædam gratia per Sacramentum conferatur.

Huic rationi pondus, ac momentum addit D. Paulus ad Timotheum scribens, vbi fusè disserit, quæ à Diaconis vitia abesse debeant, quæ virtutes adesse: ita habet magnus præco veritatis: *Diaconos* 1. c. 3. *pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi probentur primùm: & sic ministrent, nullum crimen habentes.*

Denique ad Scripturæ fidem addi potest auctoritas Ecclesiæ, sanctissimorumque Pontificum decreta, quæ capitulo vltimo de temporibus ordinationum, cauent, ne Clerici iniqui in susceptis ordinibus ministrent.

Ex his, alijsque, id conclusum volunt authores illi, sacris ordinibus initiatos grauius peccare si mortalis culpæ vinculis impliciti, aut Epistolam, aut Euangelium cecinerint.

Non desunt tamen Theologi magni nominis qui id negent, & in mitiorem abeant sententiam,

hos

*In 3.**part.**tom. 3.**diff. 16.**q. 65. ar.**4. sect. 3.*

hos inter, est Soto, è Dominicana familia magnæ  
inter suos opinionis, & Suarez è Societate IESU, à  
doctis scriptorum suorum monumentis orbe toto  
notissimus. Et certè sua illis suffragatur ratio.

Primum enim non debet imponi id oneris, id  
vinculi, nisi eiusmodi præceptum in aperto, in luce  
sit: constat autem Ecclesiam, utpote bonam Ma-  
trem nusquam vlla lege Diaconis aut Subdiaconis  
præcepisse, aut peccati mortalis minas intentasse:  
si fortè (quæ hominum est in malum conuiuentia)  
sceleris alicuius rei Euangelium, aut Epistolam le-  
gere præsumpserint, caput enim vltimum de tem-  
poribus ordinationum, dum indicat monendos  
esse malos Sacerdotes, & sub interminatione diuini  
iudicij obtestandos, ut in susceptis ordinibus non  
ministrent: non excudit, non stabilit nouam le-  
gem, sed explicat eam, quæ cuique à natura est infi-  
ta; quæ grauis est, si materia in quam cadit, grauis  
fuerit, leuis autem, si leuis: hoc autem, ut cum  
Theologis loquar, ex obiecto spectari debet.

Et hinc emanat altera ratio, Actio, qua de agitur;  
puta Epistolæ lectio, aut Euangelij, non videtur  
adeò grauis materia, ut si quis eam obeat in culpa,  
de qua in præsens quæstio, censendus illicò sit illam  
maculam contraxisse.

Non esse autem adeo grauem materiam, ex eo  
deducit Suarez, quod actio, quæ in Subdiaconi, aut  
Diaconi

Diaconi ministerio exercetur, non sit illo speciali modo consecrata, & sanctificata, quo sunt actiones Sacramentorum, ideòque qui illam sic exercuerit, nec censendus sit Ecclesiæ grauem iniuriam irrogasse, nec sacrilegium graue incurrisse.

Hæc Suarez, qui vt animi sui sensa vberius aperiret, ea vult intelligi, si semel tantum, aut iterum id faciat, non autem ex habitu, & vitiosa quadam consuetudine, si contemptus absit, aut scandalum: si enim quis adeo perditæ mentis sit, & profligatæ vitæ, vt etsi se nouerit peccati mortalis vinculis irretitum esse, in eo tamen persistere velit, & passim ea sacra munia præstare, nulla habita ratione conscientia suæ, aut diuinorum officiorum, tum certè is meritò eâ macula notari iudicandus. Et ita in præsentia cum Suario sentiendum, & loquendum censeo: neque enim amo arctiores illas vias, & conscientia labyrinthos, vbi laxior aliqua, & planior aperitur, ex ratione, ex Doctorum placitis, & auctoritate: certè via quæ ad Cælum ducit, suo ipsa tramite arctior, quam vt à nobis arctetur magis, si modo aliqua ratione laxari possit.

§. 9.

*De Symbolo.*

**E**vangeliū excipit Symboli lectio, eaque diebus solemnioribus iam inde à temporibus Apostolorum vsurpari solita, varias ob causas.

Bbb

Vna

Vna quidem, quia fides in secretiora anime penetralia per auditum illabatur; Altera: quia ut corde creditur ad iustitiam, ita ore confessio fit ad salutem. Viguit ea primum in Oriente, à quo etiam manauit in Occidentem sub Carolo Magno, quo adhuc superstite inualuit ea consuetudo, ut inter Missarum solemnia prælegeretur Symbolum Apostolorum: ut esset pro scuto, pro clypeo, contra emissam erebo hæresim Fœlicis Vrgelitani Episcopi: Ita nimirum fieri oportuit: ut hæc esset fidelium tessera, & publica illius fidei professio, quam ab ipsis Apostolis, Ecclesie principibus, hauseramus. Romæ tamen aliquot sæculis ea consuetudo non fuit inducta, sed primum sub Benedicto octauo, Pontifice Maximo.

Walfridus c.  
226.

Ratio in oculis est, quia cum Roma non tantum urbium princeps esset, & orbis caput sed etiam fidei specula, & schola veritatis, non est visa primis illis temporibus necessaria ea fidei, ac religionis protestatio, quod pro ipsa staret, & loqueretur Roma; ipsaque Urbis maiestas, ac sanctitas, & Petri sedes: accessit tamen deinde, non tam lege necessitatis, quam studio religionis.

Porro quadruplex est Symbolum. Primum omnium est illud, quod vulgo dicitur Apostolorum, quia eorum manu, calamo, ore receptum est, priusquam in diuersas orbis oras excederent. Continet illud

illud præcipua religionis nostræ capita, ea breuitate, atque energia, vt Lutherus, qui tamen præcipiti audacia excusso scilicet vna cum cucullo, omni pudore, in humana, diuinaque iura inuolauit; vni ferè Symbolo pepercerit, confessus in eo ab Apostolis traditam, puram, putamque veritatem.

Alterum est Concilij Nicæni primi, in quo congregati Patres contra impium Arij dogma, filium æterno Patri consubstantialem proclamarunt.

Tertium est Symbolum Constâtinopolitanum, editum in Concilio primo Constantinopolitano & à Gregorio Nysseno conscriptum: & in eo Spiritus Sancti Diuinitas contra insurgentem Macedonij hæresim asseritur: & hoc est quod in præsentia dici solet in sacrosancto Missæ sacrificio.

His quartum addi placuit, authoremque habet D. Athanasium, eius vsus est in officio diei Dominicæ: vt & fidei seruiat, & deuotioni. Et hæc paucis notasse satis erit, non desunt qui in hoc argumento, Symbolique explicatione stylum longius duxerunt, eos consulere poteris, ego breuitati studeo, ne cum lectoris tædio actum agere videar.

§. 10.

*De Præfatione.*

**D**E Offertorio, eiusque materia hic questionem non instituo, quia illa ad Theologos spectat, nec tam ad sacrificij cæremonias (quas hic lego)

Bbb 2

quam

380 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
quam ad substantiam pertinere videtur. Bona igitur lectoris venia, ad Præfationem gradum facio, de cuius nomine, reque pauca quæro.

Dicitur Præfatio, quod sit prolocutio, & præparatio quædam, ad eam actionem, in qua augmentum illud sacrificium continetur. Vt ea ritè cedat, & ex voto. Primum populo benè precatur Sacerdos, rogatque vt cum illo sit Dominus, tum vrget vt sursum attollantur corda, qua æstu deuotionis, qua rectitudine intentionis: de hac, & illa extat illud D. Augustini pronuntiatum. *Bonum est sursum habere cor, non tamen ad seipsum, quod est superbia, sed ad Dominum, quod est obedientia.*

Videant illi, qui sacrificio interfunt, num Mystæ bene monenti obtemperent, num ex vero adijciant illud: *habemus ad Dominum*: plerique sanè hoc euo sunt, quibus ea verba ore excidunt, non corde promuntur, labijs cœlos petunt, at animo, & amore labuntur in infima, in ijsque carneum, & luteum cor immergunt. Hos acutiore stylo pungit Augustinus, probatque multis annonæ, frumentique maiorem esse curam, quam animi & cordis; sic enim eos arguit: *frumentum tuum si haberes in inferioribus, ne putresceret, leuares ad superiora: frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putrescere: quæ tamen, ex naturæ inclinatione, ex gratiæ genio non est opportunus humano*

cordi

cordi locus: quippe quod terram despicit, & cœlos amat. Eiusmodi fuit magni illius Arsenij; cuius eæ morientis ad discipulos voces. *Ibi, ubi, ibi fixa* In eius vita. sint corda, vbi vera sunt gaudia. Quod si omni hora, locove iubemur sursum erigere corda, (si modo ij sumus, qui esse debemus) maximè vero eo loci, ac temporis, cum è superum regia labitur quodammodo Deus homo, & in Sacerdotis manus ilabitur, & tamen quam multi sunt, qui, vt aureo ore, seuera tamen eloquentia ait Chrysofomus, *qui sub horam terribilis mysticæ mensæ, in vaniloquentiæ conuenticulis occupati sunt*, quibus quid dixerim, nisi illud cum D. Chrysofomo. *Quid facis* Hom. de Euch. In Encenys. *ô homo? non promisisti Sacerdoti qui dixit sursum corda, & dixisti habemus ad Dominum. Non erubescis ea hora mendax inueniri?* Si alio tempore, locove aliud loqueretur lingua, aliud cor meditaretur, & excuderet, venia fortassis danda foret, at in templi sacrario, Christi Regia, Seruatoris oculis, in luce, soleque illius maiestatis mendacij impudentis reum teneri: næ insolens, & pudendum crimen: quod vt eluas, age: fac vt ori cor consonet, conspiretque lingua cum animo, & hic & illa tollatur sursum, vt dignos superis foetus admittat, & concipiat.

Dicuntur in Indico mari conchyliæ sese cœlum versus aperire, vt vniones, ac margaritas patenti, diuiteque sinu gignere possint: nimirum à sudo,

382 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
calentiq̄ue æthere petenda gemmarum lux, & a-  
mcenitas, non ab humenti, frigidoq̄ue aquæ ele-  
mento; quod illis, hoc tibi; à superis ducendi par-  
tus Deo digni, & beatæ æternitati. Vt porro ducas,  
animæ sinus, & vota cœlestibus aperi, & terrenis  
contrahe, tum deinde in vberes gratias erumpe, &  
memores tot beneficiorum voces explica. Hoc  
monent, imò & iubent illa verba.

*Gratias agamus Domino Deo nostro, quibus dum  
obaudis, illico subscribis, & lætus exclamas, dignum  
& iustum est. Cum enim humanus animus, ceu  
molle, subactumq̄ue solum, tot à Deo beneficia,  
tanquam ipsius cœli, superumq̄ue semina excipiat,  
necessum est vt pro ijs gratus existat. Imitanda no-  
bis est, inquit olim Ambrosius, natura terra-  
rum, quæ susceptum semen multiplicatori solet nume-  
ro reddere, quam acceperit; aut enim spontaneos  
fructus germinat, aut creditos vberiori cumulo re-  
fundit, ac reddit. Hæc vbi melleo ore, calamoq̄ue  
dixit, & scripsit Ambrosius, tum ad hominem ora-  
tionem, stylumq̄ue vertit, & è terra communi no-  
strum omnium parente hoc ducit argumentum.  
Vtrumque debes, quodam hereditario vsu parentis.  
Nimirum aut spontaneos fructus edere, aut certè  
tibi commissos cum fcœnore restituere: ne in hoc  
terræ, sensus & animæ experti, tu mentis & rationis  
composcessisse videaris. Esto enim, vt eiusdem elo-  
quentiæ*

L. I. OF.  
SC. C. 31.

quentiæ neruo euincit S. Doctor, esto, inquam, *ut* <sup>Ibidem.</sup>  
*aliquis excusare possit, quod Deo suo largitori non  
 dederit, quomodo excusare potest, quod non reddide-  
 rit? non dare cuiquam vix licet, non reddere non licet.*

Hanc eo loco à terra petijt ratiocinationem, vt  
 homini gratos animos faceret; alio loco ex eadem  
 materiam sumit, vt in ingratos ingenti eloquentiæ  
 flumine, torrenteque deuoluatur.

*Fœneratum, inquit, terra restituit, quod accepe-  
 rit, & Usurarum cumulo multiplicatum, homines  
 sæpè decipiunt, & ipsa fœneratorem suum sortè de-  
 fraudant, terra fidelis manet, & si quando non sol-  
 uerit, alio anno superioris anni damna compensat: ita* <sup>1. 6. Hex-  
 am. c. 8.</sup>  
*ut nullum unquam dispendium suo inferat creditori.*

Videtur eo loci Deum optimùm maximum  
 componere cum fœneratore, mentes humanas  
 cum terra, quæ nisi femina gratiæ, diuinorumque  
 beneficiorum cum fœnore authori suo reddant,  
 ipso terræ elemento deteriores esse conuincuntur.  
 Certè ab illo fœnore, multiplicatoque prouentu  
 terraiam inde à prima orbis infantia benè audiit,  
 & inter creaturas primo loco nominata, quod gra-  
 titudinis sýmbolum videri posset.

Contra, ignem alto silentio inuoluit sacer histo-  
 riographus: ait enim *in principio creauit Deus cæ-  
 lum & terram: terræ meminit, imò & aquæ, &  
 aëris: ignis nusquam, quod tamen & altissimum  
 est,*

384 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
est, & princeps elementum: cuius rationem reddit  
Rupertus, quod nihil in se, vel ex se gignat. *Propte-*  
*rea, inquit, de hoc elemento non iniuria filetur.*

*ambrosii*  
*L. I. de*  
*Gen. c. 8.*

Quod igni, hoc & ingrato, indignus qui in  
hominum ordine, imò & creaturarum serie cen-  
featur: vt qui omnia Dei beneficia deuoret, redonet  
nihil, ne minimam quidem gratiam pro vniuerso  
cumulo gratiarum; quod ingrati animi vitium  
tantum est, vt nullum ei expiando supplicium par  
esse possit.

Certè Athenienses omni bonarum artium disci-  
plina probè exculti, æquitatis, iustitiæ, legumque a-  
mantiores: dum sua singulis criminibus supplicia  
decernunt, nulla in ingratos intulerunt, seu quod  
tantum malum, sua in Republica, aliquando fore  
non ominarentur, seu quod nullum poenæ genus  
tanto sceleri æquum esse posse existimarent. Eo-  
dem spectasse videtur, quod vt omnia sciat Deus,  
ingratos quodammodo nescire se fateatur.

Vbi enim è decem leprosis, quos infami illa luc  
sanarat, vnus tantum redijt qui daret gloriam Deo,  
isque alienigena, de reliquis questus Seruator opti-  
mus ait, *nonne decem mundati sunt, & nouem vbi*  
*Luc. 17. sunt? quo loco ait Glossa, sic habet ingratos quasi*  
*ignotos: vbi sunt? inquirat Dominus.* Et hoc inter  
mala longè maximum, quod vt auertat à ceruicibus  
nostris pia Mater Ecclesia, sub Missæ sacrificium  
monet,

monet, vt *Gratias agamus Domino Deo nostro*. *Eo* Ser. contra vitium ingratis.  
 nimirum consilio, vt *locum in nobis faciamus gratia*, vt *maiora adhuc accipere mereamur*, inquit  
 Bernardus. Merebimur autem si opere expleamus, quod ore profite-  
 mur, dum subnectimus *dignum & iustum est*. *Iustum* quia nos *populus eius, & oues*  
*pascuæ eius*. *Dignum*, quia vt ait Augustinus. *Im-* In me-  
*mensus es Domine, & ideo sine mensura debes amari,* dit. c. 347.  
*& laudari ab ijs, quos tuo pretioso sanguine redemi-*  
*sti*, quod quia à seipso pro dignitate impetrare non  
 poterat Augustinus, Deum in suppetias, & partem  
 operis vocabat: Ita enim secum ipse locutus olim.  
*Non valeo laudare te sine te, habeam te, & laudabo*  
*te, quid enim ego sum Domine per me vt laudem te?*  
*nunquid tenebræ laudabunt lucem? aut mors vi-*  
*tam? tu lux, ego tenebræ; tu vita, ego mors.*

Vbi populum ad Dei laudes pronum audiit Sa-  
 cerdos, tum ipse effatum illud approbans, & illius  
 vota ore sacro excipiens, ita prosequitur: *verè di-*  
*gnum, & iustum est, equum, & salutare, nos tibi sem-*  
*per & ubique gratias agere*, semper, vt nullum  
 tempus à gratia vacuum sit, quia nullum à bene-  
 ficio vacuum fuit: *ubique*; quia locus omnis gratia  
 plenus, adeoque & ea exundans esse debet.

Quod agnoscebat Dauid dum in cælos hoc vo-  
 tum emitteret. *Repleatur os meum laude, vt can-* Ps. 70.  
*tem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* In

quæ verba D. Augustinus sacro eloquentiæ fonte:  
*In Ps. 70. Quid est, inquit, tota die? sine intermissione: in prosperis, quia consolaris; in aduersis, quia corrigeris; antequam essem, quia fecisti; cum essem, quia salutem dedisti; cum peccassem, quia ignouisti; cum conuersus essem, quia adiuuisti; cum perseuerassem, quia coronasti.* Hæc S. Doctor, ex quo conficis semper, & ubique insonare debere Dei laudes; quæ ut gratiores accidant æterno Patri, primùm cum rogamus per Filium per Christum mediatorem nostrum, idque exemplo beatorum spirituum, Angelorum, Archangelorum, Dominationum, Potestatum, que pauent, & tremunt ad nutum eius, cum quibus & nos pusilli mortales, lutea vasa, vota, precesque iungimus, ut in terris simus quod Angeli, & beatæ mentes in cælis: superiorum ciuium concentores, & diuinis in laudibus æmuli, & hæc ipsa sunt, quæ docet Præfatio.

## §. II.

*De hymno triumphali Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

**S**Cinditur ille hymnus duas in partes. Vna Angelos, beatos illos spiritus authores amat, quos Isaias in alto mentis excessu audiuit acclamantes augustum illud, & sacrosanctum acroama. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: Deus inquam exercituum, quod terrori seruit, ac maiestati.*

stati. Altera piorum hominum inuentum est; pe-  
titurque è solemni cantico puerorum Hebræorum  
Christo triumphalem in modum accinentium.

*Osanna in excelsis.*

De hac vocula *Osanna*; aliqua est inter Docto-  
res controuersia.

Euthymius, & Theophylactus volunt *Osanna*  
significare Dei laudem, in quam vna cum supe-  
ris mentibus excedit Sacerdos.

Chrysofomus, Hieronymus, Damasus *Osanna*  
Dei gloriam interpretantur.

D. Ambrosius, & Hilarius credunt vocem *O-*  
*sanna* significare redemptionem domus Dauid:  
eam nimirum vel maximè expetebant, qui Christo  
occurrentes læti inclamabant *Osanna filio Dauid.*  
Hæc est illorum Authorum de vna voce lis, ac con-  
tentio: in qua postremam sententiam magis probo:  
vt *Osanna* sit vox composita, ex *Hosa* id est sal-  
uum fac, & *na*, quæ est interiectio obsecrantis,  
quasi dicat: *salua obsecro: ô fili Dauid, qui resides*  
*in altissimis cœli verticibus.*

Iuuat hic annectere quod D. Chrysofomus in  
Missâ à se composita instituit, vt Sacerdos illis ver-  
bis *Sanctus, Sanctus, Sanctus* hæc subijceret. *Nullus* In ritu  
Missæ  
Græce.  
*eorum qui carnalibus cupiditatibus, & voluptati-  
bus est alligatus, dignus est ad te accedere, vel tibi  
ministrare, Rex gloriæ, tibi enim ministrare ma-  
gnus:*

388 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
gnum est, & ipsis cœlestibus potestatibus terribile.

His duo potissimum innuit, & ore aureo commendat vir sanctus; Primum insignem animi, corporisq̄e munditiam, qua quisquis caret, nã ille indignissimus est, qui corpus Domini contrectet; nã ille Iudæis ipsis deterior; vt enim D. Hieronymus. *Perfidus Iudæus, perfidus Christianus, ille de latere, iste de calice sanguinem Christi fundit. Sanctus Ioseph puris manibus Corpus Domini baiulauit, iste vero pollutis manibus, & quibus paulo ante mulieris corpus tractauit, salutem hominum tangit, & recipit ore, quo paulo ante basia meretrici impressit, ille qui fuerat Christi membrum, tollit membrum Christi & facit membrum meretricis.* Quod quantum sit scelus nemo non videat, nisi qui mente penitus fuerit destitutus.

Alterum quod paucis attingit, est reuerentia quædam singularis, & sacer honor, quo tangi, percelliq̄e debet, qui aris, & sacrificio assistit. Satis conscius quam exacta muneris obiti reddenda sit ratio: quam mirum quantum apprehendunt viri, & ingenio, & sanctimonia illustres, quos inter magister Auila à pulpito, sacraque dicendi facultate suo æuo notissimus, de quo hoc dignum omni memoria referri solet.

Cum ei inter familiare colloquium narraret vnus aliquis, Sacerdotem recens ordinatum, intempestiua,

stia, & immatura morte obiisse, utpote in primo adolescentiæ flore, quem cæca, & præpropera fata demersuerant; percunctatus est illicò, an aliquando sacrificasset: respondenti vero, *semel dumtaxat*, statim subdidit pius Ecclesiastes, *multum defert ad Iudicem.*

Si ex eo quæsieris quod illud *multum*, audies, vel semel sacrificium incruentum Deo immortalis obtulisse, hoc enim uerò multum est, & immensi apud superos ponderis, quod aliquando tandem in ultimo foro, seueræ summi Iudicis libræ supponetur, seueram appello libram illius tribunalis, quia sacra est, & sacrificij munij ponderandis designata.

Scriptura teste, & interprete diuinæ mentis; libra sanctuarij multo maior erat libra vulgi; imò hanc illa tota medietate excedebat; adeo ut ea, qua in foro, & ad usus profanos utebantur, si integra esset, & vnus pondo, præ illa sanctuarij medium dumtaxat pondo contineret.

Videtur enim hæc æquitatis, & iuris esse ratio, ut Sacerdotum virtus, ac sanctitas, vulgi mores, ac sanctimoniam etiam duplo superet, atque excedat: vel ob id vnum, quod in sacras aras, & sanctuarium admissi Deo auctori suo litent, & hoc ipsum tanquam immensi ponderis ad Iudicem suum deferant.

Quod velim æquâ lancæ metiri velit quisquis

390 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
in dies singulos augustam, diuinamque Deo ho-  
stiam immolat: si enim qui vel semel tantum id  
fecerit; tamen is multum defert ad Iudicem, quan-  
tum necessum est eum, cui superum, cœlique fauor,  
atque indulgentia diebus omninò singulis id con-  
cesserit. Certè si is esse velit, qui debet, sit ille ter-  
sanctus, qui cum Seraphinis Deo opt. max. San-  
ctus, Sanctus, Sanctus inclamat.

§. 12.

De nomine, Authore, & sacro silentio  
Canonis.

**V**T omnia propè sacrificij nomina, muniaque  
petulanti voce impetierint hæretici: maxi-  
mè tamen sacrum Missæ Canonem, quem vt ma-  
ledicentiæ, calumniarumque suarum veluti sco-  
pum statuerunt.

Lutherus ad vinum, & pocula disertus, ebria vt  
alias lingua, multa scommata in Canonis nomen  
effutit, atque euomit. Primum in libro de abrogan-  
da Missa, de eo ita loquitur. *Quanquam habeam  
quod pro sano Canonis sensu dicere possim, vt alias  
feci, tamen nunc non dignor eum tali honore: vtque  
non ore tantum id profiteri, sed re etiam ipsa fecisse  
videatur, insanos, blasphemos, impios iocos in il-  
lum iacit, atque euibrat. Maximè verò libro de abo-  
minatione Canonis, vbi malus orator rem ita ex-  
aggerat,*

aggerat, ita furi, ac bacchatur, vt velit homines au-  
dito vel solo nomine Canonis signare se Cruce, ac  
fugere, non secus ac si ex Erebo furiale monstrum,  
& Dæmon aliquis occurrisset. Vt insignem eius pe-  
tulantiam retundamus, nonnulla dicemus de no-  
mine, authore, & silentio Canonis: de eius veritate, Tom. c.  
18. de  
Missal.  
2. c. 19.  
& explanatione videri potest Bellarminus, qui fufe  
de ijs disputat, ego in præsentia superfedebo.

*Canon* Græce dicitur, Latinè *regula*, quod fixa sit,  
ac stabilis: alij ea de causa *legitimum* appellarunt; Optat.  
Mileuit.  
Diony-  
sius.  
*secretum* alij, quod in alto silentio, ac secreto diceretur,  
ob singularem mysteriorum reuerentiam. Alij  
denique *actionem* vocitarunt; quod in eo resideat  
ipsa actio sacrificij, cum in reliquis verba tantum  
reperirentur.

Author porrò fuit tum ipse Christus, tum Apo-  
stoli, in primisq; Beatus Petrus, qui ad verba Do-  
mini, tum preces aliquas, tum certos ritus addidit.  
Tum deniq; alij Pontifices in eadem cathedra lon-  
ga serie confidentes. Equibus Leo primus eas vo-  
ces inseruit: *sanctum sacrificium, immaculatam ho-*  
*stiam*; & Gregorius primus illas: *diesque nostros in*  
*tua pace disponas*, quod ipsum in eorum vita anno-  
tari placuit; ad memoriam tantorum Pontificum  
& sacrosancti sacrificij venerationem, cuius Canoni  
tot adjcis oracula, quot verba.

Transco ad secretum, profundumq; silentium;  
quod

392 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
quod etiam maledica lingua carpunt dicaces hære-  
tici, quos vt arguam, docebo primum cur ea sacrifi-  
cij pars in arcano secreto peragatur, tum deinde  
quam opportunum orationi silentium.

S. Remigius magnus omninò Præful in ea sacri-  
ficij parte silentium amat, vt animus, qui per verba  
à se quodammodo elabi, & abire solet, intra se  
reuocetur, positoque omni strepitu verborum ad  
Deum vnum dirigatur: vt enim in Mosaico taber-  
naculo Sancta Sanctorum velo claudebantur, vt  
Sacerdos ijs receptus, & ab hominum ore, conspe-  
ctuque semotus, attentius orationi vacaret: ita &  
in lege noua sacrosanctus Mystes: quasi iam ingres-  
sus Sancta Sanctorum, secreto, in Canone Deum  
exorat.

*Can. Sa-  
cerdoti  
de con-  
sec. d. 2.*

Ad eandem causam reuocari potest vetus illud  
statutum, quo olim Ecclesia cauit, vt nemo laicus  
stare in choro posset, dum Missa celebraretur.

His addi potest altera ratio, quod illud silentium,  
secretaque oratio, ipsi sacrificio reuerentiam conci-  
liet, ac venerationem, viteturque periculum illud  
ne laicus aliquis ore profano verba illa sacratoria  
vsurpet, si ea à Sacerdote sæpius audierit; Ita factum  
olim à Pastoribus, & impudenter, & impiè, qui  
cum supra panem & vinum verba consecrationis  
protulissent, illicò tanto scelere parè poenam sence-  
runt; ignis enim è cœlo lapsus, panem, vinum, &  
lapidem,

*Sophron.  
in Prat.  
spir. c.  
196.*

lapidem, cui insidebant, subito impete absumpsit.

Denique accedere potest & alia causa, quam pro coronide huius paragraphi seruatam volui, opportunum scilicet orationi silentium; quod ipsum natura duce agnouere Pagani.

Ægyptijs Crocodilus pro Numine fuit, vt qui lingua careret, quo innuerent & in perpetuo silentio Deum esse, & silentio coli quam optimè.

Romanis Angeronia erat Dea, ore obligato, signatoque, vel digito ad os admoto, vt fana subeuntes moneret aperienda quidem animi penetralia: sed oris claustra penitus occludenda.

Eodem duci potest, quod olim in more fuisse testatur D. Chrysostomus, supernè inscriptum in templis silentium, vt ea subituri, legerent impostam sibi regulam diuini cultus, ac venerationis: amat nimirum etiam iudice Trismegisto, Deus ineffabilis, silentio solo prædicari: hinc illud oraculum Zachariæ. *Sileat omnis caro à facie Domini: cuius rationem reddit regius vates, quia te decet hymnus Deus in Sion.* Hieronymus vertit. *Tibi silentium laus Deus in Sion.* Horn. r. in 1. ad Tim. Ps. 64. v. 2.

Nempè eximium quoddam est laudis genus animi silentium, Numen tacitè, & demissè venerationis: Quod si vel ipsa sacri loci religio, vel diuinorum mysteriorum sanctitas adeò seueram silentij legem in alijs Missæ partibus imponit, in hac

D d d

verò

394 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
verò quam maximè: vtpote, in qua arcana cælestia  
reuelantur, & ea peragitur actio, quam ipsi horrent  
Inferi, tellus amat, cœlum suspicit, verentur Angeli,  
& ad quã tota superum regia spectatura descendit.

Dixit olim ex antiquis nonnemo. *Parua cura  
loquuntur, ingentes stupent*: Illud quippe à natura  
comparatum est: si præ manibus sit negotium a-  
liquod leuioris momenti, illud expedit lingua, &  
vel vna vocula explicat. At si ingentes sint curæ, si  
magna difficultatum moles incumbat, si res arduæ  
expediendæ sint, tum verò non linguam solum stu-  
por illigat, sed & mentem inuadit, atque distinet.

Quod si in humanis id vsu venit, quanto magis  
in hoc augusto, diuinoque Missæ sacrificio, eaque  
illius parte, in qua ad paucas voculas, è superum  
aula, ex Empyreifede, sinuque beatitatis quodam-  
modo deuocatur sacrum Christi Corpus, ac San-  
guis: & quæ huic, atque illi mirabili nexu iungitur  
Diuinitas: & sub panis, vini que specie tegitur, ho-  
muncionisque vnus manibus atrectatur.

Eatantum mysteriorum ratio, religio, maie-  
stas, quia voce satis exprimi non potest, alto silen-  
tio, profundoque stupore ostenditur. Quod Noua-  
toribus nostris absorum videri non debet, imò vel  
maximè nature, rationi, diuinæque legi consentaneum.

Certè apud Ethnicos audiebatur in sacrificijs il-  
lud solenne. *Fauete linguis*; & apud Romanos Cle-  
mente

mente Romano teste Diaconus per templi arcam  
emittebatur, qui inambulando contemplaretur  
viros, ac mulieres ne quis fieret strepitus, ne quis  
nutus faceret, aut mussitaret. Et in Ægypto (fede o-  
lim pietatis, ac religionis) incredibilis fuit silentij  
obseruantia, eorum qui ad synaxim admittebantur.

Narrat Cassianus Ægyptios Monachos, etsi <sup>2. Instit.</sup>  
conuenissent numero longè maximo; tamen eam <sup>c. 2.</sup>  
silentij seruasse legem, vt præter illum, qui Psal-  
mum decantabat, audiretur nemo, imò nullus om-  
ninò adesse putaretur. Non sputum, non excreatio,  
non tussis, non oscitatio, non gemitus, non suspi-  
ria, non vox vlla alia resonabat. Crederes esse te in  
auia solitudine, inter silentia nemora, mutas rupes,  
elingues saltus: adeo exactum, ac reuerens tota illa  
concione silentium.

Quod si in primitiua Ecclesia, in qua purior vi-  
gebat spiritus, religiosas inter mentes, in quibus al-  
tior, cœlestium intelligentia, ac contemplatio, da-  
tum illud vel soli sacrorum communioni, quidni  
concedatur & ipsi Sacerdoti, vt quædam apud se  
verba tacitus teneat, secum loquatur, & quasi so-  
lus cum Deo solo ingens humanæ salutis nego-  
tium tractet. Dabitur enim uerò, quidquid contra  
mussitent, aut obganniant hæretici.

Canonem excipit oratio Dominica, aliæque  
preces. De illa scripsere quamplurimi, & piè, & di-  
fertè,

D d d 2

396 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
fertè, ideoque stylum contraho, de his eadem ratio,  
quam supra de Collectis insinuaui.

Pro coronide adijcitur à Latinis *Ite missa est*, à  
Græcis *in pace Christi eamus*, & respondetur *In no-  
mine Domini*, vt patet ex Liturgijs Basilij, & Chry-  
sostomi. Et hæc de sacrificio pro instituta breuita-  
te dicta, æqui, bonique consulat beneuolus Lector.

## C A P V T X.

### *De Beneficijs.*

**D**E beneficijs dicere meditati duo succurrunt  
stylo notanda.

Primum quid sit beneficium; alterum quis ei  
obtinendo ab ætate, scientia, & moribus idoneus  
esse videatur.

#### §. PRIMVS.

*Quid sit beneficium Ecclesiasticum, &  
quis illius Capax.*

**H**Æc Theologis, ac Iuris peritis probata defi-  
nitio.

Ex Inno-  
centio in  
c. Rela-  
tum de  
Præben-  
dis. *Beneficium est ius perpetuum percipiendi fructus  
ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spiri-  
tale, auctoritate Ecclesiæ constitutum.*

Vt quis eius sit capax decem omnino requirunt  
Theologi. Primum legitimo sit thoro genitus, quia  
id facit ad ipsam natalium commendationem, or-  
dinumque

dinumque dignitatem, quæ eos fugit, ac horret, qui negata venere, illicitoque concubitu per scelus in vitam, & auras inuitas euaserunt: quibus obtrudi posset illud: in peccato natus es totus & doces nos. Alterum est, vt sit Clericus: quia hic est primus gradus, à quo ad altiora datur ascensus.

Tertium est ætas conueniens, & opportuna tum beneficio, tum officio, de qua fusius postea disceptabimus.

Quartum cœlibatus: neque enim Latina Ecclesia nuptias amat in sacratoribus suis Ministris.

Quintum ne censura notatus, ne irregularitate sit irretitus.

Sextum adsit morum probitas, & decus innocentis vitæ, de qua suus erit dicendi locus.

Septimum, eum ornet scientia, & augustum animi, doctæque mentis lumen.

Octauum ne quis in corpore grauior sit næuus, ne qua macula, ne quod vitium quod deuenustet, & spectantium oculos offendat.

Nonum sit intentio, pronaque in eum statum voluntas, ne necessitate, ne auaritia impulsus videatur potius, quam eximia quadam in Deum, & sacra propensione suauiter inuitatus.

Decimum, ne alio beneficio sit grauis, quod illud ferre, compati que non possit.

Hæc ferè sunt, quæ Theologi in scholis, quæ in

398 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
cathedra supremi Ecclesiæ Præsides, quæ in exedris  
veneranda Sanctorum Patrum authoritas, vox vna-  
nims, & consensus requirunt: ego ex ijs tria fusius  
explicabo, quia ad commune bonum plurimum  
conferre videntur. Ea sunt quæ olim in Concilio  
Viennensi requisuit Clemens V. videlicet ætas,  
scientia, mores.

§. 2.

*Quæ ætas beneficio Ecclesiastico sit  
idonea?*

**P**Rima surgentis Ecclesiæ ætas, utpote magis in-  
noxia, non tam annorum rationem habuit,  
quam meritorum: neque temporis calculos sub-  
duxit, sed virtutis numeros amavit, & in ijs con-  
quieuit. Eoque factum ut neque Sacerdotio, neque  
capessendis beneficijs ætas aliqua iam inde à primis  
illis Patribus sit constituta. Nimirum eo loci, ac  
temporis in luce erat illud Cassiodori *Ætatem le-  
gitimam virtus facit.*

Ita vel ipso Iudice Paulo, Doctore gentium, in  
Episcopum adlectus Timotheus, ob singularem in  
eo indolem, candidissimos mores, & dignam canis  
virtutem, ac prudentiam.

*Niceph.  
l. 3. c. 29.*

Ita Eleutherius Episcopus Illyricus anno ætatis  
suæ vigesimo est renuntiatus. Ita Remigius Chri-  
stianæ Galliæ corculum, ac delitiæ, in primo ado-  
lescentiæ flore, hoc est anno secundo supra vigesi-  
mum

num Rhemensis Ecclesiæ clauum tenuit, & amplissimæ diœcesis habenas moderandas suscepit.

Ita posteris sæculis sexcenti alij, quorum adolescentia præclaris virtutibus ornata, religioni præfuit; in quos verti poterat illud, quod de Aurelio Clerico magnificè prædicauit Cyprianus. *In annis Ep. 33. adhuc nouellus, sed in virtutis, ac fidei laude prouectus, minor in ætatis sue indole, sed maior in honore.*

Postea tamen labentibus annis etiam labente virtutis studio, addi debuit ætati, quod meritis, quod gratiæ, quod præstantibus animi ornamentis detractum esse videbatur.

Itaque in sacris cœtibus, & vniuerso orbis terræ Concilio decretum sæpius, vt nemo vnus omnium ad eas dignitates, & officia Ecclesiastica ascenderet, nisi quem matura ætas, & annorum lapsu castigata ad aliquam prudentiæ legem, laureamque promouisset.

Et quidem Insulæ, ac Pædo ætas constituta triginta annorum: quia vt ea dignitas virum ab omni virtute perfectum requirit, ita & ab ætate. Beneficij autem quibus annexa animarum cura decreti anni viginti quinque, dignitatibus alijs duo supra viginti: Denique ad alia beneficia quæcumque demum illa sint, ætatis terminus is fuit, qui annum decimum quartum iam attigisset, imò & excessisset.

Huic Ecclesiasticæ sanctioni, & clarissimorum

Patrum

*Concil.*

*Later.*

*sub A-*

*lex. III.*

*Trident.*

*ses. 24. c.*

*12. Tri-*

*dent. ses.*

*23. c. 6.*

400 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
Patrum decretis consentit antiquitatis sensus, & au-  
thoritas, ipsa ratio optima legum interpres, ac mo-  
deratrix.

Certè in veteri lege Leuitæ non nisi vigesimo  
quinto ætatis anno consecrabantur, quod si diuino  
nutu, datum illud sacris illius æui, est enim uero  
quod Christianis officijs, & augustæ religioni id  
iure meritissimo concessum esse fateamur.

Et verò illud ipsum exemplo suo probauit Serua-  
tor optimus: latuit ille, & tres omninò ætates, in-  
fantiam, pueritiam, adolescentiam domestico qua-  
si carcere, & eximie submissionis latebris continuit,  
nec in luce urbium, & prouinciarum diuina tra-  
ctare voluit, nisi in ipso limine, adituque virilis æta-  
tis, cum iam annum trigesimum attigisset. Aberat  
tamè ab illo quam longissimè illud omne vitium,  
quod minori ætatlæ aspersit natura: erat in illius  
infantia, ea morum maturitas, ac grauitas, quæ &  
virum deceret, & palam loqueretur: non tamen in  
eo sibi indulgere voluit, sed posteris seruire, esse-  
que documento, quod augustum Sacerdotij mu-  
nus, & arcanorum diuinorum procuratio non vul-  
garem animi grauitatem, prudentiamque exigeret,  
quam non spondet nisi annis grauior, & defæcata  
iam ætas.

Et fanè si Hesiodus è principibus Græciæ Poëtis  
longe celeberrimus, in eo qui vxorem duceret,  
triginta

triginta censuit, & amavit annos, easque *nuptias tempestivas* esse pronuntiauit, quidni in Ecclesiæ sponso, qui pulchras animas, ceu nobilem cælo, Deoque sobolem generare debet, & alere ad immortalitatem par omnino ætas postuletur? Certè quantum corpus inter, & animam; profana, & sacra, cælum, & terram interest, tantum necesse est inter huius, illiusque sortem, ac nuptias interesse. Ut proinde merito arguendi sint illi, qui iam inde à cunis, & prope ab utero infantibus beneficia amplissimasque in Ecclesia dignitates meditantur, ac procurant.

Legimus Saporem Persarum Regem ex ipso parentis utero coronatum, Regemque proclamatum: sed hoc datum est nimie subditorum indulgentiæ, & præcipiti vnus popelli genio.

Audiuimus Nicetium, deinde Archiepiscopum Treuirensis, ex ipso matris utero Clericum, & coronatum: ut non tam factus, quam natus Clericus, & Episcopus esse videatur. Fuit ille amabilis cæli ludus: & insigne prodigium futuræ sanctitatis, ob quam iam inde ex illo naturæ carcere veluti corona redimitus in mortales auras emerfit.

At non sic euocantur alij; non aperto cæli iudicio, non scripti diuinis in tabulis; sed præpropero parentum amore, & nescio qua vel imperandi libidine, vel auaritiæ prurigine in infulas inuolant,

Ecc

irrum-

402 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
irrupuntque in amplissimas dignitates. Contra  
quos altiore vt solet stylo tonat, Tertulianus;  
gravis morum censor, ac magister.

*Adu. Iud. c. 9.* Infantes, inquit, ad praelium erumpunt, credo ad  
solem uncti prius, dehinc pannis armati, & butyro  
stipendiati, qui neque norunt lancinare, neque lancea-  
re. Quod tamen eorum proprium est, ac singula-  
re; qui debent esse veluti duces militantis Eccle-  
siae. Sed ista pro aetate sufficiat attigisse; plura qui  
L. 2. c. 7. volet consulat Cresollium in suo Mystagogo.

§. 3.

*Beneficiario è triplici schola petenda studiorum,  
& scientiae ratio.*

**S**cientiam amo non tam profanam, quam sa-  
cram; & eam amant, ac loquuntur iura, sum-  
morumque Pontificum, ac Conciliorum decreta,  
eam exigit officij munerisque nobis impositi regu-  
la, cui vel ipsa natura consentit.

Concilia Orbis terrae, & sedis Romanae Domi-  
ni, religionisque custodes, illud in primis commen-  
datum esse voluerunt: vt suae in singulis Episcopis  
essent scholae, in quibus Clerici ad omnem sacra-  
rum litterarum eruditionem instituerentur.

Eugenius Papa II. in Romano Concilio id seue-  
re mandauit. Cui deinde subscripsit Concilium La-  
c. II. teranense sub Alexandro III. & postea sub Inno-  
centio,

centio, ac denique sacrosancta Synodus Tridentina, quæ pro suo in religionem zelo, studioque promouendæ pietatis, statuit vt in metropolitanis Ecclesijs collegium erigeretur erudiendæ iuuentuti opportunum, ac ne quæ esset in eo instituto remora, Doctores voluit communibus Ecclesiæ subsidijs ali, ac sustentari. Et illud quidem ad iudicium, sensumque totius antiquitatis.

Certè ex Curopalate tres imprimis scholas sacras in Ecclesia fuisse constat; nam inter officia Principis Ecclesiæ numerat. *Doctorem Euangelij, Doctorem Apostoli; Doctorem Psalterij.*

In vna prælegebantur illa, quæ ad sacrorum Euangeliorum notionem, ad diuini verbi pabulum facere videbantur.

In altera explicabantur Apostoli oracula, & præclara magnæ illius mentis effata, eximiaque morum formandorum documenta.

In hac denique sacri Psalmorum numeri, qui modo exultabundi sese erigunt in plausus, & festiuacantica, modo abijciunt in tristes nanias, & opportunos pœnitentis animæ gemitus.

Et hæc altioris sapientiæ gymnasia satis aperiunt, quæ fuerit illius temporis, quæ antiquitatis in sacras litteras propensio; maximè vero in eas, quas quotidie diuinis in officijs terimus.

Et primò quidem Euangelium, de quo pie, magnificè,

Ecc 2

gnificè,

gnificè, elatè senferunt, & locuti sunt Sancti Patres.

Constit.  
Apost. l.  
1. c. 5.

S. Clemens illud appellabat *omnium scripturarum absolutam perfectionem.*

In sua  
Liturgia.

S. Chrysoſtomus ore aureo. σοφία ὁρθῆν *sapientiam rectam.*

L. 1. de o-

Diuus Cyprianus *magisteria diuina.*

In Ps.  
118.

D. Ambrosius *morum magisterium, & speculura iustæ conuersationis.*

In di-  
uers. loc.

S. Basilius *oraculorum omnium cœlestium corò-  
nidem.*

In Ps. 47.

D. Hieronymus *Virtutem ciuitatù, à qua scilicet plus præsidij sit, quam ab armis, & copioso milite.*

In Math.

Theophylactus *mundi columnas.*

De Orat.  
c. 1.

Tertulianus *eleganter vt solet expunctorem totius retro vetustatis.*

De Ec-  
clesia S.  
Hier.

Denique S. Dionysius Areopagita, vir in sacra-  
tiore scientia nemini secundus *Theologia veteris  
summam & velut expressum è diuino calamo com-  
pendium, quod qui peruiderit, ac tenuerit omnia  
veteris Theologiae mysteria censendus erit perui-  
disse, ac tenuisse.*

Et hæc sunt quæ diuini Patres in Euangelicæ  
historiæ commendationem spargunt, ego hic in  
vnum veluti fasciculum collegi, tum vt pro autho-  
re, qui in prima schola prælegebatur aliquid dixif-  
se viderer, tum vt pio Lectori facerem animos, cal-  
carque adderem, ad assiduam illius commentatio-  
nem,

nem; gradum facio ad aliud diuiniore Philosophie  
lycæum; in quo proponitur, & altè sonat Paulus,  
de quo gloriosè prima Christiani orbis lumina.

D. Dionysius Areopagita Pauli filius & hæres, De diu.  
nom. 6. 7.  
eum vno loco communem nostrum solem in-  
digitat, alio sapientiæ abyssum: cui consonat D.  
Chrysostomus, qui paulum ait *cælum* esse, in quo Hom. 4.  
de laud.  
Pauli.  
Iustitiæ sol elucescat, & *mare sapientiæ purissimum,*  
& *profundissimum.*

D. Hieronymus sacro nomine eum appellat *Vas* Ep. 61. ad  
Pamma-  
chium.  
*electionis; tubam Euangelij; rugitum Leonis nostri;*  
*flumen eloquentiæ Christianæ:* quod qui vel primis  
labellis hausit, næ ille eius appetens est, & in paucis  
amans.

Appello prima nascantis Ecclesiæ tempora, tua-  
que in primis Augustine. De tribus olim grauitè in-  
doluisse fertur Cato maior: Primum quod aliquan- Plutarch.  
in eius vi-  
ta.  
do secretum muliebribus auribus credidisset: sen-  
tiebat nimirum eas esse peruias, parumque retinen-  
tes arcanae veritatis. Alterum quod nauigio iuisset  
aliquando, quo pedes ire poterat, horrebat nimi-  
rum inconstans & infidum aquæ elementum, quo  
nemo tutus vehitur, hauriuntur plerique. Tertium  
quod vel vno die mansisset intestatus, in hac tam  
breui, fluxa, fragilique vita; in qua amens sit oportet,  
qui vel vnam sibi credit securam lucem, qui cras-  
tinum pollicetur: nec hodie facit, quod longa fa-  
ctum

406 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
ctum volet æternitate. Et hæc fuere vel Catonis vo-  
ta, vel in posteros emissa morum documenta, ne  
eorum aliquis vel mulieri, vel aquæ, vel vitæ ni-  
mium confidens, in fraudem, in mortem iret.

Alia planè Augustini vota; eaque etiam tria  
fuisse perhibentur: quæ sibi cælo propitio conces-  
sa optasset; vt & Christum in carne versantem, &  
Romam in flore triumphantem, & Paulum in pul-  
pito tonantem vsurpare licuisset. Nihil eorum re-  
ipsa datum est: totum in votis stetit. At indultum  
illud, vt Paulum etiamnum in scriptis suis loquen-  
tem audire, & in ijs spirantem sentire posset: & ve-  
rò audiit, ac sensit, non sine magno vel doloris, vel  
amoris æstu; cum enim hæreret dubius, ac nutans  
inter amabiles virtutis illecebras, cœlique inuita-  
menta, & vincula inclitæ consuetudinis, mundi que  
fucos: hanc è superis vocem excipere visus, tolle, le-  
ge, tolle, lege: paruit ille, tulit, legit, & in ea incurrit  
*Ad Rom.* *verba. Non in commessationibus, & ebrietatibus, non*  
*23.* *in cubilibus, & impudicijs, non in contentione, &*  
*emulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum.*  
Pupugit ea vox, & altius in cordis arcem admissa  
miros pœnitentiæ motus excitauit, fecitque vt non  
amplius is esset, qui fuerat olim Augustinus.

Tanta nimirum in Paulo vis fuit, imò & in eius  
Epistolis, mutisque typis. Fuit illa D. Dominico  
probe nota, ideòque suis ille filijs, quos bonus Pater  
velut

velut operarios toto spargebat orbe; pro bibliotheca, Pauli Epistolas (quas omnes ipse fideli memoria tenebat) dare solitus, ratus in ijs esse sacram purioris doctrinae supellectilem, quae parandis animis sufficeret. Hoc nimirum ab ipso met Apostolo didicerat, qui ei sese visendum exhibens, eximio quodam gratiae, amorisque prodigio suas Epistolas dederat, ut ex ijs concionum suarum desumeret argumentum. Haec, aliaque, quae pro Pauli Epistolis dici possent; primae Ecclesiae Clericis suaserunt, ut ijs altera pateret schola, in qua etiamnum Doctor esset Paulus.

Sed & tertium fuit gymnasium, ludusque doctrinae, ac pietatis; in eo Magister David; lectio proposita, Psalterium: quod commendant quam plurima. Primum Author, qui non est alius à Spiritu Sancto; qui Dauide velut calamo usus ita enim de seipso testatur: *lingua mea calamus scribae velociter scribentis*, scriba Spiritus Sanctus, calamus David. Ps. 44. v. 2.

Commendat & numerus qui facer est: sunt enim Psalmi centum quinquaginta: cuius numeri mysticas rationes venantur S. Patres.

D. Augustinus in tribus quinquagenarijs agnoscit, amat, ac veretur mysterium Sanctissimae Trinitatis. Rupertus fidem, spem, charitatem illustra bonae mentis ornamenta, per quae Iubilaeum consequimur beatitatis.

D.

D. Thomas tres hominum status, Pœnitentium, Iustorum, & Beatorum: cui sententiæ fauet illud: quod primus quinquagenarius desinat in Psalmo *Miserere*, qui pœnitenti animo seruit. Secundus in Psalmo *misericordiam, & iudicium*: à quibus emanat Iustitia. Tertius in Psalmo *omnis spiritus laudet Dominum*; quæ laus in primis seruatur beatitati.

Alij centum quinquaginta Dauidis Psalmos referunt ad centum quinquaginta dies, quibus tenuit diluuium, & terras mortales obruit: & hæc à numero petita dignitas; maior à titulo.

Is à Dauide scriptus est Psalterium, ab instrumento musico, quo primum vsus Dauid mulcendo gregi: tum deinde altiore tono ad Dei laudes.

Hinc ab alijs in fronte Psalmorum scribitur ille titulus *Halleluiab*: laudate Deum, quod Psalmi sint Dei laudes, & præconia supremæ mentis.

Alij Psalmis titulum faciunt *soliloquia de Christo*: quia præfaga mente, propheticoque spiritu cum Christo solo locutus videtur Dauid; Alij denique Psalmos appellant *clauem David* quod ijs veluti regia clauis viam aperiat ad virtutem, & beatitatem. Et inde factum autumo, vt maiores nostri celestis sapientiæ, id est virtutis candidati, Clericis explicari voluerint scholam tertiam, in qua pro auctore offertur Dauid, & Psalterium pro lectione ad saniolem doctrinam proposita.

Eius

Eius porrò adeo studiosa fuit antiquitas vt non illud modo euolueret, legeretque diligentius: verum & tenaci mandaret memoriæ, nec censeretur Sacerdotio dignus, qui Psalterium quantum erat memoria non tenuisset.

Gregorius Pontifex Maximus de quodam Rustico, qui è Diacono vocabatur ad infulam, pedumque Anconitanæ Ecclesiæ; iussit inquiri an Psalterium memori calleret animo; non alias ei sacram illam dignitatem oblaturus.

Quod illi Pontifici in vsu fuit, hoc & alijs Ecclesiæ Præsulibus. Narrat Theodorus Lector Archiepiscopum Leonem in more habuisse, vt neminem in sacrum ordinem accenseret, qui Psalterium nescisse conuictus esset.

Id ipsum loquitur decretum, quod ex Augustino, Beda, alijsque depromptum est, Sacerdotis nomen vix in eo stare posse, qui Psalterium non didicisset.

Ecce qua cura, & quam improbo labore in illud vnum incubuerit antiquitas, à qua certe multum recedit, & degenerat parum studiosa Posteritas.

Verum hic sentio, mihi vnus aliquis aurem vellicat, amatque illud à me pro coronide adijci; cur eo pietatis propendere visi magni illi Heroes, & prima nascentis Ecclesiæ lumina. Viderant certe pro ingenita sibi à Deo luce, Psalterium esse veluti

Fff

compen-

410 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
compendium aliquod, & epitomen Scripturæ sa-  
cræ: quidquid enim in ijs sparfit, scripsitque Dei di-  
gitus: hoc in Psalmis, insigni breuitate collegit;  
authorem habeo huiusce meæ propositionis D.

*Præf. in  
Psalm.*

Augustinum. *Psalterium, inquit, communis quidam  
doctrinæ thesaurus est, & vniuersis animæ passioni-  
bus, quæ humanas animas variè angunt, subuenit:  
Psalmus signifer est pacis; spirituale thymiana, exer-  
citiū cœleste, hæc vbi dixit Augustinus, tum pau-  
cis quæ inde ad humanos animos emanant, com-  
modare censet. Luxum, inquit, reprimat, sobrieta-  
tem suggerat, lacrymas mouet. Et ne vacua tantum  
sit verbis fides, seipsum stipulatorem facit, multa-  
que doctus experientia prodit, quos ab vna Psal-  
modia in se gigni senserit, seu doloris, seu amoris  
æstus. Ita enim de se ipse confitetur. *Quantum fleui  
in hymnis, & canticis tuis suauè sonantis Ecclesiæ vo-  
cibus commotus acriter: voces illæ influebant auri-  
bus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & ex  
ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ,  
& benè mihi erat cum eis.**

Quidni enim benè sit, & æternum quidem. Di-  
cendum enim, quod ex vero, bonoque dici potest à  
sacra illa, & religiosa psallendi scientia in cœlis ma-  
gisterium parari, coronamque beatitatis: quam ho-  
die in ipsa Dei regia gestat Merulus, vir in pau-  
cis religiosus: vitam ille in monasterio exegerat,  
qua

qua lacrymis, qua eleemosynis mire intentus: maxime Psalmodum cantui, à quo vix in die paucis <sup>4. D. 6.</sup> abstinebat horis, quantum scilicet aut cibi, aut somni ratio parcius exigebat. Reliquum diei, noctisque tempus occupabat Psalmodia: cui dum adultis tenebris impensius vacat, vidit è cœli viridario coronam è candido, niueoque florum honore in caput elabi. Nec vana ostento fides: ab illo enim vix sibi redditus erat, cum vita cessit, & mortalibus oris, donandus immortalitate; qua & ipse donaberis aliquando, si cum Merulo sis in sacris ædibus, choroque merula.

§. 4.

*Insignis morum probitas; & inculpata vitæ  
anteactæ series.*

**D**E D. Cypriano disertè quondam, & verè pronuntiauit Pontius. *De suo talem accepit cathedra, non fecit.* Nimirum in sacram illam augustamque Pontificiæ dignitatis sedem præclara virtutum ornamenta, velut domesticam altioris animi suppellectilem, intulerat: & de suo acceperat, quod infulæ, pedoque daret, non ab eo serius, & turpius emendicaret. <sup>In eius vita.</sup>

Quod de illo dictum olim, hoc & de alijs, qui vel ad illas dignitates, vel ad ordines, vel ad opima beneficia deuocantur, *tales eos accipiat cathedra, non faciat,* prius enim à moribus, & inculpata vitæ

E ff 2

ante-

412 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
anteactæ serie commendati sint oportet: quam ab  
illo gradu sublimes.

Ex illo sensu totius antiquitatis video in leges,  
communemque adolescentis Ecclesiæ consuetudi-  
nem duo emanasse.

Primum, ut ij quos ipse status, & initæ vitæ ratio,  
vel aliqua solum mali suspitione aspersisset, pro-  
cul ab Ordinibus arcerentur, ne qua ab ijs labe Ec-  
clesiæ iniusta videretur. Ita milites campo, ferroque  
assuetos si fortè ad pietatem animum appulissent,  
sacris tamen ordinibus prohibebant: quod metue-  
rent ne militari licentiæ innutriti, ne martio pulue-  
re sordidi, etiam vitam reliquam deprauatis mori-  
bus inquinarent. Quod in militia, sagoque valuit ar-  
gumentum: hoc & in foro, curiaque è qua homi-  
nes ad sacra produci nefas fuit. Existimabant ni-  
mirum maiores nostri in ijs vitæ generibus scelus,  
& malitiam domicilium suum posuisse; quod  
non facile excluderes, etsi melius institutum ag-  
gressus fuisses: tantum apud eos potuit vel consue-  
tudo mali, vel etiam suspicio.

*Theodor.*  
*l. 4. c. 8.*

Alterum quod probandæ initiandorum virtuti  
datum est, fuit publica populi vox, ac seniorum te-  
stimonium, quod prius exaudiri oportuit. Hinc  
prostabat certo in loco programma, & solem-  
nis fiebat denuntiatio de sacrorum ordinum candi-  
dato, quæ Latinis *prædicatio* dicebatur, quod cuique  
liceret

liceret in medium proferre si quid nosset de ordinandi vita, & moribus, sic erant illi in publica luce, & cōmuni hominum cōtū discutiebantur, ne quis in eum statum irreperet, qui non esset communi totius populi voce, & seniorum calculo à virtute, ac meritis probatus.

Eodem spectavit illa examinis forma, illæ voces, quibus compellabatur in sacrum ordinem assumendus *dignus es, iustus es?* vel ad confertam multitudinem dirigebantur illa ipsa verba, *dignus est, iustus est?* Quod si placuisset ille de cuius consecratione agebatur, communi omnium animorum consensione, ac voce dicebant. *Dignus est, iustus est.* Et hoc in Apostolicis Constitutionibus appellabatur *Symbolum approbationis, signum assensus*: quem si ab astantibus impetrasset, tum læto omine sacris initiabatur. Sin autem vndæ illæ Comitiorum ab eo recessissent, si muti, & elingues testimonium ferre renuissent, tum verò ab eo consecrando desistebat Antistes.

Huius auitæ consuetudinis meminit D. Hieronymus. *Ita age, inquit, ut Clericus esse merearis, Ep. 5. ut adolescentiam tuam nulla sorde commacules, ut ad altare Christi, quasi virgo procedas, & habeas de foris bonum testimonium.*

His in verbis duo innuit pius antiquitatis interpres, & Doctor. Primum, ut ad altare Christi quasi

Fff 3

virgo

414 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
virgo procedat, hoc est vultu verecundo, moribus  
sanctis, vita incontaminata; alienus à mundi pulue-  
re, à strepitu vanitatis, à sæculi pompa: hæc enim  
omnia amplectitur vox vna virgo, quæ & inta-  
ctum amat, probatque pudoris florem, & noxiam  
mundi lucem fugit, & deuotæ submissionis, secre-  
tiq[ue] latebras querit: ideòque Hebraicè virgo, idem  
est, quod *abscondita*: quia eleganter Ambrosius.

T. v. 4.

In ex-  
hort. ad  
Virgines.

*Decet solitudo verecundiam, & gymnasium pudoris  
secretum est.*

Alterum quod hoc loco prodit D. Hieronymus,  
est bonum testimonium, quod deforis petebatur.  
Vix enim quisquam domi bonus, qui non etiam  
foris talis audiat: nec Clerico, qui in Ecclesiæ, sa-  
cræque dignitatis lucem, venire debet, est satis; si  
à seipse, suaque conscientia bonum hauriat testimo-  
nium, nisi & illud in populi aures, oculosque effe-  
rat: vt non vni sibi, sed & alijs quoque bonus esse  
videatur.

Ratio si quæritur, ea in aperto est: qui è vulgo,  
profanoque genere, in Clerum, sacrumque ordi-  
nem assumitur: statuitur ille super Ecclesiæ cande-  
labrum, vt luceat omnibus qui in domo Dei sunt,  
est enim lucerna.

Talis olim audiit Sacerdos Heli, de quo hoc Scri-  
pturæ elogium. *Lucerna Dei antequam extingueretur,  
Samuel dormiebat in templo Domini.*

1. Reg. c.  
3. v. 3.

Lucerna

*Lucerna Dei fuerat Heli, inquit D. Isidorus, In Epist. ad Massanum. quando dignitate Sacerdotali pollens iustitiae claritate fulgebat: extinctam Prophetam asserit, dum ob scelera filiorum Sacerdotis potestatem, meritorumque lumen amisit.*

Quod si vel ipso Dei oraculo dici potuit Heli *Lucerna Dei*; potiori iure *Myrtæ* nostri *lucernæ Dei* dicuntur, & verò etiam sunt; ideoque cæteræ mortalium turbæ assurgunt ut lux, & sol vniuerso. Illo orbis oculo, luceque nihil mundius, nihil nitentius: aspergit ille radijs suis etiam informe, & infame lutum, cloacasque malè odoratas, nec tamen inde sordescit, aut putidum, & graecolentem odorem haurit: nimirum lux adeo pura est, ut neque sordes, & graecolentiam, neque adulterinas alias, extraneasque affectiones admittat: suo semper eadore, nitore, gratia, ceu natiua veste sese inuoluens.

Quod à natura lux ipsa sortitur: hoc à gratia Clericus mutuetur est necesse, candidam, innocuam, illibatam animæ, virtutumque vestem, quæ etiam in sæculi luto sordes horreat, imò ne patiatur quidem vel leuiore macula aspergi. Sic erit *Lucerna* sibi munda, & alijs etiam nitens. Et hinc altera mihi ducitur causa, cur Clericorum mores, vitamque sine nauo, esse oporteat; quia non sibi oriuntur: sed & alijs quasi viæ melioris, vitæque duces, quibus exemplo suo faciem ostentent, ac præferant, quod

416 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
quod si extinguantur illi, suisque vitijs occidant;  
non sibi, sed vniuerso malum ingens creant.

Si Philosophis nonnullis credimus, si vel tantillum intermitteretur Cœli motus, & lucis vsura, illicò torperent; imo & cessarent motus omnes, quos sibi subiectos luna despicit: nemo vnus se dimouere eo loco, quo illum occupasset ille cœlestium orbium torpor, solis quies, & occasus: non progredi animal posset, non succrescere planta, non nutriri bruta: nec forte secundum illos homo intelligere, aut velle quidquam posset: credunt enim hominis intelligentiam à phantasmate dependere, quod & illico crassesceret, ac torperet. Quæ omnia etsi ipse non probem, in medium tamen adducenda putavi, vt sentias quæ necessitas, quæ vis, quæ gratia lucis illius, quam oculis vsurpas, atque ex ea gradum facias ad lucem animi, quam in Clero, ceu sole requirimus, quæ si deficiat, necessum est omnes prope aliorum pios motus, sensusque eodem occasu deficere, ac prolabi.

Ex illo nexu, vinculoque boni communis cum vita, moribusque eorum, qui ad sacros honores euehuntur, fieri solet, vt si indigni promoueantur, ingens omninò damnum populis importetur. Hinc illæ querelæ sanctissimorum Patrum in eos Antistites, qui officij sui parum memores, Ecclesiam ea ratione pessundant, magnamque labem altari-  
taribus

caribus imponunt, præposteris suis ordinationibus: contra quos ita S. Leo graui orationis fulmine.

*Non est hoc, inquit, consulere populis, sed nocere: nec Ep. 85. præstare regimen, sed augere discrimen: Integritas enim præfidentium salus est subditorum.* Et quia ea Deo Seruatori est in primis curis, grauissime in eos animaduertere solet, qui dissolutis, perditisque moribus homines, & ab omni sanctimonia alienos, ad religionis præfecturam, & amplitudinem Sacerdotij admisissent. E multis duos producit Cresolius in suo Mystagogo; è quo hæc ad institutum L. 2. c. 10. meum.

Gregorius Preñestinus Antistes, Constantinum Pseudopapam consecrarat, eique manus præcipiti indulgentia imposuerat: homini in paucis profano, à venere, ab ira, ab immanitate mali omnino nominis. Non tulit inultum scelus, qui mortales è cœli regia despicit vindex Deus. Vt viuus, ac videns *Anast. Biblioth. in Steph.* infensi sibi Numinis iracundiam circumferret, illa ipsa dextera, qua in impia consecratione abusus fuerat, penitus exaruit; donec ab ea, & reliquum omne corpus, mali animi, malum diuersorium, implacabili, & diuturna ærumna conficeretur: sic in celuxit antiqui illius oraculi probata veritas. *Per quæ Sap. c. 17. peccat quis, per hæc & torquetur.* Dextera peccarat Antistes Ecclesiæ ceusponsæ parum fidus, & etiam dextra pœnam tulit: vt qui religioni nostræ, ceu

Ggg arbori,

418 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
arbori, ramum arentem, & exsuccum infecerat,  
arentis, & exsuccæ manus damna pateretur.

Ei certe melius omninò fuisset illud Marciani  
votum: erat hic Nouatianorum Episcopus, &  
quendam Sabbatium è Iudæo factum Christia-  
num, ad Sacerdotium extulerat, quem, cum dein-  
de audiret ad praua dogmata, & impias opiniones  
tanquam ad vomitum reuerti: facti sui serius pœ-  
nitens dicere solebat. *Satius multo fuisse manus suas*  
*in spinas imposuisse: quam earum impositione ad Pres-*  
*byterij gradum designauisse malum Sabbatium.* Hoc  
fuit Marciani votum, hæ querelæ & paterni gemitus  
pro infideli filio, quos certè hoc quo spiramus  
æuo vsurpare possent Episcoporum plerique, qui  
non ea qua debent animi cura, & æquitatis lance  
ordinandorum merita pensant, atque examinant;  
sed præpropere nimis manus imponunt, multis  
omnino Sabbatijs, à quibus non oritur & surgit  
Sabbatum, & pax alta Ecclesiæ, sed acre bellum, &  
insolentes hæresum æstus, ac foedæ tempestates,  
quibus etsi mergi non possit Petri nauicula, at certè  
agitari potest, atque concuti. Quod quantum ma-  
lum, quantumque sit scelus, ex eo metiantur, quod  
D. Leoni magno, etiam sanctissimo Pontifici dici-  
tur contigisse: est certè eiusmodi quod optimo cui-  
que sacrum horrorem incutiat.

Ad sepulchrum D. Petri Apostolorum Princi-  
pis

pis oraturus sese abiecerat pius Pontifex, & multis Prat. spir. C. 149. omnino votis, lacrymis, ac gemitibus, vnum illud supplex petierat, vt sibi propitium Numen peccata, labesque vitæ præteritæ remitteret, vtque exoraret sedulus orator, per dies quadraginta, vota, precesque extraxit, nec à sepulchro Apostolorum diuelli posse videbatur; nisi optata indulgentia potitus.

Dum in ea statione persistit sanctus Præsul, hoc à Deo responsum accepit, omnia esse dimissa peccata, præterquam impositionem manuum. Hoc nimirum vnum, non quantum ad culpam, sed quantum ad pœnas seruatum esse voluit iustus Iudex. Imò Cardinali Baronio interprete: reus stetit Adan. 461. Leo Pontifex, & obligatus pœnis eorum peccatorum, quæ perpetrassent illi, qui ab eo indignè ad ordines fuissent promoti: adeò non suo tantum scelere tenetur, & implicatur Antistes, sed & alterius pœnam, debitaque supplicia in se trahit pessimis omninò, vinculis irretitus, quibus si tangi, concuti que potuit sanctissimus Pontifex, Leo Magnus, Ecclesiæ lumen, & prima religionis columna: quomodo non confringentur alij minoris notæ, ac sanctitatis, qui cum Leone compositi, vix in Ecclesia, videri possunt, quod cum solis oculo, luceque vniuersi, minora sidera, cœlique flammæ.

## CAPVT XI.

*De horis Canonicis.*

**C**VM beneficium Ecclesiasticum sit propter officium, aliqua de eo erunt agitandæ quæstiones. Et primum quidem de horarum nomine; tum de earum ordine, ac numero; tum etiam de tempore, quo decurri debent; de loco ac situ corporis conueniente; tum à quibus, & quo sub onere: tum denique de ratione, modoque debito vt illi præcepto fiat satis.

## §. PRIMVS.

*De nomine horarum Canonicarum.*

**H**ORÆ dicuntur esse preces, quæ ex Ecclesiæ institutione ad Deum laudandū, opemque diuinam implorandā certis, statisque horis exsoluuntur.

Dicuntur horæ vel ab orando, vt vult Zabarella; cui etymologiæ reclamatione aspiratio; vel quod vero similis est, ab horis, quod pio Ecclesiæ more præscriptis, definitisque horis, nocturnis, ac diurnis recitari soleant.

Appellantur autem eæ Canonicae, hoc est regulares, quod iuxta Canonum Ecclesiasticorum traditionem, ac regulam earum orationum pensum, à Clericis sit persoluendum.

Vel si mauis, dic esse Canonicas, quod à Clericis  
 Canonicis

Canonicis in templo decantari soleant, quod facit ad decus ac laudem Canonici instituti, quod primum diuinis, publicisque Dei sui encomijs famam, nomenque dederit.

Et quia huius nominis appellationem attigi, non possum quin verbulo insinuem, aliam atque aliam fuisse. Primum enim dicti κοινωνικοι, Coenonici, hoc est, in commune viuentes: deinde κανονικοι id est regulares, quod sub vna, eademque regula impensis communibus vitam agerent. Tenuit ea viuendi ratio aliquot sæcula. Certe Pontifex Vrbanus, qui Ecclesie clauum regebat circiter annum ducentissimum vigesimum quartum, in Epistola sua decretali, ait. *Vita communis, maximè viget inter illos, qui in sortem Domini sunt electi*, id est, inter Clericos.

Tales Ecclesie bonæ Matri peperit Augustinus, tales habuit Gregorius Magnus, tales aluit Germania ferè tota, huius instituti maximè tenax, donec tandem senescente mundo, vnàque inclinata pietate, sese remisit ille ardor animi, & communis ea vitæ ratio in odium, ac contemptum est adducta.

Certe Trithemius Abbas in Chronicis ad annum nongentesimum, septuagesimum septimum scribit sub Theodorico Archiepiscopo Treuirensi Canonicos plerosque abiecta vita regulari, quam eorum Maiores eo vsque coluerant, delisse esse Regulares, & factos esse nomine, imò & re etiam ipsa

422 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
sæculares: quod verumne sit hîc non disputo, ne-  
que eam illustri illi Ecclesiæ labem inuri meo cal-  
culo velim: maneat penes Trithemium ea fides, ac  
censura; sat tamen scio, & indoleo, hac qua spiramus  
ætate, esse quam plurimos, qui vt nomine sint,  
& esse debeant, Canonici; hoc est vitæ regularis,  
reuera tamen ipso opere, & irregulares, & sæcu-  
lares esse conuincuntur, imò & illis ipsis deteriores,  
(quæ magna est huius æui macula.) A qua fortè re-  
lictum & illud, vt in plerisque Ecclesijs Canonici  
per se diuinum officium in choro non cantent, sed  
per suos vicarios, id muneris exequuntur; quod etsi  
primum non caruerit aliquo næuo, modo tamen  
cum illud è Petri sede, ac specula despiciant, ac  
dissimulent summi Ecclesiæ Præsides, ego damna-  
re nec volo, nec possum. Et hæc de horarum Cano-  
nicarum nomine dicta sint, ad earum numerum  
venio.

§. 2.

*De numero & ordine horarum*

*Canonicarum.*

**D**iuinum Officium in septem omnino horas  
distribui solet, cuius numeri rationem hîc  
inquirimus. Ea authoribus alia est, atque alia.

Sunt enim qui septem horas referant ad primam  
vniuersi molitionem, quam septem diebus ab-  
soluit Deus: dies quippè sex dati huic operi, septi-  
mus

mus quieti cessit, sacroque otio, audijsque Sabba-  
tum, quod in eo diuina manus conuicisset. Ut  
tanti beneficij memoria iret in posteros, iret in  
omnem Solis, Lunæque cursum, placuit summis  
Ecclesiæ Præsulibus, diebus singulis septem horas  
describere, ut orationi, diuinisque laudibus tot da-  
rentur à nobis horæ, quot Creator vniuerso dies  
impenderat.

Reuocant nonnulli septem horas ad tempora  
Mosis, & antiquæ legis institutum, quo receptum  
fuit, ut interdium quater prælegeretur populo volu-  
men legis, ut ea semper in oculis, in auribus, in ani-  
mis esset. Ac ne sola diurna lux eam commentatio-  
nem aspiceret, nocte etiam intempesta ter Domi-  
no confitebantur, cæloque iam quieto preces, ac vo-  
ta mittebant. Pia quadam illius auiti moris æmula-  
tione septem horarum interualla distinxit Ecclesia.

Dicunt alij ex recepto Dauidis more, qui pro  
ea, qua erat in superos pietate, ac religione septies in  
die Deo dicebat laudes, ut testis est ipse luculen-  
tus. *Septies, inquit, in die laudem dixi tibi.* Hic sty-  
lum figo, teque mi Lector cogitatione, memori que  
mente ad Dauidis tempora reuoco, & secretum il-  
lius conclaue, quod vnum pios animi regij mo-  
tus audijs, & astupuit: quidni enim obstupescat;  
in ea aulicæ vitæ mollitiæ, luxu, delicijs, in tanta ne-  
gotiorum mole, & incumbenti regni curis, in  
martio

424 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
martio puluere, bellicoque sttepitu; armorumque,  
strictique ensis fulgore: tantum vacui temporis in-  
uenire potuisse quod sibi, quod superis, quod Deo  
concederet, alijsq; negotijs substraheret. Habet pius  
lector in Dauide quod amet, suspiciat, imitetur.

Volunt aliqui septenarium horarum numerum  
esse pro peccati remedio, & velut expiatorio sacrifi-  
cio: cum enim *septies in die cadat iustus*, septies vt  
resurgat est necesse: resurgit autem oratione, quæ  
Scriptura teste est *sacrificium labiorum confitentium*  
*Domino*. Si quam olim maculam contraxerat Sa-  
cerdos, iuebatur pro peccato vitulum offerre, &  
*Leuit. 4.* eius sanguine septies aspergi. *Coram Domino contra*  
*u. 6.* *velum sanctuarij*: eoque ritu eluebatur quæcum-  
que adhæserat sceleris contagio.

Vt discedamus à figura, & ritibus antiquæ legis,  
demusque locum veritati, & nouæ legis sacrifi-  
cio, est illud vt dixi *sacrificium labiorum*, eo horis  
septem per opportuna temporum interualla re-  
petitis, animum peccati sordibus contaminatum  
aspergit, atque diluit Sacerdos.

Non desunt alij authores, qui piè credunt per se-  
ptem horas Canonicas in nos cælo propitio deuo-  
cari, ac depluere septem dona Spiritus Sancti: ideo-  
que modo eas componunt cum septem candela-  
*Apoc. 1.* bris aureis, quæ olim in excessu mentis vidit Ioan-  
nes Iesu amor, ac delicia; modo cum septem lu-  
cernis,

OPINIO

AC RELIGIOSORVM. 424  
cernis, quas super candelabrum accendere iussus est  
Moses.

Nimirum quod ædi sacrae candelabrum, quod *Exod. 25.*  
Lucerna, hoc nobis oratio; ab illis fugantur tene-  
bræ, & nox ipsa quodammodo euigilare videtur:  
& nos ab oratione lucem haurimus, quâ paruus hic  
mundus, animus, inquam, noster perfundatur,  
diuina aspiciat lumina, & amore, æstuque cœle-  
sti totus incalescat. Si modo horarum lectio, sit ve-  
luti commentatio, piaque meditatio, in qua cum  
Dauid ex vero dicere possis. *In meditatione mea  
exardescet ignis.* Et hæc ratio stimulo esse potest ad  
officium diuinum ea qua par est pietate obeūdum.

Video tamen plerosque è Sanctis Patribus eo  
magis inclinare, vt hunc numerum orationis septe-  
narium ad sacra redemptionis nostræ mysteria tra-  
ducant. Ea sunt omninò septem: & quidem præ-  
cipua, quibus ex æquo horæ septem respondent; è  
quibus prima Ecclesiastica voce dicitur *nocturnum  
officium*: euoluitur illud adulta, mediaque nocte,  
quia tum temporis Deus immortalis homo factus,  
ex virgine conceptus, in mortales auras eductus. Et  
inde prima redemptionis nostræ iacta fundamen-  
ta. Cuius memoriæ Ecclesia prouida Mater, pro ea  
quam à filijs exigit tanti beneficij recordatione, sta-  
tuit vt nocturnum officium eidem responderet, vt  
nox quæ prima diuinæ in nos munificentiae testis  
H h h fuerat,

426 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
fuerat, foret & nostræ in eam arbitra pietatis.

A nocturnis officijs sequuntur *laudes matutine*,  
quas Sol oriens excipit, & suo fulgore recreat au-  
rora: simulque etiam monet, vt simus memores  
illius lucis, quæ non sine stupore, & insignis perfidi-  
æ miraculo, vidit contra supremum vniuersi Iu-  
dicem, cogi concilium Pontificum, ac Phariseo-  
rum, vidit, inquam, & erubuit, lucemque suam vel  
ex eo facinore damnauit, nigroque lapillo notan-  
dam censuit: vt & nos ipsi damnemus, vnaque gra-  
ta illius beneficij memoria velut albo calculo si-  
gnemus, laudes matutinas in choro perfoluimus.

Sequitur deinde hora prima, qua Seruator opti-  
mus vinculis onustus reorum in morem, ad Pila-  
tum ductus, ab eoque ad Herodem emissus.

Primam excipit tertia, quæ prius exceperat in-  
fandas illas Iudæorum voces, insanosque clamo-  
res. *Tolle, tolle, crucifige*: à quibus ceu aduersa nube,  
defluxit grando verberum, ac flagellorum, sub quibus  
gemit Saluator, gemitque pijs in precibus Ecclesia.

Tertiam proximè legit sexta, qua infami ligno  
appensum salutis humanæ pretium, Deus homo.

Sextæ iungitur nona, quæ supremo Numini,  
immortali Deo, vitæ primæ, vitam exemit, & spi-  
ritum per immanes cruciatus extorsit.

Nonæ subnectitur vespertinum officium, tum  
enim temporis depositum è Cruce exanime Chri-  
sti

sti Corpus, & sepulchro concessum, vt eo quo-  
 que peruadat, ac descendat humanus animus, sub  
 vesperam, occasumque solis, ea diuini officij pars  
 est reiecta. Hæc Mysteria significari probat glossa,  
 & his versibus exprimit.

Hæc sunt septenas propter quæ pfallimus horas,  
 Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.

Prima replet sputis, causam dat tertia mortis,

Sexta Cruci neçtit, latus eius nona bipertit,

Vespera deponit, tumulo completa reponit.

Et hæc de numero horarum Canonicarum, tran-  
 sco ad earum ordinem.

Philosophi diem vnum appellant naturalem, is  
 complectitur 24. horas, lucem scilicet, ac noctem.

Alium dicunt artificialem, is duodecim horis con-  
 stat, seu eas lucis esse velis, seu noctis. Et hæc, & illa  
 in diuersas partes abit.

Nox recepto inter antiquos more diuidebatur  
 in 4. vigilias, primam, secundam, tertiam, quartam,  
 ex his singulæ censèbant tres horas non amplius.

Quod nocti, hoc & luci factum, hanc partici-  
 pantur veteres in primam, tertiam, sextam, no-  
 nam, & singulis suæ tres horæ assignabantur. Ita  
 tota dies naturalis ibat in octo veluti stationes, nox  
 in vigilias quatuor, lux diurna in quatuor partes.  
 Vt tam hæc quam illa flueret in diuinis laudibus ita  
 distribui placuit.

H h h 2

Primæ

Primæ vigiliæ noctis cedebat nocturni officij pars, hoc est tres Psalmi, quibus tres accessere lectiones: deinde dabatur aliquid temporis somno, ac quieti; tum aderat secunda vigilia, quam pariter Psalmi nocturni excipiebant: tum etiam tertia vigilia, quam excitabant rursus tres alij Psalmi; tum denique quarta vigilia, quæ erat hora vna ante solis ortum, & hanc claudebant *laudes matutinae*. Et ista fuit noctis partitio, hæc lucis.

Vbi primum ab inferis redux aurora caput orbi nostro extulerat, audiebatur in sacris ædibus hora *prima*. Vbi deinde adolefcebat dies, cum sacro cantu insonabat *Tertia*. Vbi verò vertici nostro sol insistebat; cum singulari pietatis æstu eminebat & *Sexta*. Vbi denique ad occasum sol ibat, ne abiret, sine diuinis laudibus, occidentem sequebatur *Nona*. Et ne minima diei portio, sine pio cantu, ac diuinæ legis commentatione excederet, crepusculum, quod lucem inter, & altam noctem interesse videbatur, vespere, ac completorio cedebat. Sic & nox atra, & clara dies, tota religiosis officijs impendebatur, nec deerat vnquam, qui soli surgenti, aut occidenti non accineret. Et merito: si enim teste Iobo Deum laudant astra matutina, si auiculæ per nemora sparsæ ad solis ortum, surgentemque diem excitæ Creatorem suum laudant, quidni idem faciat, & pusillus homo?

Hoc

Hoc argumento quondam vsus Ambrosius Doctor omninò melleus, & sonora sui æui, cœliq̄ue alauda.

*Quis, inquebat, sensum hominis gerens non erubescat sine Psalmorum celebritate diem claudere, & adoriri? cum etiam aues suavi modulamine, & dulci carmine ortus dierum, ac noctium prosequantur.*

Hexam. I.  
5. C. 12.

Alaudam ferunt septies in die canere, habitamq̄ue à veteribus antiquiorem terra ob hanc ipsam causam, quod in alto aère toties hymnos cœlo caneret, ac Deo Creatori. Et inde inter Ægyptiaca Hieroglyphica visebatur alaudæ caput septies docta manu, peritoq̄ue penicillo expressum, ac pictum, diceres illi septena guttura, septena esse capita, quibus Deo suo sæpius, ac blandius modulatur. Hic auiculæ genius, cantusq̄ue mirè placuit D. Francisco, qui eam sororem suam vocitare, & ad cantum, grataq̄ue cœlo carmina prouocare.

Dicamus quod ex æquo, & bono dici potest, quod ætheri libero est alauda, hoc Ecclesiæ Clericus: illa liquido sonat aère, hic cœlo gratius auditur, & superis insonat septeno vocum, horarumq̄ue interuallo, ac modulamine, neque vna tantum, alterave anni tempestate vt alauda, sed & anno toto, & frigida etiam, tristicique, & inanima hyeme; in hoc æmulus beatis mentibus, quæ Deo

H h h 3

suo

430 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
suo accinunt non in annos, & sæcula, sed & in  
ipsam quoque æternitatem.

§. 3.

*De tempore, quo hora Canonica legi  
debeant.*

Certis statisque horis diuinum officium reci-  
tandum est, vi Canonum, Iurisque commu-  
nis. Et hoc extra controuersiam est, de officio, quod  
publicè, & in choro persoluitur: de eo quippè lo-  
quuntur Iura: at quæstio est de illo, quod priuatim  
à Clerico persoluitur. Sintne in eo seruanda statuta, fi-  
xaque tempora, certumque horarum interuallum.

Fatebor, quod de priuato officio Iura non agunt,  
satis tamen conuenit inter Doctores, Iuris esse com-  
munis, vt ex preces suis etiam temporibus oppor-  
tunè recitentur.

Fauet huic sententiæ ratio, fauet consensus, &  
praxis virorum timoratorum, qui sibi conscientiam  
ducunt si suo tempore huic penso non satisfecerint.  
Et meritò. Primum enim pro eo facit ipsa in-  
stitutio Ecclesiæ, & consuetudo iam inde ab Apo-  
stolis, ab ipsis Ecclesiæ cunis vsurpata; à qua recede-  
re sine necessitate, sine ratione fas non est.

Deinde ex Ecclesiæ seu bonæ Matris indulgen-  
tia, factum vt Clerico liceat priuatim officium per-  
soluere, in quo tamen voluit haberi rationem tem-  
poris,

poris, quantum negotia ferent ac valetudo: decet enim membrum consentire corpori, & Clericum qui Ecclesiæ seruit, communes Ecclesiæ leges seruare, & cum ea quantum fieri poterit in ipsa temporis ratione conuenire.

Denique probat, & illud praxis virorum illustrium, quos inter eminere visus Cardinalis Belarminus, non minus à purpura, pedoque, quam à doctis ingenij monumentis, & singulari vitæ sanctimonia notissimus: de eo ita scribit Siluester Pe- L. 6. vitæ  
tra Sancta, qui in eius vitæ calamum & eleganter, & c. 3.  
fuse explicuit.

Diuinas laudes, matutinas præsertim, qualibet die, & non pridiana anticipatione, semper legit; partesque singulas officij Sacerdotalis, proprijs & distinctis horis recitauit. In qua sanè re, haud scio quemquam alium magis tenacem propositi fuisse, inter assiduas ferèque omnium horarum occupationes; quas obire Cardinalis Romæ, & Archiepiscopus in vrbe Capua debuit. Quamdiu in societate vixit, circumtulit notatum in tabella horologium solare; atque eo quasi interprete & monitore, pro tempore earundem horarum utebatur. Cardinalis deinde vsus horologio rotato, ex ijs quæ horas narrant, & insuper quâ pridie quis disposuerit hora, tinniendo sæpius à somno excitant, vt ad preces matutinas euigilaret.

Si,

Si, dum sermonis copiam daret, tempus minorum precum appeteret, secretum pro ijs rogabat; & ubi perfoluerat, ad colloquium se referebat. Quam piè in ijs Deo supplicaret, satis exprimebat fusa per vultum & per corpus totum veneratio. Nullo vsus adiutore ex his qui erant ei à sacris: sed semper solus in horaria precatone fuit: quam nixus genibus, aut stans aperto capite (quemadmodum olim Sanctus Franciscus) Deo immolabat; cum interim ei oculi arderent, & suspiria vocem interpellarent.

Aliquando, dum ad S. Andreæ in Monte Quirinali pijs meditationibus animum excoleret, ipsum adiit Religiosus quidam ex societate: qui uti modestiâ summâ inambulantiem inuenerat; num exsolueret pensum Officij diuini, perrogauit. Tum ipse respondit, se tam parum obsequiosè tributum illud Deo reddere non consueuisse; de quo præcepti obligatio suberat. Narrauit Cardinalis Petrus Aldobrandinus, à se quadam die Cardinalem Bellarminum repertum esse in horarias preces intentum adeo; ut tametsi ab Aulicis in conclaue ipsius introduceretur, ille nihilominus immotus hæserit perinde, ac si feriatu à sensibus cum Deo ageret. Dein obsequia omnia tanto hospiti exhibuit; qui æquissimè rem interpretatus, iudicauit, Deum non debuisse desereri, ut sermo *cum homine institueretur*.

Hactenus author in serie rerum à Bellarmino gestarum;

gestarum; & imprimis studio orationis, cui vel maximè intentus fuit. Nouerat nimirum vt frugibus sua sunt tempora, sua est anni tempestas à natura constituta: ita precibus (quæ piæ mentis fruges sunt, & fructus suauissimi) sua quoque decreta tempora, quæ nisi serues, dabis quidem fructus aliquos, sed præcoces alios, atque acidos, alios serotinos, & marcescentes; quod olim Eremitæ opportuno vuarum symbolo cœlum ostendit.

Memorant authores fide digni, Innocentius Ostiensis, Ioannes Andreas, & Abbas in caput primum de celebratione Missarum, in Eremito, vastaque solitudine visum Eremitam, qui vt sibi impensus vacaret, & Deo; quandoque tamen (quæ etiam est viris bonis in malum coniuuentia) in diuini officij ratione plusculum deficiebat: modo enim præfixa illi tempora præueniebat, nimium præceps, & præcox orator, modo trahebat in longum, & vltra horæ, temporisque metas emittebat; modo suus erat totus, ac Dei, datasque temporis leges obseruabat. Hanc animi parum sibi constantis inconstantiam notauit, & arguit monitor, ac censor Angelus: dum enim de more pabulum defert, vvasque de vite nobili, eas modo acidas, & male coctas exhibet, modo flaccidas, ac improbè putidas, modo probè maturas, & multo sole excoctas. Rogatus autem cur id faceret, bonus è cœlo

414 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
genius: tibi, inquit, facio, quod auctori tuo, Deo  
tuo facis. Cum solitum horarum pensum æquo  
citius exsoluis, fructus quidem offers labiorum:  
sed illos præcoces, immaturos, acidos: cum è con-  
tra nimium extrahis, & reijcis in tempus impor-  
tunum, & serum; parum & illi superis sapiunt;  
vtpotè effœti, atque emarcidi. At cum temporis ra-  
tionem habes, cum suos cuique officio terminos  
seruas: tum solo, id est animo maturo, maturos  
quoque fructus ostentas, & illos amat, gustatque  
Deus. Ita sub vno vix symbolo lusit bonus Ange-  
lus, docuitque Eremitam discipulum suum prou-  
idus Magister; quæ temporis habenda ratio, quid  
probarent superi, quidve improbarent. Hos si au-  
dis, erunt tibi pro ministris cœlites ipsi, secus si fece-  
ris, erunt illi Iudices tui, & in altera vita pœnas exi-  
gent. Et ne fortè eas frustra à me intentari credas.  
Paucis excipe, quid posteris olim scripserit Petrus  
Damianus in Epistola ad Desiderium de miracu-  
lis sui temporis.

Refert ille Episcopum ab infula, pedoque cla-  
rum in igne expiatorio graues dedisse pœnas, quod  
in officio legendo non satis accuratam temporis  
rationem obseruasset, nec sua precibus horarijs de-  
disset interualla. Itabat ille sæpius ad aulam, & quid-  
quid erat vacui temporis, impendebat illud publi-  
cis negotijs: crederes ex hominum calculo probè

occu-

occupatum, dum sibi, priuatoque officio tempus subtrahit, quod suo Principi, quod rebus publicis concedat: at superum suffragijs, Dei que seueri Iudicis sententia, malè distinetur ille, qui sua præpropere facit, vt aliena tractet, qui aulam studiosius colit, quam sacram ædem, qui alijs vacat operosius, & sibi studet negligentius; nã ille inquam, male negotiosus est homo. Tu ne ex eo genere sis caue, & alterum si sapias etiam declina, in quod plerique suo vitio, atque incuria incidunt.

Habet ætas nostra, lugetque nonnullos è Clero, qui etsi domi priuatis sub tectis horarum pensum absoluant, publico tamen officio ita interfunt, vt nec suæ, nec aliorum deuotioni studere videantur: sed tantum statutis residentia horis, & ijs quidem quam parcissimè satisfacere: aut enim chorum subeunt inchoato iam officio, aut eo necdum expleto discedunt; diceres vrgeri immensa negotiorum mole, auocari amicorum studijs, & incumbentis Reipublicæ curis retrahi: cum tamen nihil horum sit: sed aut auarus in superos animus, aut certè vacuus pietatis, cui ne nimium tribuant, verentur. Ego certè (vt ingenuè dicam, quod sentio) plurimum metuo ne eius farina hominibus eueniat illud, quod olim Monacho è D. Benedicti familia; de quo D. Gregorius ad omnem posterorum memoriam, & exemplum scripsit.

Erat D. Benedicto magna religiosorum viro-  
rum Parenti ( quod in numerosa prole plerumque  
fieri solet ) Monachus , & filius vnus aliquis , isque  
non admodum propensus in studia pietatis, Demo-  
nem ille à sacris officijs æquo citius auocantem au-  
diebat ; à suis fratribus abibat ; discedebat è choro,  
nec precum communium finem expectare posse  
videbatur. Hunc sæpius non sine stomacho nota-  
rant religiosi, notarat , ac damnarat S. Pater Benedi-  
ctus , imo pro ea, qua erat in discernendis spiritibus  
vi, ac perspicacia, Dæmonem viderat, qui eum Mo-  
nachum extrahebat è choro, quem ne abduceret in  
posterum flagello malè excepit vir sanctus, fugauit,  
& ad stygios carceres redire coegit.

Optarem in omnibus Ecclesijs esse Benedicto  
parem aliquem : si in ijs aut illi Monacho similis,  
aut isti Dæmoni malitia non inferior reperiatur.

## §. 4.

*De loco & situ corporis legendis horis  
conueniente.*

c. 33.

c. 6.

**C**VM id casus aut necessitas tulerit, locus omnis  
orationi est accommodus. Ita Ieremias in lu-  
to, & è luto Deum ad se precabundus traxit. Daniel  
in leonum lacu iratum Numen placauit. Tres pue-  
ri in camino ignis, medijsque flammaram vortici-  
bus cœlestem in se indulgentiam experti ; magni  
profectò & feruidi oratores.

Iob

Iob in sordibus & sterquilinio Dei in se misericordiam prouocauit. Latro infami ligno trabalibus affixus clauis, & cœlo vim fecit, & Seruatoris sui aures, animumque oratione sua pulsauit & euicit.

Agnes tenellula virgo infandum lupanar suis precibus propè in oratorium vertit: ita locus omnis pijs mentibus orationi, & esse & videri potest aptissimus; adeò verum illud D. Basilij: ad orationem non locus, sed propositi initium requiritur.

Huiusce rei rationem si quæris, ea est in promptu: humanus animus utpote immortalis & expers corporeæ molis, à loco non pendet, nec in seipso, nec in sua actione: ubique suus est, ubique liber, ideoque ad orandum ubique expeditus; & hoc verissimum de ea oratione quæ mente concipitur, in ea hæret, nec foras erumpit. At illa quæ vocalis dicitur, locum omnino decentem & quietum amat, nisi necessitati parendum esse dixeris, non satisfaciendum voluntati.

His ita ex vero constitutis, de propositâ quæstione ita statuo; Horis Canonicis exsoluendis locum proprium esse aut chorum, aut cellam; hanc si priuata, illum si publica fuerit oratio.

Situs autem corporis is esse debet qui eum non dedeceat, qui se senserit cum Deo loqui: hinc aut flexis genibus, aut stans orabit; aut si valetudo non ferat, humiliter sedens; hæc enim corporis com-

438 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
positio argumentum est reuerentis animi, & ad  
diuina colloquia contremiscentis: contra vero aut  
indecorè sedere, aut pronum iacere, aut immodestè  
circumcursare, indicium est vagæ & dissolutę men-  
tis, parum ad sacra quæ decurrit officia attendentis:  
quod & cœlum damnat, & ipsi quoque irrident  
Inferi. Argumento fit illud quod refert Petrus Da-  
mianus. Prior, inquit, vnus aliquis, cui nomen  
Ioannes, ab infirmâ debiliq̃ue valetudine plus æ-  
quo sibi indulgens, sæpius Completorium decur-  
rebat mollius iacens in lectulo: ita quandoque vi-  
ri etiam aliàs religiosi sibi nimium blandiuntur, &  
cutem non probè curant. Euenit autem vt ei offer-  
retur Dæmoniacus aliquis quem sacris Ecclesiæ ex-  
orcismis sanare, & malo hospite liberare dum stu-  
det, instatque vehementius, sic ei Dæmon: tu ne il-  
le es qui sub cotto quotidie Completorium insu-  
furras, modo me quasi sanctus eijcere, & iuris mei  
vasculum de meo vis dominio liberare: per me,  
per Inferos non facies, & vero etiam non fecit; sed  
ad se, cellamque redijt multo suffusus rubore, & à  
malo genio benè doctus. Quod si etiam apud In-  
feros malè audijt orator ille, qui tamen à morbo,  
debiliq̃ue corpusculo causam aliquam prætexere  
potuit, quomodo bene audiet is qui cum vegetus sit  
& valens, horas Canonicas recitat, aut indecorè cu-  
bans, aut petulanter inambulans, parum memor  
diuinæ

Damia. 1.  
de mir.

oriloq

8 III

diuinæ

diuinæ illius Maiestatis, sub cuius tamen est conspectu, & quam ( vt ait S. Chrysologus ) *pauent* Serm. 5.  
*Angeli, Potestates metuunt, & in faciem proruunt*  
*cæli seniores* : quos vt in terris imitere, author tibi  
 sum, vt aut stans ores, aut ( vt inquit Tertulianus )  
 Deum tuum *de geniculis adores* ; sic adorauit Paulus,  
 qui hoc de seipso : *flecto genua mea ad Patrem.* Ephes. 3.

Sic D. Bartholomeus qui centies in die flectebat.

Sic D. Iacobus, qui quod *assiduè coram Deo flecteret,* Lib. 3. Heres. 78.  
 callosam genuum duritiem contraxerat, vt  
 testatur S. Epiphanius.

Sic D. Augustinus, qui primorum Christianorum  
*trita genua* appellabat, & de seipso ingenuè  
 addebat illud : *quotidie ad Ecclesiam curro, genua* Tract. 3. in Ioan.  
*mibi trita sunt in orationibus.* Utinam & tibi trita  
 sint ( amice Lector ) ex oratione, auitaque pietate.

§. 5.

*Qui obligentur ad horas Canonicas?*

**C**ommunis Theologorum sententia habet, ad  
 horas Canonicas obligari primum eos omnes  
 qui sacris, ac maioribus ordinibus initiati sunt.  
 Tum etiam eos, qui beneficium Ecclesiasticum  
 possident, vnde petatur bona pars honestæ sustentationis.

Tum denique religiosos omnes professos, & ad  
 chorum destinatos. Et hæc communi Doctorum  
 sensu tradi solent.

Cen-

Censuerunt tamen nonnulli, eos, qui ad ordines promoti sunt, nomine, ac ratione patrimonij, ad diuinum officium non teneri. Alij obligari tantum Sacerdotes, non autem Diaconos, aut Subdiaconos, iura enim meminerunt tantum Presbyterij; non autem Diaconi, aut Subdiaconi.

Tract. de  
orat. c. 7.  
nu. 2.

Vnde ingenuè fatetur Nauarrus nullum in iure Canonico extare decretum, quo præcipiatur Diaconis, aut Subdiaconis, vt diuinum officium percurrant. Cum enim iura illigent tantum Presbyterum, pressius accipi debent, non extendi, ex illa regula Iuris. *Fauores ampliandi, odia restringenda.*

Exc.  
Presbyter.  
d. 91.

Verum vt hæc ita esse fateamur, dicendum tamen cum Nauarro, & communi sensu Interpretum Iuris Canonici: omnes initiatos sacris ordinibus, Diaconos omnes, ac Subdiaconos *generalitertius Ecclesiæ consuetudine eadem lege teneri, qua Presbyteri, qua Clerici beneficiarij: consuetudo enim vim legis habet moribus gentium recepta.*

De Religiosis professis, & choro addictis etiam conuenit inter authores, eos ad diuini officij pensum obligari. Verum lis est, ac contentio, qua lege, quo iure?

In sum.  
verb.  
hor. Can.

Caietanus vult tantum teneri sola consuetudine, quæ vbiq̃ue locorum inualuit; non autem vlllo Iure Canonico.

Paludanus hoc onus naturali iure eis impositum esse

esse contendit; vel eò tantum, quod populi elemosynis sustententur, ac viuant; ideoque pro eis <sup>In 4. d. 15. q. 5. ar. 1.</sup> ut orent, ac psallant incumbit. Vt ut sit, hic non disputo, sufficit in præsentia teneri.

De beneficiarijs res est extra controuersiam, de <sup>D. 92. c. ult.</sup> ijs enim loquuntur iura, & clamat vulgatum illud, *beneficium Ecclesiasticum datur propter officium.* Vbi glossa notat, *ideo priuatus officio, priuatus quoque est beneficio, cum sit eius sequela.*

Sed vna quæstio reliqua est, quo iure ad officium teneatur beneficiarius? an naturali, an diuino, an Ecclesiastico, an hoc, & illis?

Siluester docet beneficiarios solo Ecclesiæ præcepto ad diuinum officium persoluendum astringi. <sup>Verb. hora. q. 8. d. 9.</sup> Nauarrus iure tum diuino, tum naturali, tum Ecclesiastico. <sup>De orat. c. 7. n. 3.</sup>

Pro diuino iure appellat illa verba Prophetæ Regij. *Septies in die laudem dixi tibi.* Verum ut in <sup>Pf. 118.</sup> genue pronuntiem, quod in hac parte sentio, ex hoc Scripturæ loco, nihil peti potest, vnde ea beneficiario lex, ea necessitas incumbere videatur: etsi enim Dauidi ea fuerit consuetudo, non præcepto imposita est, sed voluntate suscepta: neque extat vestigium vnde beneficiarijs in posteros annos, & sæcula dicatur esse deriuata. Pro iure naturali, & quadam Iustitiæ lege multa faciunt argumenta.

Primum, omnium ore, calamoque expressum

Kkk

illud

442 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
illud axioma. *Beneficium datur propter officium.*

Alterum quia æquitatis, & Iustitiæ ratio postulare videtur, vt altari seruiat, qui de altari viuit. Accedit deinde & Tertium, quod laici frugum primitias, decimas, ac cæteras oblationes Ecclesijs reliquerint, vt in ijs videretur, qui diuinis intentus esset officijs, qui Deo supplex accideret, qui pro ipsis cœlum, ac superos exoraret.

Ex quibus omnibus primum conficimus illud, beneficium non tam esse virtutis præmium, quam laboris mercedem, ac stipendium exhibitæ operæ.

Deinde cum, qui officium omittit, reipsa non facere fructus suos: sed pro rata ad restitutionem teneri: cum enim fructus sit merces operæ, ac laboris stipendium, si operæ nulla fuit, si nullus in persoluendo officio labor: certè nec stipendium, nec merces debetur, imò nec accipi potest.

Sed hinc exurgit difficultas altera, quæ pars officij prætermissa obliget ad restitutionem? & cui ea facienda sit?

Suarez hanc regulam ponit, quoties ommissio officij est mortalis, toties incumbit onus restitutionis. Cum quo ferè consentiunt Fillucius, & Diana qui docent esse debere omissionem vnus horæ integre: quæ scilicet etiam peccato lethali obnoxium reddat.

Ad alterum, cui ea facienda restitutio, etiam  
conuenit

conuenit inter Doctores, faciendam esse aut fabricæ, aut egenis, aut applicari posse Missis, ac sacrificijs pro defunctis, nam & hi inter egentes reponi possunt.

## §. 6.

*Quale peccatum sit horarum omissio?*

**H**Ac in parte nihil referam ex mea sententia, nihil ex me definiam: producam tantum Doctorum fidem, & authoritatem.

Angelus censet eum qui horas omittit, vel ex contemptu, vel ex consuetudine, vel cum aliorum <sup>Verbo</sup> <sup>horarum,</sup> <sup>10,</sup> offensione peccare lethaliter, secus autem si absit contemptus, consuetudo, scandalum: etsi enim irrepat aliqua negligentia, existimat ex ea tantum contrahi noxam venialem.

Contra illum acriter pugnant Doctores alij, Canonici Iuris, ac legum Interpretes, quorum ea vox, ea est communis sententia, eum qui horas omnes omittit sine causa, mortalis culpæ reum argui.

Authoritati suffragatur ratio, quia cum lata lege vel recepta consuetudine incumbat præceptum, & hoc in re graui, qui illud præterit obnoxius est grauioris noxæ.

Sed & altera hinc emanat quæstio, an qui totum officium omittit censeatur ille vnicum dumtaxat lethale peccatum committere, an plura? tot scilicet quot horæ?

*De iust.  
& Iure l.  
2. c. 37. d.  
9. n. 53.*

Authores in duas feruntur sententias, mitior vna, durior accidit altera. Hæc Lessij est, existimantis esse tot peccata mortalia, quot sunt horæ.

*Tom. 3. d.  
6. q. 2. p.  
10. De Re.  
lig. tom.  
2. l. 4. c.  
25.*

*Opusc. de  
benef. c.  
4. §. 1. d.  
5.*

Rationem ex eo si quæras hanc depromit, quod singulæ horæ singula sint, ac distincta officia; in quæ cadit præceptum. Contra tamen sentiunt, & loquuntur alij, Valentia, Suarez, Vasquez, quibuscum voluitur, & ab itorrens Theologorum: qui docent esse vnicum tantum peccatum.

Causa in promptu est: officium enim quantum est, vna est oratio, vna actio, composita è septem horis, veluti totidem partibus, adeoque illius omissio est vna, vnumque peccatum. Quæ ratiocinatio si vero propior est, vt esse certè videtur, vnà ruit fundamentum Lessij, eiusque ratio penitus labefactatur.

Ei lucem addet opportuna similitudo: etsi enim vnum aureum furari, communi Doctorum sensu peccatum sit lethale, non tamen inde argues furari decem aureos, esse decem peccata mortalia, sed vnum altero grauius. Idem in quæstione proposita esto iudicium. A qua priusquam discedam: duo calamo leuiter notabo, quæ sæpius occurrunt, & quidem.

Primum, an qui præpostero ordine preces Canonicas recitaret, censeretur ille grauioris peccati reus. In eo conspirant omnes si id ex causa fiat, aut in-

inadvertentia nullum esse peccatum : sin autem destinato consilio, ex more, & sæpius fiat, Vasquez in culpa mortifera reponit : quia præpostera illa officij ratio, lectioque, ordini Ecclesiæ, & communi consuetudini derogare videtur.

Mitius ediderunt Bonacina, Lessius, alijque, qui etsi concedant esse noxam venialem, negant in mortalium peccatorum serie reponi posse, & merito : quia eo casu ponitur substantia præcepti, & error tantum est in circumstantijs, qui tantam culpam non inducit.

Huic vicina, & affinis altera quæstio, an qui officium pro officio legit ; an & ille peccet, & an repetere teneatur ?

Censent Theologi, etsi ex certa scientia, & destinata voluntate id fieret : non euadere tamen ad reatum culpæ mortalis : sed venialis dumtaxat. Quia præceptum Iuris Canonici est ; vt legantur septem horæ, & hæc illius præcepti substantia, hoc autem, aut illud officium, spectat ad circumstantiam, in quam qui incurrit, non illico lethalem culpam dicendus est incurrisse.

Ex quo conclusum id velim cum Siluestro, cum qui officium pro officio exsolueret, non teneri repetere, hoc enim etsi consilij sit, non tamen est præcepti, voluntatis est, non necessitatis.

*Qui, & quales beneficij fructus?*

**Q**uia superius memini fructuum, quos suos facit, qui Ecclesiae, & altari seruit, non possum quin paucis, ac veluti per transfennam aliquid ex antiquitate delibem, doceamque quid Apostoli, quid Sancti Patres de ijs censuerint: ut ex illorum sensu, ac calculo appareat, qua ratione illos assequi, quomodo ijsdem uti debeamus.

Vulgò eas possessiones, & bona, quæ ex beneficio relinquuntur, vocamus *fructus beneficij*: non sine omine: ut enim fructus enasci solent ex herbescenti viriditate, ac floribus: ita & prouentus illi ex officio; in quo debet esse sua bonæ spei viriditas, sui pietatis, religionis, fidei, charitatis aliarumque virtutum flosculi, à quibus ad animum transeat fructus vberimus.

Apostoli Canone Quadragesimo vocabant prouentus illos Ecclesiae, Græca voce *κυριακά* id est *Dominica*, bona Domini, Dei opes, quæ beneficiarijs committuntur, & quorum exigentur rationes, ut ab œconomo repeti solent. Ex eo fluxit ea in scholis opinio, quæ beneficiarios prouentuum suorum dispensatores amat, & facit, negat autem ex vero esse dominos.

D. Bernardus libro quarto de consideratione ad  
Euge-

Eugenium, appellat *Patrimonium Crucifixi*. Nimirum se bonis omnibus, & vniuerso (cuius tamen erat Dominus) exiit Christus, vt te (ô Clerice) indueret, pauper omninò factus, vt tu illius egestate ditareris. Hoc igitur patrimonium ama, suscipe, vere, vt Crucem soles, ac Crucifixum.

Tertulianus altiore stylo, vocare solitus *deposita pietatis*. Censebant nimirum primi Christiani, qui ad illam beneficentiam inuitabantur diuinis oraculis, suas opes benè, aut piè deponi in manibus Clericorum ad sanos vsus, ad egenorum opem, ac stipem melius & castius per Clericorum manus erogandam.

Urbanus huius nominis primus, qui secundo sæculo vixit, bona Ecclesiastica, dicebat esse *vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum*.

*Vota* quidem fidelium, quod ijs explicarent animi sinus, desideria panderent, & vna cum sacra illa, regiaque munificentia, vota, precesque pro salute, & incolumitate sua in cœlum emitterent, vt si quæ forte contractæ essent labes, si quæ maculæ peccatorum, eæ omnes attributo Ecclesiæ sensu, amplissimisque possessionibus eluerentur, & inde eas nominare placuit *pretia peccatorum* quod ijs quodammodo peccata sua redimerent, lytrumque supremo Iudici etiam viui, ac spirantes penderent. Addit pius Pontifex eadem Ecclesiæ bona esse

*patri-*

In Apo-  
log. c. 39.

In Ep. ad  
Christia-  
nos.

448 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
*patrimonia pauperum*, cui consentit Ambrosius,  
cuius hoc est breue, elegans, & pium pronun-  
tatum.

*Adu. reb. sym.* *Possessio Ecclesie sumptus est egenorum.*

Ex illa persuasione factum opportunè, & piè, vt  
multis in locis pauperes Ecclesie bonis, ac Clerico-  
rum prouentibus vterentur. Romæ certè sub Cor-  
*Euseb. l. 6. c. 35.* nelio summo Pontifice, mille & quingenti ab Ec-  
clesia nutriabantur. Reliqui sumptus cedebant Cle-  
ro, qui tum temporis in communi vitam agebat,  
& inde Clerici, olim dicti Cœnonici, hoc est in  
commune viuentes.

Hæc fuit auita maiorum nostrorum pietas, hic  
sensus antiquitatis; hæc summorum Pontificum  
oracula, hæc sanctorum virorum placita, hic vsus  
bonorum Ecclesiasticorum, à quo mirum quan-  
tum aberrant. Primum ij, qui ea in consanguineos  
effundunt, vt illis pinguescat caro, & sanguis, au-  
geantur amicorum fortunæ etiam supra datam à  
natura sortem: quod impietatis est genus quod-  
dam, exuere *Crucifixum*, vt amicum, vt consangui-  
neum, vt mundum induas; nec minus peccant illi,  
qui aut sordida auaritia, ex Ecclesie prouentibus  
arcas suas onerant, ac fatigant, aut insano luxu in  
suas voluptates foedè prodigunt.

## §. 8.

*Quæ attentio requiratur in horis Canonicis,  
vt Ecclesiæ præcepto fiat satis?*

**A**ntoninus Diana Clericus Regularis, & sancti officij in regno Siciliae consultor, ait, sibi Tract. 2.  
de hor.  
Can. re-  
solu. 1. quondam propositas fuisse duas pro exoneranda conscientia quaestiones.

Prima hæc fuit. Petrus Beneficiarius per septem integros annos, diuinum officium legit sine attentione: quaesitum an fructus fecisset suos; an ad eorum restitutionem teneretur?

Altera fuit ista, in eodem Siciliae regno, in quadam Ecclesia (cuius nomini parit) Canonicus in choro confabulari solitus, nec vllam externo corporis habitu afferre attentionem: petitum an ille distributiones fecisset suas. Resol. 2.  
v. 11.

Has quaestiones attingit Diana, & tum ex suo sensu, tum ex aliorum Doctorum placitis resoluit; & quidem ad primam quaestionem producit variorum authorum fidem, qui in alias, atque alias feruntur sententias.

Vna fuit, cum Beneficiarium qui per septem integros annos legisset horas sine debita attentione non fecisset fructus suos, & hinc imponendum ei onus restitutionis. Pro hac sententia citat Petrum Nauarra, L. 2. c. 2.  
In 3. p.  
tom. 5.  
Disp. 4.  
sect. 2.  
Disp. 9.  
sect. 1. C.  
4. §. 1.  
dub. 4. Suarez, Salas de legibus, Vasquez opusculo de beneficijs,

450 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
beneficijs, aliosque complures Theologos, quos, vt  
breuior sim, omitto.

Ratio, qua nituntur authores, est ea, quod cum  
attentio sit modus substantialis (da veniam beneuo-  
le lector si quandoque vtar voce minus latina, ea  
certè vtuntur Theologi, qui rem amant, non ver-  
ba) pertinet ad substantiam præcepti, adeoque, qui  
illam non exhibet, nec præceptum adimplet  
censendus est.

L. 2. c. 37.  
d. 11. P. 1.  
l. 10. c. 13.  
g. 3. In  
2. 2. tract.  
10. c. 2.  
dub. 4.  
l. 2. c. 12. Sunt tamen & Theologi magni nominis, qui  
in aduersam transiere sententiam, Lessius, Azor,  
Malderus, Toletus, alijque. Hi censuerunt cum  
qui sine attentione horas percurrisset non teneri  
ad fructuum restitutionem; quod vt appareat.

Caëtanus aduertit, duplex ab Ecclesia latum esse  
præceptum. Primum fuit legendi horas, cui deinde  
accessit alterum, legendi *studiosè*, & *deuotè*, cum  
enim non sine mœrore, grauique sensu videret Ec-  
clesia, pia Mater, è beneficiarijs nonnullos, spiritu  
tantum vocis, ac labiorum officia diuina decurre-  
re, vt ijs modum poneret; constituit vt *studiosè*, ac  
*deuotè* diceretur.

Extat ea lex lata à Concilio Lateranensi, Capitu-  
lo. *Dolentes*, è quo petuntur illa verba; *officium  
diuinum celebretur studiosè pariter, & deuotè.*

Contra hoc præceptum peccat qui sine attentio-  
ne horas Canonicas decurrit, & peruoluit; non ta-  
men

men illico conficitur astringi debere ad fructuum  
iam perceptorum restitutionem.

Cum enim ea restitutio sit pœna lata in omit-  
tentes horas, ille autem ex vero non omittit, sed tan-  
tum malè legit, ea pœna illum non afficit.

Supereft tamen alia difficultas, an is, qui sine at-  
tentione horas Canonicas euoluit, censeatur il-  
le Ecclesiæ præcepto satisfacere? an reus peccati  
mortalis? vt mollior ad eam difficultatem super-  
andam sternatur via, præmittendum duplicem ad-  
hiberi posse attentionem. Vna externa, ea posita est  
in verborum pronuntiatione, & compositione cor-  
poris, qualis oranti esse solet.

Alia interna, hæc est actus mentis sese in Deum,  
& res diuinas erigentis.

Quæritur à Theologis quæ ex ijs requiratur at-  
tentio, & sufficiat. Hic rursus itur in duas sen-  
tentias.

Vna omninò requirit internam attentionem, ea  
nititur duabus potissimum rationibus, è quibus  
hæc prima. Lectio horarum est actus orationis, ac  
religionis, hic autem nec esse, nec censerì potest, ni-  
si interna mentis attentio accesserit.

Altera appellat impositum præceptum à Con-  
cilio Lateranensi: *officium diuinum celebretur stu-  
diosè pariter, ac deuotè; deuotè quantum ad offi-  
cium mentis*, inquit glossa.

*Lib. 10. q. 5. ar. 5.* Pro hac sententia steterunt plurimi, Sotus, Caiet.

*In 22. q. 83. ar. 13. de orat.* Nauarrus, Lessius, alijque.

*e. 13. Lib. 2. c. 37. d. 11.* Non desunt tamen, quibus si minus ad sensum pietatis, at certe ad præcepti leges, & vincula, sufficiat externa illa attentio, quæ verba exprimit, & speciem habet orantis, nihilque externo corporis habitu admittit, quod alienum sit ab actu externo religionis.

*In 4. sent. 15. q. 12. num. 13.* Pro hac pugnat Durandus, acere, & vehemens

*17. 3. Part. tit. 13. c. 4.* ingenium. Silvester, & Angelus verbo hora, D.

*In 4. dist. 15. q. 5. ar. 2.* Antoninus, Paludanus, Diana, alijque; quamplurimi.

*Tract. de hor. Can. Ref. 2.* Hi ducuntur ea ratione, quod Ecclesia non possit præcipere actus internos, cum nec eos punire, imò nec cognoscere possit extra forum confessionis: deuotio autem, & interua attentio actus est mentis internus; ideòque ad eum non euadit Ecclesiæ præceptum.

Ex hac sententia conficitur illud, quod is, qui inter legendum horas sua voluntate, ac culpa distractus est, nec lethale peccatum incurrit, nec poenam restitutionis, nec onus officij repetendi.

Et hæc quidem opinio opportunè laxare potest recessus angustæ, & scrupulosæ conscientiæ; quæ nusquam est tuta, ubique timida, nutans, anxia à scrupulis, ac stimulis, quibus angitur.

At certe vt dicamus illud, quod ex nostra in malum conniuentia euenire solet, etiam importunè aperire,

aperire, atque effundere nimium patentes & laxos  
 sinus, conscientie eorum hominum; qui seruatorum  
 in morem ducuntur metu poenae potius, quam  
 suavi virtutis illecebra, atque amore; quem quia  
 in lectoris animum imprimere volo, proponam  
 in praesentia, quae faciunt ad studium virtutis, &  
 officia pietatis. Si tamen prius attigero, solueroque  
 nodum secundae quaestionis: Ea spectabat Canoni-  
 cum, qui in choro fabulis totum tempus atterit, &  
 fallit: an ille distributiones faciat suas?

Respondet Diana non facere, quia in eo neque Resol. 7.  
 est interna attentio, neque etiam externa, confabula-  
 tio enim actus est externus, qui pugnat cum actu  
 externo orationis, ac religionis.

Garzia tamen de beneficijs, etsi fateatur Cano- Tom. 5. p. 3. c. 2.  
 nicos in choro toto tempore diuini officij confabu-  
 lantes peccare grauiter; negat tamen obligari ad  
 restitutionem distributionum quotidianarum: quia  
 ad has credit satis esse nudam praesentiam.

His ita constitutis venio ad alterum caput, quod  
 mihi proposui, & quaero ex studio virtutis, qualis  
 esse debeat horarum lectio.

## §. 9.

*Quae attentio requiratur in legendis horis ex,  
 virtute, ac perfectionis studio?*

**P**rimum videbo quae improbetur, tum deinde  
 quae probetur oratio.

D. Chrysoftomus aurea vt solet eloquentia, deplorat vitium humanæ mentis, & vagæ cuiusdam  
Serm. 5. inconstantia. *Sæpe*, inquit, *homo cum est in se non est secum* stulta nimirum, & inutili peregrinatione exul est à se, & à Deo suo; gyrouagus in oratione;  
Coll. 4. c. 2. quam Cassianus eleganti metaphora appellat *nutabundam*, & quodammodo *ebriam*. Vt enim ebrius ab effuso vino, & nimia spirituum in cerebro exundantia, nutat, cespitat, & in transuersum agitur, nec vlllo fixus haret vestigio: ita plerofque videas, quorum mens in oratione velut ebria est, & nutabunda; nulla enim cogitatione distinctur; sed huc, & illuc elabitur, vt solent malè poti.

Hoc genus precum D. Paulus ad Timotheum  
1. ad Timoth. 2. vocat: orationem *cum disceptatione*; est enim in ea disceptatio, lis, & pugna multarum cogitationum inter se certantium, quæ potius animum ad se rapiant, ac morentur. Statuatur ergo primum illud: absit ab animo oratio peregrina; absit & illi affinis ea quæ duplex appellari solet.

Græci duplicem orationem, & animo duplices appellabant irreligiosos illos oratores, qui scilicet mentem in diuersa abripi sinunt, & vnâ illius partem Deo, alteram vanitati, ac mundo concedunt, contra quos pugnat illa constitutio Apostolica; quæ à Clemente traditur.  
Const. Apost. l. 7. c. 12.

*Ne sis duplex animo in oratione tua.*

Pugnat,

Pugnat, & illud votum Prophetæ regij: *Læte-* Pf. 85. v.  
*tur*, inquebat, *cor meum*, *ut timeat nomen tuum.* II.

D. Hieronymus ex Hebræo vertit; *Vnicum fac cor meum.* Symmachus: *Aduna cor meum.* Aquila: *fit cor meum* μοναχῶς; *Unice tibi intentum*, non distractum, non diuisum. Ut porro sit eiusmodi, ad seipsum reuocari debet orantis animus, & intra cordis penetralia claudi, ne exeat, ne vagetur.

Hoc olim notauit, monuit, vtilit Ambrosiana eloquentia, quam auidis auribus excipe, ita enim habet. *Cubiculum tuum, arcanum animi secretum est.* Lib. d. A. bel. c. 9.  
*In hoc cubiculum tuum intra, hoc est, egredere de corporis tui exteriori vestibulo, & totus intra in alta præcordia cordis tui, & claude ostium: ne fortè irrepat, & subintret malus animi prædo, & dissipator cogitationum: ne, vt piè differit Bernardus: *vel* Ser. 23. in cant.  
*sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea quæ difficilius amouentur irruentia imaginum corporearum phantasmata auocent, atque dissipent.* Fit enim nescio qua vel in malum conniuentia, vel prauis affectibus, vel dolo cacodæmonis, vt tum maximè incurrat importuna negotiorum turba, vt de ea etiam querantur viri sancti, & velint, nolint, ab illa aliquid patiantur. Hieronymum audi, cui nox & dies vna fuit oranti. Is ita de seipso queritur. *Creberrimè, inquit, in oratione mea aut per* In Dialog. adu. Luciferianos.  
*porticus deambulo, aut de fœnore cogito, aut abdu-*  
*ctus**

*Etus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt gero.*

Hæc ubi de se ingenuè confessus est; tum indignabundus exclamat. *Vbi est fides? sicine putamus orasse Ionam? sic tres pueros? sic Daniele inter Leones? sic certe Latronem in Cruce?*

Producit magnos Oratores vir sanctus, Ionam, quem irata maria, fluctuum æstus, insolens ventorum turbo turbare non potuit.

Tres pueros, quos ad lambens ignis, & flamma vorax ab orationis æstu non reuocauit.

Danielem, cui nec alta spelunxæ nox, & squalor; nec viui, ac spirantis sepulchri horror, nec ingenta Leonum ferocia, in oratione languidum, & anxium fecit.

Denique Latronem, cui inter extrema supplicia, & acerbissimæ mortis imaginem, cum neque pes, neque manus liberæ forent; lingua tamen libera fuit, & ad orationem expedita. Et eam, sibi, alijsque amat Hieronymus. Ut autem ipse assequaris, attende, quem in Hebræis animum esse Deus voluerit.

Dederat illis in mandatis, vt ter quotannis abirent à suis ædibus, & tabernaculo sese sisterent Deum deprecaturi. Ac ne fortè quemquam angeret cura domus, ne ferè vacua hospitibus tecta, latrunculis obuia, & patentia obijci possent; eos omni periculo liberos, omni que metu vacuos esse voluit;

ad

adpromisit enim fore, vt eorum bonis, ac domibus nemo vnus omnium infidiaretur. Hæc diuinæ sponſionis fuere verba.

*Nullus infidiabitur terra tuæ ascendente te, & Exod. 34. v. 24.*  
*apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.*

Vt promissum, ita & factum. Ibat liber Hebræus, & domos, & tecta, & supellectilem altiori prouidentia committebat, atque etiam inter hostes, ac rapinas addictas animas, nesciebat quid esset vel vnus casæ expilationem suspicari. Nimirum ei pro tecto cælum, pro custodia Deus: cui oratio à curis expedita, & immunis ita placuit, vt se pro eorum fortunis vadem, ac sponso rem faceret: quod ipsum disertè notauit Augustinus.

*Hoc, inquit, vult Deus intelligi, vt securius quisque ascenderet, ne de terra sua sollicitus esset Deo promittente custodiam: Ne scilicet distraheretur Israël's animus, & aliquam sui partem deferret in Dei tabernacula, alteram nimia rei familiaris curâ, ac sollicitudine domi quodammodo relinqueret.*

Certè de hisce præposteris orationibus quæstus olim Deus. *Auerterunt, inquit, facies suas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorsum.* Facies dico suas, id est conceptus, & imagines mentis auerterunt à Deo suo, & illi quodammodo terga verterunt, contra honestatis leges, & debitam supremo Numini reuerentiam. Sit ergo hæc secunda lex.

M m m

orantis.

458 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
orantis. Ad Dominum conuertat cogitationes om-  
nes suas, auertat nunquam.

Huic adde & alteram, affectus etiam suos &  
animi impetus omnes eodem dirigat. Hoc olim  
voluit Ecclesiastes, cum innuit.

C. 4. v.  
17. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* Quem  
amabo pedem custodiendum ait sapiens? ne crede  
pedem esse corporis, ne fortè incurrat in limen, ne  
offendat, ne cespitet, quod antiquis mali ominis  
fuit, ex superstitione magis, quam ex veritate: sed  
pedem animæ, hoc est affectiones, ipsumque cor,  
earum fontem, & officinam seriò custodiendum  
præcepit. Agnoscebat nimirum vagos sæpius esse  
animi motus, & fugitiuum cor; quod & agnouit

Pf. 59. v.  
13. *Dauid; cum ita queritur. Cor meum dereliquit me.*  
A me quodammodo abiit abreptum insolenti crea-  
turarum æstu, impetuque, quem fregit, & cor ad

2. Reg. 7.  
v. 27. *Inuenit, inquit, seruus tuus cor suum  
ut oraret te oratione hac. Quæ verba D. Augusti-  
nus ita explicat. Inuenire se dixit cor suum, quasi so-  
leret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitiuum, &  
non posse comprehendere, & clamare ad Dominum:  
quoniam cor meum dereliquit me.*

Quod si Dauidem quandoque cor dereliquit,  
est certè quod nos humiles animæ, id ipsum sæpius  
queramur, & gemamus, quod in oratione cor  
nostrum nos derelinquat, & vagum ad creaturas  
effugiat:

LIBRARIUS

M M M

effugiat: vt reuocetur, vt sistatur, & quasi ad sanctam anchoram adhærescat: sit tibi horarum lectio oratio, quæ dirigatur sicut incensum in conspectu Domini, hoc est more, modoque thymiamatis, quod & suauissimum spirabat odorem, & recta sursum ferebatur.

Rabbi Kimhi in Iob agnouit in eo suffitu, ac suffumigatione miraculum. Ex Alexandrina Ciuitate Hierosolymam euocabantur viri præstantes in arte suffumigandi; & quodames, ac mireris; sacer ille fumus, & odorata expiratio, tam directo itinere sursum attollebatur, vt nulla vi, nullo ventorum turbine vllam in partem flecti possiet; quod ipsum non humano artificio, sed diuino prodigio contigisse viri magni suis monumentis prodidere: nec immeritò: quid enim leuius fumo, & odorata illa nube, quæ sibi relicta flectitur partes in omnes, vêtis paret, auras sequitur, earum ludus, ac ludibrium. Sola nubes sacra, fumus vnus thymiamatis in latera flecti nescius, nescius ventis obedire. Erat nimirum ea exhalatio typus aliquis orationis, quæ recto tramite in cælum, in Deum ferri debet, nec in terram abijci, aut ad creaturarum latera declinare.

Eam deuotæ mentis elèuationem in primæuo Christianorum more expressam lego. Hi sub ipsa Ecclesiæ incunabula, consuetudine plena religionis, & inusitata pietatis, cum in templo sacrae præ-

M m m 2

cationi

460 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
cacioni darent operam, cum Psalmos canerent, in  
clausulis orationum pedem attollere soliti, vt præ  
amore sempiterni domicilij, studioque magno  
rerum cœlestium viderentur iam è corporis taber-  
naculo migrare velle, & cœlo reddi, Deoque iungi.

Lib. 7.  
Stromat. Eum morem expressit Clemens Alexandrinus  
in hunc modum. *Pedes attollimus* in extrema ora-  
tionis acclamatione, prompto animo, & alacritate  
insequi cupientes beatam illam naturam, quæ sola  
mente, & intelligentia percipitur.

Lib. 3.  
Antiq. c.  
1. Ad eandem elationem animi, sublimesque in  
oratione cogitationes, desideria, affectus entheos,  
spectat ea, quæ olim in Moyse fuit corporis com-  
positio, & manuum, ac brachiorum eleuatio. Quam  
etiam mirabili prodigio cœlum ipsum commen-  
dare voluit. Vt enim mihi author est Iosephus, dum  
Moyse innoxias ad superos manus attolleret, ros è  
sublimi æthere defluus, in precantis manibus con-  
creuit; vt donum piæ orationis esse intelligeret.

Eo rore probè delibutus Moses, cum gustasset,  
miram in eo suauitatem amauit, & alijs gustan-  
dum obtulit, qui magnas in eo gulæ, palati que il-  
lecebras demirati, præ stupore attonitæ mentis ex-  
clamarunt: *Manhu?* quid est hoc?

Quod si Moyse, primisque Christianis adeò cu-  
ræ fuit ea mentis in Deum eleuatio, in qua summa  
orationis est: certè & ea Clero esse debet, qui ex  
prima

prima officij sui ratione horis Canonicis, & orationi totus est destinatus.

Argutè sanè, & sapienter Eusebius Emiffenus animaduertit inter Clericos poni columbam argentream de qua Psaltes regius. *Si dormiat is inter* Ps. 67. *medios Cleros, penna columbae de argentata.* Penna quidem, vt in cœlum assurgat Clerus, & sublimis euolet, oratione ceu alarum remigio euectus. De argentata verò ob eximium nitorem morum & singularem vitæ innocentiam; quæ eum statum decet quam maximè: vt enim neruosa eloquentia D. Augustinus: *quid prodest, quia hymnum cantat* In Ps. *lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua?* enim-<sup>102.</sup> vero nihil prodest, nisi ad ignominiam, & dedecus æuiternum.

Sed & alterum est, cui inuigilare debet pius Clerici labor, & industria, vt ab horarum penso, diuinisq̃ue officijs absit irreligiosa illa præcipitis animi festinatio, index summæ leuitatis, & exiguæ deuotionis, alienæ à Dauidis ingenio, sacraque Psalmodiæ institutione.

Vt enim scitè notauit D. Gregorius Nyssenus, *Tract. 2.* *in Psalm.* *c. 10.* Dauid primus, regiusque Psaltes, in sacris hymnis, canticisque suis sæpius interposuit Diapsalma, siue, quod barbara voce dicimus frequenter *Posas:* vt essent notæ cessationis alicuius, & subitæ quietis inter psallendum factæ: ad receptionem diuinitus

462 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
immissæ illustrationis. Nimirum ijs qui Daudico  
spiritu canebant, vsu veniebat illud, vt inter oran-  
dum, obuenerent deuotæ aspirationes animi, quæ  
corporis spiritum quodammodo intercluderent,  
sisterentque: occurrebant cœlestia lumina, quibus  
dum occuparetur mens, & intelligentia, vox ipsa  
supprimebatur & conticescebat. Et hæc fuerunt olim  
benigniores cœli influentiæ, quas non sentiunt il-  
li cursores nostri, qui non tantum abest vt paulu-  
lum interquiescant religionis ergo, quin potius præ-  
cipiti rotatione Psalmos euoluunt, vt horam, imò  
& momentum vltimum cupere solum videantur.

Ab ijs discedere te velim, mi lector, & cum  
Daude os aperire, & attrahere spiritum, primum  
de profundis cordis tui, deinde de altissimis cœli  
verticibus.

*ps. 129.* De seipse testatus olim Daud, *de profundis cla-*  
*maui ad te Domine.*

In hoc versu lusit ingeniosa Sanctorum Patrum  
industria, & pius interpretum labor.

Lyranus, *de profundis*, inquit, clamat Daud, hoc  
est de terra Babylonis, quæ erat demissa, & situ  
profunda, si cum Iudæa componeretur. Treuerus,  
de carceribus ait, & ergastulis, quibus tenebatur  
Israël.

Lorinus, de antris, ac latebris in quas sese receperat  
Daud à Saule exul, & profugus.

Alij

Alij *de profundis* hoc est ex voragine, & barathro infœlicissimi status siue peccati clamasse Dauidem volunt; est enim peccatum abyssus, immensa est vorago, est barathrum, in quo misellus peccator constitutus clamat ad Deum, qui est in altissimis, & quam maximè à se diffitus.

Alij *de profundis*, hoc est è limbo Patrum, è quo clamabant captivæ illæ Heroum animæ, & Messiam è profundo sollicitabant. Et hæc quidem sunt quæ interpretes fundunt in illum locum: sed ad meum institutum omnium aptissimè D. Chrysostomus.

*De profundis*, inquit, clamat Dauid, hoc est de profundo corde, de imis penetralibus, de intimo affectu, & illa est longè perfectissima oratio quæ à corde vitæ sede, & spirituum vitalium officina dimanat.

Fuit olim ventilata illa in scholis quæstio, quæ foret lingua omnium præstantissima: hi Gallicam, Flandricam illi, Latinam isti, Græcam alij voluere; quisque pro suo genio, & affectu, qui plerumque non benè sapit, dum in suis desipit.

D. Hieronymus Hebræam cæteris omnibus anteponit, quia gutturalis est, & plerumque voces ex imo pectore haurit; ideoque ad impellendos ac commouendos animos habetur aptissima.

Vis orationi tuæ, vis sacratori Psalmodiæ inesse  
robur,

464 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
robur, quo superos euincas, quo ipsi Deo superior  
euadas, sit illa gutturalis, trahatur ex intimo corde,  
ducatur è profundis, neue in te cadat illud D. Chry-  
fostomi in quosdam è Clero sui temporis. *Os qui-  
dem resonat, cor autem est inane.* Et hoc Christi ex-  
probrantis oraculum. *Hic populus labijs me hono-  
rat, cor autem eorum longe est à me.*

In Pf.  
140.

Ne, inquam à Deo longè sit, sed quam proximè,  
age vocem deprome, & effer è profundo cordis  
finu, & ad eum, qui est in excelsis, emitte: & altius  
insonabit illa, quo deducta fuerit profundius.

---

## C A P V T XII.

### *De Residentia.*

**I**N hac quæstione quinque mihi tractanda pro-  
posui. Primum, quibus incumbat onus residen-  
di, & quantum illud sit: alterum, quæ subditis com-  
moda enasci soleant si Prælatus adsit, si oues suas  
pascat ipse, regat, moderetur. Tertium, quæ ex ad-  
uerso surgant incommoda, quæ morum inclinatio,  
quæ populi strages, ac ruina, si Pastor à commisso  
grege longius absit. Quartum, quæ in eo vitæ gene-  
re bonorum Pastorum exempla suppetant. Quin-  
tum denique, qua ratione creditam sibi Dicecesim  
bonus Præsul visitare debeat.

S. PRI-

## §. PRIMVS.

*Quale sit præceptum Residentiæ?*

**E**A quæstio institui solet de Beneficiarijs, qui in duas Classes distinguntur, in vna sunt ij quibus à beneficio nulla reliqua est animarum cura: sed pensum dumtaxat diuini officij: tales sunt Canonici, & qui beneficia obtinent, quæ vulgò simplicia appellamus.

In altera sunt ij quibus imposita animarum cura, qualis Episcopis, ac Pastoribus impendet.

De his, & illis immittitur in scholas, & pulpita quæstio, quo iure ad residendum teneantur; diuino, an humano?

De Canonicis, alijsque eiusdem sacratæ sortis hominibus id statuo; ad residentiam obligari Iure Ecclesiastico, quod anno quolibet abesse vetat ultra tres menses; utque illi legi sua vis existat, suaque nectantur vincula, eum qui in eam peccarit, anno primo priuari vult media parte fructuum, anno secundo toto eorundem prouentu. Ita decreuere Pa-  
*Trid. sess.  
24 c. 12.  
de Res.*

Quibusdam tamen in locis audio ex quadam superiorum indulgentia concedi absentiam etiam ad sex omnino menses, vno die minus: sitne vero ea iuri, rationi, pietati, fundatorum intentioni consentanea viderint ij quorum interest: ego nolim esse Censor, & Iudex.

Nnn

De

De Pastoribus autem, Episcopis, alijsque quibus addita animarum cura, ratioque Numini reddenda, illud ex Tridentino confici velim; teneri iure diuino residere, & per se suum officium administrare: ita ferunt verba legis.

*Cum præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est; oues suas agnosce-*  
*re, pro his sacrificium offerre, verbiq; Dei prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera omnia pastoralia incumbere, que omnia nequaquam ab ijs impleri, & præstari possunt, qui gregi suo non inuigilant, & assistunt; sed mercenariorum more deseruiunt, &c.* Ex sacra illa Tridentini sanctione, Patrumque decreto, colligis primum quod Pastoribus & Episcopis impositum sit præceptum; scilicet eiusmodi, quod non ab humano foro prodeat, sed emanet à diuino, deinde quæ ijs indicantur officia caritatis, pietatis, religionis.

Et vero, vt aliquod huic meæ propositioni à ratione pondus accedat; à varijs nominibus quæ Prælati imponi solent disce quid ijs oneris incumbat: vt de facie noscitur homo, ita & in nomine sese aperit, ac legitur officij ratio.

Dicuntur ij primum *Pastores*: appello illud Christi oraculum, quo Petrum Ecclesiæ præsidem,

&

& vniuerso Pontificem dedit, & hac forma inau-  
gurari voluit. *Pasce*, inquit, *oues meas*. Pascere non  
tam dignitatis est, quam laboris; præsentis est, non Io. 21. v.  
absentis; pastoris, non mercenarij, cuius est potius 17.  
mulgere, & tondere, quam pascere: secus omninò  
bonus Pastor, cui, vt piè notat D. Bernardus. *Ter-* In decl.  
*tio dictum pasce, nec mulge, seu tonde vel semel est* Mat.  
*additum.*

Dicuntur deinde in sacris paginis, *ministri, dispen-* 1. Cor. 4.  
*satores, non dominatores in Cleris, sed forma facti* v. 1. 1.  
*gregis.* Dicuntur & *operarij* in vinea Domini, vo- Petr. v.  
cati non tam vt præsent, quam vt profint, non vt 5.  
insolenter quiescant, sed vt impigrè laborent, vt Math. 9.  
plantent, vt euellant, vt destruant quod Eugenio v. 98.  
Pontifici maximo insinuatam voluit D. Bernardus  
mellea, & suauis eloquentia. *Disce*, inquebat olim,  
*exemplo prophetico præfidere, non tam ad imperitan-*  
*dum, quam ad factitandum, disce sarculo tibi opus*  
*esse non sceptro;* quod si sarculo opus, certè, &  
præsent manu, quæ terram sibi creditam, id est im-  
mortales animos excolat; ex ijsque herbas noxias,  
& infœlicia lolia ab innoxijs discernat.

Appellantur etiam *Episcopi*, quod, vt ait Augu-  
stinus, *Nomen est operis, non honoris, & vigiles, ac* L. 9. de  
superintendentes significat. *Quasi desuper, hoc est,* Ciuit. 6.  
ex altiore veluti specula intendant, atque incum-  
bant populorum sibi subiectorum utilitati. De his

Chrysoftomus religiosissimus Ecclesiæ Doctor,

*Hom. 10. in 1. ad Timoth.* Non principatu, inquit, ac dominationis fastu, verum cura regiminis, & charitatis affectu præsideant.

*Supra.* Cui consonat Augustinus spirans ille doctrinarum bibliotheca, & flos christianæ pietatis, ac eloquentiæ: De Prælati ille ita sentit, ac loquitur. *Intelligat se non esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse; honor enim, & sacra infulæ maiestas debet esse in postremis; salus, & incolumitas gregis, in oculis, & primis curis.* Cuius præcepti conscius,

*L. 3. de Confid.* & retinens Bernardus, Eugenium cum omni modestia, ac submissione ita monet. *Præsis, ut profis, ut dispenses, non imperes, hoc fac, & dominari non affectes hominum homo, ut non dominetur tui omnis iniustitia.* Præesse autem etsi possit absens Episcopus: at prodesse vix potest, imperare ut queat, at dispensare vix absenti conceditur.

*1. ad Timoth. c. 3. v. 2.* Denique ne multis morer, in alia, atque alia appellatione, dicuntur Prælati, & Episcopi Doctores, etiam oraculo, voceque Pauli. *Oportet, inquit, Episcopum Doctorem esse; non scripto tantum, sed verbo; quod non emanat nisi ad subiectum, & præsentem populi coronam.*

Quod si ab ijs nominibus, quæ quodammodo propria videri possunt, transeam ad ea, quæ appellatiua sunt, ac metaphorica; auribus, & animo excipiam sublimes illos, & honoris plenos titulos, quibus

bus in fronte maiestatis sede signantur Episcopi,  
dum audiunt *lux mundi*, *sal terræ*, *ciuitas supra* Math. c.  
5. v. 13.  
*montem posita*, *lucerna super candelabrum* *ut luceat*  
*omnibus qui in domo sunt.*

Quod si sint *lux mundi*, orbis oculus, & micro-  
cosmi, id est generis nostri, hominisque, sol longe  
potior illo, quem oculis vsurpamus: certè ne-  
cessum est, vt re etiam ipsa præsentés assistant, &  
suis terris immineant: quis enim nesciat solem il-  
lum, & facem vniuersi minimè profuturam, si oc-  
ciduo semper orbe latitet, & apud Antipodas no-  
stros oriatur, nobis autem ferè perpetuo occidat.  
Certè illo occasu, squallor, situs, strages, ruina se-  
quetur omnium omnino in terris spirantium, at-  
que viuentium.

Sic in homine, mundo spirabili, ac rationabili;  
nisi ei surgat, ac caleat *lux mundi* (hoc est Episco-  
pus) necessum est vt breui, spiritu, ac vita vacuus  
expiret, atque contabescat. Et hæc à luce, Ecclesiæ  
cælo petitur necessitas; alia terræ nostræ à sale.

Dicitur enim & est Episcopus, ac Pastor sal  
terræ: quod eam ritè condat, seruetque illibatam à  
putredine, quæ autem condire? quæ seruare possit,  
nisi intra ipsa terræ viscera, abditosque sinus admit-  
tatur? qui denique vt lucerna splendere omnibus,  
qui in domo sunt, nisi & ipse in domo sit, imo in  
eius medio, centroque, è quo ad omnem circum-  
feren-

470 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
ferentiam perennes, salubres, doctos, pios diuiniore  
sapientiæ, ac virtutum radios euibret.

§. 2.

*Quæ commoda nascantur, ex Prælatorum  
Residentia?*

**M**agnus ille dux Israël, & parens Moses, po-  
puli Principes, & Præsides appellare solebat  
spiritus, quod ij sint populo, quod spiritus, & ani-  
ma corpori: ita quondam ex voto suo precatur su-  
peros. *Num. 27. Prouideat Dominus Deus spirituum omnis car-*  
*v. 16. nis, hominem, qui sit super multitudinem hanc.* Domi-  
num vocat *Deum spirituum*, hoc est Prælatorum:  
quod ij subiectæ multitudini pro spiritu, pro ani-  
ma sint.

Ab anima, ceu parte principe, visitur in fronte,  
in genis, in vultu viuidus color, amcena lux in oc-  
culis, sensus in corpore, motus in neruis, micatio-  
nes in arterijs: vis altrix in iecore, vitalis in corde,  
animalis in cerebro: & rerum propè omnium ima-  
gines, altissimeque cognitiones ab vno spiritu com-  
munes etiam ipsi carni fieri videntur; quem si ex-  
cluseris, hæret illico motus, ac sensus expers, iners,  
pigrum, rude, & informe cadauer, abiectaque cor-  
poris moles, mox in cineres, in vermes abitura;  
tantum in massa carnea, in hominis luto potest in-  
fusa mens, & intelligentia, tantum ab illa accedit,  
vel recedit boni.

Dicam enim vero quod ante dixere Heroes magni, sanctissimi Patres; Pastorem esse suo gregi, quod anima corpori; & ne vna verbis meis sit fides; appellabo D. Hieronymi auctoritatem: agit ille de ijs qui Ecclesiæ, & verbis, & exemplis præfunt. *Si quando, inquit, Doctor quis in Ecclesia concitatus, & vita, qui audientes quasi* Libr. 2. in Ep. ad Gal. *stimulis quibusdam concitet ad virtutes, videmus omnem plebem circa eleemosynas, ieiunia, castitatem, susceptionem pauperum, sepulturas, & cætera similia festinare, feruere, discurrere: Cum autem ille recesserit, paulatim emarcescere, & subtracto cibo tenuari, pallere, languescere, & interitum sequi omnium, quæ prius vigeant.*

Habes à Doctore, ab Episcopo, eleemosynas, ieiunia, castitatem, caritatem, aliaque magnarum virtutum opera, opera, inquam, æternæ vitæ, habes dico illa, & à Doctore ceu anima, & spiritu ducis; & eo ab oculis, à congressu, à sinu tuo longius emoto, eadem in te languescere, collabi, perire sentis, nec adeò mirum, quia tibi decessit Pastor, & Doctor, qui pro altiore datus erat anima; & cum ea quidquid erat vitæ melioris etiam vt decedat est necesse; res exemplis, quam verbis erit illustrior.

Roma vetus quantum hominum oculis altius, extulerat caput, quantum dominij sui fines portenderat: tantum etiam extulerat vanitatis, atque impietatis;

pietatis;

pietatis: ideoque à Ioanne scriba Domini audijs  
*Apoc. 17. plena nominibus blasphemiae, mater fornicationum,*  
*v. 3. v. 5. & abominationum terra.* Quæ nomina non solum

à Christo nato, passoque retinuit: sed & auxit, ab  
 inmani crudelitate, & barbara fidelium cæde, vt  
 non immeritò eodem Euangelistæ calamo scripta  
 sit, *v. 6. ebria de sanguine Sanctorum, & de sanguine*

*Martyrum Iesu:* His nominibus veluti infami sti-  
 gmate notata fuit, vsque dum cælo propitio, alios  
 à Romulo, Remoque nacta est progenitores; Ec-  
 clesiæ principes, cæli ciues; vniuersi magistros, ac  
 Doctores, Petrum, Paulumque: ab ijs habuit vt  
 esset ciuitas sanctitatis, quæ prius ab Isaia præfago

*c. 24. v. spiritu dicta fuerat Ciuitas Vanitatis: quæ nomi-*  
*10. num discrimina, perennemque in ijs fœlicitatem*

*Ser. 1. in Romæ suæ gratulatus Sanctus Leo. Quæ, inquit,*  
*Nat. A- eras magistra erroris, facta es discipula veritatis.*  
*post.*

Si quæras quo omine, quorum auspicijs ea Me-  
 tamorphosis? intelliges à Principibus Apostolo-  
 rum, quos suo gremio admisit, & fouit Roma. *Isti*  
*enim sunt,* (vt eiusdem Pontificis verbis vtar) *qui*  
*te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta, po-*  
*ibidem. pulus electus, ciuitas Sacerdotalis, & regia per sa-*  
*cram beati Petri sedem, caput orbis effecta, latius*  
*presideres religione diuina, quam dominatione terre-*  
*na.* Quod si Roma, quæ scelerum erat vorago, ser-  
 tina vitiorum, idololatriæ sedes, domicilium cru-  
 delitatis,

delitatis, ea nomina, malaque ijs implicita depone-  
re potuit; vel vno præsente, spectante, iuuante Pe-  
tro, quidni & in alias quoque orbis sedes eadem  
melioris vitæ præsidia manare posse credamus, si  
modo ijs suus assistat Pastor, suus præsit Episcopus.

A Roma secundas facile tulit Constantinopolis  
Imperatorum sedes, & Orientis regia, ea primùm  
depravatis moribus effera, deinde à D. Gregorio  
Nazianzeno mitescere docta, & sanctissimis Chri-  
sti legibus parere. *Erat ea ciuitas, eodem Gregorio  
teste, orbis oculus, terra, marique potentissima, orien-  
tis, atque occidua ora velut nodus, & vinculum, ad  
quam extremi totius terræ fines concurrebant, & à  
qua velut à communi fidei emporio incipiebant.* Hæc  
vbi in eius laudem extulit S. Præsul, tum quid in ea  
à se gestum paucis, & modestè commemorat. *Vide,  
inquit, Presbyterorum concilium, canitie, ac pru-  
dentia ornatum, Diaconorum modestiam, Lectorum  
concinnitatem, plebis discendi studium.*

Quæ omnia virtutum ornamenta vel vni Gre-  
gorio ascribi debent; cui præsentia ea addita, absen-  
ti certè detrahenda. Sed ab eo Constantinopoli, &  
Neocæsaream vela facio; eius clauum diu tenuit  
Gregorius alter, cui vis prodigiosa mirabilium  
Thaumaturgi nomen fecit.

Imminebat S. Præsuli dies vltimus, & sanctioris  
æui meta; quam vbi prælagâ mente, diuinoque  
Ooo oraculo

474 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
oraculo monitus aspexit, urbem sibi creditam, a-  
grumque adiacentem circumlustrare, & perscruta-  
ri voluit, quod erat postremum pastoralis officij, in  
eo ditionis suæ lustro, quæfuit sedulus anima-  
rum pastor, num qui adhuc extra Christi ouile: vt  
que cognouit ex innumera propè multitudine, se-  
ptemdecim dumtaxat recenserit, qui antiquis erro-  
ribus adhærescerent: tum ingenti & doloris, & læ-

*D. Greg.  
Nys. in  
eius vi-  
ta.*

titia sensu adiecit hæc verba. *Acerbum etiam hoc sibi  
videri, deesse aliquid eorum plenitudini qui seruan-  
tur, Verumtamen magna gratiarum actione dignam  
rem esse, quot totidem simulacrorum cultores relin-  
queret ei, qui successurus esset in Ecclesia, quot ipse  
Christianos accepisset. Tantum potuit in vrbe idolis  
addicta, erroribus omnibus patenti, & obuia, vel v-  
nus oculus Pastoris, adeò verum illud: vt oculus Do-  
mini saginat equum, ita pes Domini impinguat agrum.*

§. 3.

*Quæ incommoda oriantur ex Prælatorum  
absentia?*

**E**Xperientia rerum magistra, optimaque veri-  
tatis interpres, omni propè sæculo exhibuit  
grauissima incommoda, morum, ac fidei inclina-  
tionem, populorum strages ex vna Pastorum ab-  
sentia prouenisse: ab antiquitate exempla repeta-  
mus, benè sapit, qui ab illa edoctus sapit.

A populo sibi commisso ad quadraginta tantum dies abfuerat Moses; & hoc quidem non vt proprijs commodis, ac voluptati seruiret, non vt ambitioni, Regumque oculis, & auribus, sed vt Deo suo intenderet, & solus cum solo in monte loqueretur, Israëlisque negotium ageret: ac ne sine custode grex relictus esse videretur, sibi in pastoralis cura supparem Aaronem ei dederat: neque tamen ab hoc benè illi esse licuit: ad idola præceptis abijt populus, vituloque aureo genua submisit, non submissurus si Moyses seuerus morum censor ac magister adfuisset. Quod Israël, hoc ferè posteris sæculis Sauli.

Ab hoc discesserat Propheta Samuel & septem 1. Reg. c. 13. v. 8. dumtaxat diebus abfuerat: potuit ea mora temporis exigua videri, at non exiguum inde secutum est malum: populus enim à Saule, & Saul à Deo suo discessit, atque defecit, ille quidem turpi fuga dilapsus, hic autem infami, impioque sacrilegio ab auctore suo mirum quantum alienus. Ecce quid in imperita multitudine, quid in Regis animo patiatur vel vna Pastoris absentia, quam deinde & amplissimi regni iactura, & miseranda populi calamitas excepit. Sed antiqua, inquires sunt ista, & cum veteri lege iam exoleta: demus ea, quæ noua lex tulit, & quæ recentioris sunt memoriæ: fidem illa maiorem, & auctoritatem inuenient.

A primo Religionis nostræ limine gradum faciam : egressus erat Seruator optimus cum discipulis in montem Oliuarum, & ne quid ab oculo magistri paululum auulsis deesset : eos optimis consilijs munierat : *orate*, inquebat, *ne intretis in tentationem*. Ecce malum imminens, ecce & mali remedium : interim *auulsus ipse est ab eis quantum iactus est lapidis*, quid deinde ? vacat orationi, sibi que, ac Patri æterno magister intendit totus : discipuli verò præceptorum immemores, alto sopiuntur somno, audiunt que illud : *non potuistis una hora vigilare mecum ?* potuerunt enim vero, imò & re ipsa vigilarunt, quamdiu in oculis magister fuit, at ubi ab illis seiunctus, obdormierunt, crederes simul & ab oculis, & ab animis suorum discessisse.

Zuc. 22.  
v. 40. 41.

Math.  
26. v. 40.

Hic te ipsum appello, te volo quisquis es animarum Pastor : mentem aduerte, & qui sis ipse, qui discipuli tui perpende : non es Seruator alter, non es Christus, etsi sis vnctus Domini, non habes sub ferula Petros, Ioannes, Iacobos, alios que Ecclesie primipilos, Apostolos omnes, & cœli lumina : es vilis homuncio, è tenui luto, & argilla male compactus ; es multis bonis, & virtutibus vacuus : & discipulos habes infinitis nominibus Apostolis inferiores, & tamen ab eis non inuitus auelleris, sed sponte etiam abis, ac propè fugis, non exiguo loci interuallo dissitus, sed quando que totis prouincijs

ac

ac regnis, & interfuso aquarum elemento: & illos in tuto esse credis, nec à lethali somno interim sopiendos? ab illis abesse soles, non vna hora, non vno die, non fortassis vna, alterave Luna, quod nimium foret; sed annis integris, & discipulis benè credis esse cautum?

A grege tibi concredito te reuocat, non studium orationis, non cœli nutus, non negotia æternitatis, non vite, mortisque impendentis necessitas: sed voluptas tua, ac pruriens libido: fortè vt in aula degas, malus honoris auceps, ac gloriæ venator, fortè vt exteras regiones, regnaque lustres curiosus peregrinus, & nouorum indagator. De te & eiusdem farine Pastoribus questus olim Zacharias; mœstum, & formidandum illud inscripsit.

O Pastor, & idolum. Hebraicè *hoi*, id est, *væ*, c. ii. v. quod tibi Deo Iudice, vindice cœlo, interprete Propheta intentatur; *væ*, inquam tibi, qui non es Pastor, sed idolum inane, & larua pastoralis: etsi enim sacratione manu aureum gestes pedum, auream coronam & mitram in caput efferas, ac byssinum poderem corpori adaptes, aliaque seu corporis, seu dignitatis insignia circumferas: ab illis tamen non es Pastor, sed idolum Pastoris: quia non is es animo, qui corpore, nihil enim in mente habes sapientiæ, nihil curæ, nihil industriæ Pastoralis. Te ipsum certe, tuique similes, qui à suo grege lon-

478 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
gius recedunt, & in alienas ab officio suo curas  
auolant, composuit sapiens cum auicula leuiore,  
quæ nidulo suo euolat.

PROV. 27.  
v. 8.

*Sicut auis*, inquit, *transmigrans de nido suo*, sic  
*vir*, id est Prælati interprete Lyrano, *qui dereli-*  
*quit locum suum*. Suam dico diocesium, in eadem  
ille incurrit incommoda, in quæ auicula è nidulo  
transmigrans. Quamdiu hæc eo sese continuit, la-  
tuitque, tuta fuit ab aucupe, & à laqueis secura,  
at ubi sese libero dedit aëri, ubi in saltus, & nemora  
excessit, ubi tremulo arbusculæ ramo insedit: tum  
& in laqueos pedem immisit incauta, & in latentes  
aucupis insidias incurrit. Neque sibi tantum malum  
hoc creauit, sed & nidulo suo, pullisque perniciem  
attulit: ille enim dissipatus est, & hi in prædam ve-  
nere: vel enim adhuc in ouis erant, iisque seu na-  
tuo carcere claudebantur, vel exclusi, & emissi  
quidem, sed adhuc implumes: si in ouis, cum absens  
mater non incumberet, ea non foueret, atque ani-  
maret, frigido aëre perflata euanuere priusquam in  
foetus coalescere possent: quod si disruptis ouis ef-  
fractoque ergastulo liberi quidem pulli, sed implu-  
mes, & rudes, necessum est ut aut fame conta-  
bescant, aut serpentinis morsibus exponantur.

Si à simili mihi ducendum est argumentum,  
idem planè & Episcopis, & subditis vsu venit. Vbi  
illi à sua Diocesi, ceu nidulo amoris, ac paternæ  
caritatis

caritatis abeunt: primum in plurimos Dæmonum laqueos sese inducunt: tum oues suas, ceu spiritales pullos adhuc à pietate, à religione, à virtute informes destituunt; aut si quid ab eis iam hauserint roboris, si quid animi, at hic diu sustineri non potest; quia deest Pastor, qui opportuna suis temporibus alimenta sufficiat, qui Dei verbo, ceu cœlesticibo famem pellat, qui morbos animæ, id est vitia, curet, & euacuet, qui enatas difficultates, ac lites componat, qui scrupulos eruat, qui insurgentia pericula à suorum ceruicibus auertat, atque amoueat. Quæ omnia vbi defecerint, necessum est, vt totum gregem occupet, ac perdat ingens & immanis calamitas.

Quæ cum ita se habeant, videant Præsules & secum ipsi discutiant qui hætenus fuerint, & qui ex officij sui ratione esse debeant; credantque sibi scriptum illud præceptum, quod olim Deus Aaroni, ac Pontificibus antiquæ legis imposuit: *Excubate in custodia sanctuarij, & in ministerio altaris, ne oriatur indignatio super filios Israël.* *Excubate,* inquit, Pastor enim est gregis oculus, vt scitè dixerit D. Athanasius in Epistola ad Episcopum Cretensem. *Perinde esse videtur gregem abesse à Pastore,* *vt cæcum duce carere.* Vt enim hic incerto, dubioque gradu nutat, & in foueam, obiectumque præcipitium cadit: ita animas sine Præsule cæco impete,

*Num. 18.  
v. 5.*

*Ep. 1.*

te,

480 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
te, cæcoque pede in ruinam suam, & chaos æter-  
num procurrare est necesse.

§. 4.

*Examinatur ea excusatio, Pastores, & Episcopos  
per Vicarios regere, & gregem  
suum pascere.*

**H**anc plerique Episcoporum absentia suæ ra-  
tionem reddunt, hoc pallio se tegunt, hac  
veritatem larua celant, & sibi, alijsque illudunt im-  
probè, dum inquirunt, ad manum esse Vicarios, qui  
ouium, & gregis curam gerant, qui eas pascant im-  
pensius: benè habet, opto, imò & illud tibi conce-  
do non deesse Vicarios, qui id muneris sedulo exe-  
quantur, an ideo te isto liberum onere credis? an  
commissis animabus benè cautum?

Vicario malè creditur: quod vni tibi concredi-  
tum esse cælum voluit: etsi veniat ille in partem  
oneris, at eo tamen vacuus non ibis.

Vicarius plerumque mercenarius est: tu solus  
Pastor: ille sui, tu gregis curam agis: *Vicarius, in-  
quit Hugo Cardinalis, pecuniam extorquet à popu-  
lo sibi commisso, de salute animarum parum curat.*

Vicario ad alia, quæ tui officij, quæ infulæ, &  
pedi Pastoralis non sunt, rite vti potes: si mouen-  
dæ lites, si difficultates enodandæ, si Mars in cam-  
pum euocandus, si explicandæ acies, si rei dome-  
sticæ,

sticæ, & œconomix habenda ratio, si alia quæpiam eiusmodi obeunda munia, ad ea uti potes, imò & debes Vicario, hoc enim tui ordinis dignitas patitur; hoc ratio mandat, hoc iubet cœlum: verum ut Vicarium euoces ad ea tractanda, quæ tui sunt instituti, ad pascendas animas, hoc nec admittit Pastoralis ordo, nec ratio sinit; nec Deus vnquam ferret inultus: quî enim ferat alijs relinqui, quod tibi in manus dedit? mercenario tradi, quod Pastori datum esse voluit? Certè officij tui munia per Vicarium obire non debes nisi etiam per Vicarium saluari velis: at enim vero non saluaberis.

Deinde ut pronuntiemus, quod ex æquo, bonoq̄ue asseri potest: à Vicario solo etiam quam optimo vix vnquam gregi erit benè. Ut è multis vnum producam, tibi ostentat antiquitas Aaronem Pontificem non hominum suffragijs, sed cœli calculo, & mirabili prodigio adlectum ut esset aliquando Mosi Vicarius: quis enim illo melior, quis dignior suffici potuit? & tamen absente Mose elanguit ille, à seipso desciuit, & qui murus esse debuit pro domo Dei, qui furenti populo occurrere, ab insolenti idololatria reuocare, aurumq̄ue spargere in vindices auras: collegit ipse, & male li- Exod. 32. v. 2.  
quatum æris pondus in vitulum erigi atq̄ue adorari est passus: diceres Vicario nomini nescio quid adhærescere vitij, quid abiectæ demissionis, ac imbecilli-

Ppp

becilli-

482 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
becillitatis, ne sese, suosque, cum res patitur, erigat.

Sed hæc inquires Aaronis culpa fuit, hæc infirmæ  
mentis inclinatio; non abnuo, sed eam etiam in  
alijs Vicarijs merito reformido; quem enim aut  
Aaroni parem, aut superiorem dabis? Ego certè  
non hominem tantum, sed etsi voles Angelum  
proferam, Dei sui Vicarium, qui cum tamen Israël  
non fuit quam optimè.

Cum ab Israël non locorum spatijs (quibus  
abesse non potest Deus, cum sit in immensum vn-  
dequaque diffusus) sed cura quadam singulari lon-  
gius abire velle videretur, è cœlestibus genijs vnum  
Exod. 33. v. 3. aliquem sibi supposuit: ait enim. *Mittam præcur-  
sorem tui Angelum ut eijciam Chananaum, & A-  
morrhæum, & Het hæum, & Phereseum, & Heuæum,  
& Iebuseum, & intres in terram fluentem lacte, &  
melle. Non enim ascendam tecum quia populus duræ  
cervicis es.*

Videri poterat ea cœli indulgentia, is superum  
fauor, quod pro duce esset Angelus aliquis, & cœ-  
lestis aulae Princeps: verum *audiens populus sermo-  
nem hunc pessimum, luxit, & nullus ex more induit  
est cultu suo.*

Nitebat Israël amœna, & festiua veste, eximio-  
que ad speciem corporis cultu fulgebat, coronas,  
torques, armillas induerat, vt isto habitu diuinam  
legem, ac mandata exciperet eo auidius quo orna-  
tius:

tius: at ubi Deum ipsum, quem haecenus ducem, & quodammodo antambulonem habuerat, recedere, & Angelo vices suas concedere audivit: luxit enim verò, & ingenti dolore percussus, in suspiria, gemitus, lamenta, lacrymas excessit, & omnem illum corporis ornatum, mundumque cum sacco, cinere, ac cilicio commutavit.

Tantum in eorum animis motum facere potuit supremi Pastoris, id est Dei, absentia; quam ne Angelus quidem superioris militiae dux, caeli civis, & accola compensare visus: quid futurum fuisse crederes, quas cogitationes, quos fluctus animorum, quos lacrymarum torrentes, quos aestus querelarum, si non Angelus, sed ex eodem luto homunculus aliquis substitutus fuisset? nimirum id senserat Israël, licet duræ cervicis; quantum sibi à Pastore accessisset praesidij, quantum à Vicario decederet: & verò idem sentiet quisquis Israëlem etiam post seros annos, & saecula populus sequetur.

Ea Pastoris absentis incommoda bellè sapiens expressit in typo illius mulieris, à cuius domo vir abierat, occurrit illa adolescenti *ornatu meretricio* Prov. 7. v. 11.  
*præparata ad capiendas animas, garrula, & vaga, apprehensumque deosculatur iuvenem & procaci vultu blanditur dicens. Veni, inebriemur & oberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies, v. 13.*  
*non enim est vir in domo sua, abiit via longissima.*

¶. 11. *Quamdiu vir domi fuit, intra eius penetralia, abditosque recessus sese mulier continuit, retinens pudoris, nec oculos, nec manum, nec pedem impudicis amoribus explicuit. At vbi vir abiit via, vt ait, longissima, tum quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidiari cœpit. Ecce liberum, vagum, pollutum pedem, vel ab vna tantum viri absentia. Vbi vero pes impurus post illicitos amores excessit, in eadem elapsa est manus, & nimium mali sui tenax apprehensum tenuit iuuenem, & procaci ore, vultuque blandita, osculum infixit, ecce oculos in amore duces, à quibus ruit in vetitos amplexus, & prohibita venere sese scedè polluit, domumque scedauit: causa tot flagitiorum vna viri absentia, quæ & pudorem exclusit, & impudicis ganeonibus etiam intima adyta referauit.*

Est Pastor, & Episcopus sponsus Ecclesiæ, eius fidei ac tutelæ commissa sponsa; si ab hac vir, & sponsus abit via longissima; in eadem incurret pericula, datam Deo, superisque fidem facillè faller; alienis sese substernet amoribus, & mundi, carnifque nimium blandientes fucos hauriet, & malè ebria peribit; omnium propè vitiorum facta domicilium, quæ prius virtutum sedes erat, atque diuersorium. Quæ singula quanti apud Deum,  
seuerum

seuerum Iudicem sint ponderis, quanti momenti, apud bonam mentem, & conscientiam velim attendat, quisquis annuente cœlo in Præsidem Ecclesiæ est adlectus.

## §. 5.

*Similitudines, & exempla, quibus altè Præsulum animis ea obligatio residendi imprimatur.*

**R** Ex Iosias Israël's amor, ac delicia, à Scriptura componitur cum melle, & musica. *In omni ore, inquit, quasi mel indulcabitur eius memoria, & ut musica in conuiuio vini.* Eccel. 49. v. 2. In melle, & musica Regis optimi, sanctissimiq̃ue Præsulis officium audies: mel enim suauis, & grato sapore præsentis recreat, palatumq̃ue imbuit; musica verò etiam remotiores ferit, ac blando seu vocum concentu, seu instrumentorum modulamine delectat. Et hæc boni Pastoris, ac Episcopi sunt munia: eos qui sibi in aula adsunt, recreare, fouere, animare residendo; & eos, qui longius in sua prouincia degunt visitando, ad studia religionis, ac pietatis incendere, atq̃ue promouere.

Ad eadem Præsulis officia traduci potest, quod is modo cum Seraphinis, modo cum igne, modo cum anima comparetur.

Isaias in excelsu altissimæ mentis spectauit Seraphinos stantes, ac deinde volantes: sunt illi, Lyrano interprete, animarum Pastores, ac Præsules, qui

486 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
stant dum resident, & suam stationem inuicti He-  
roes, sacriq̄ue duces retinent: volant autem, dum  
varia ditionis suæ loca celeri pede, alatoq̄ue spiritu,  
Deo pleni decurrunt, ac visitant.

*p. 103.  
v. 4.* Sunt etiam veluti flamma ignis, de quibus olim  
David Prophetico spiritu cecinit, *qui facis Ange-  
los tuos* (Præsules intellige) *spiritus, & ministros  
tuos ignem urentem*: Ignem quidem, quia vt hic  
adhærescit materiæ, quam corripit, eamq̄ue lambit  
tenacius, etsi natiuo impete sursum tendat, vt in  
centrum suum, locumq̄ue optatæ quietis: sic pius  
Præsul, etsi animo altiore in cœlum, vt in patriam  
erigatur; pascitur tamen, & insistit curæ animarum  
vt pabulo suo, nec illud deserit nisi diuino igne  
succenderit, & in cœlestes flammâs transformarit.

Dicitur & Præsul anima sui gregis, eaq̄ue spiri-  
talis, opportuna profectò similitudine, vt enim illa  
tota est in toto, & tota in qualibet parte sui corpo-  
ris, in quod veluti in domicilium à natura immissa  
est: sic Præsul, & totus quodammodo in tota dice-  
cesi sua, & totus in qualibet eius parte esse debet, si  
minus corpore, at saltem spiritu, affectu, curaq̄ue  
pastorali.

Quod si fortè has similitudines longius petitas  
esse contenderis, vnâ produco, quæ tibi facilius  
accidet, quod eam cum matris, ac nutricis lacte hau-  
seris. Vbi de Præsule mentio incidit, quis in suos  
esse

esse debeat, Scriptura mutuato colore bellè depin-  
git, & cum modo cum matre lactante puellulum,  
modo cum nutrice committit. Ita enim quondam  
Moyfi Deus. *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet* Num. II.  
v. 12.  
*nutrix infantulum.* Quis non amet, ac suspiciat  
suaves illas diuinæ prouidentiaæ leges: erant illi du-  
ræ ceruicis, indomiti capitis, Moyfi rebelles, ipsi-  
que cælo contumaces, & tamen vt ij essent, voluit  
nihilominus à Moysè portari, ea diligentia, ea con-  
niuentia, eo amoris pondere, quo infantulus mol-  
liculus, flexilis, amabilis, à nutrice solet circum-  
ferri: ratio legitur in ipso Mosis nomine, qui & Pa-  
stor erat, & dux Israëlis, adeo que quasi indulgens  
mater, & blanda nutrix: quia vt illa filiolum, hæc  
nutritium suum lactat, fouet, gremio que comple-  
ctitur: sic Israëlem Moses, sic populum amori, in-  
dustria que suæ concreditum lactare, fouere, & sinu  
complecti debet quisquis est Pastor, & Episcopus:  
hæc autem paternæ caritatis, maternæ que indul-  
gentiaæ munia præstare non potest, nisi adsit, ac  
resideat; secus si fecerit, non cum legitima matre,  
sed potius cum meretrice, & adultera comparabi-  
tur. Et certè Præsules à grege suo diutius absentes,  
meretricibus similes esse ait Damascus Papa, *quæ sta-* Ep. 4.  
*tim, inquit, vt pariunt infantes suos alijs nutricibus*  
*tradunt educandos, vt suam citius explere libidinem*  
*valeant.* Sic plerique Episcoporum ( quæ sæculi  
huius

488 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
huius ingens est macula, & grande malum ) adul-  
teris non absimiles, vbi pingues Episcopatus adie-  
rint, & eorum animas, ceu spiritales proles susce-  
perint: eas mercenarijs alendas tradunt, & à se ab-  
dicant; & hoc quandoque & sæpius, vt vacuam à  
curis vitam agant, vt liberius indulgeant genio, &  
libidines suas expleant.

Non sic bonus animarum Pastor, non sic Serua-  
*Luc. 15.* tor optimus Iesus: reliquit ille nonaginta nouem  
oues in deserto; quæsiuit illam quæ perierat, &  
inuentam in humeros suos extulit: hoc enim exi-  
gebat effusa ipsius caritas, de qua longè ante Isaias  
*Isa. 40.* hoc ediderat vaticinium: *sicut Pastor gregem suum*  
*v. 11.* *pasceat, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu*  
*suo leuabit, fœtas ipse portabit.*

A Christo Pastorum principe eosdem animos  
hausere etiam cæteri, quos inter Ambrosius, Augu-  
stinus duo sui æui lumina, alijque sexcenti, quos vt  
in præsentia breuitatis causa omittam, at præterire  
non possum vnum aliquem, quem nostra vidit, &  
amauit ætas: is erit Robertus Cardinalis Bellarmi-  
nus, quem Capua Præsulem habuit, Roma Purpu-  
raturum Patrem suspexit, & orbis propè vniuersus  
Doctorem, & veluti controuersiarum arbitrum, ac  
Iudicem audiit: hic à Clemente Octauo Pontifice  
maximo, contra suum votum Purpura donatus, &  
Capuæ Archiepiscopus nominatus, cum ibidem  
ali-

aliquamdiu resedisset pastoralibus officijs intentus, à Pontifice Romam reuocatus, iussusque venire in partem laboris ac negotiorum quibus oneratur sancta sedes, paruit ille quidem (vt erat ad nutum obediens) sed Archiepiscopatu sese abdicauit, nec vnquam adduci potuit (vel Pontificis gratia, ac dispensatione, vel amicorum consilijs) vt infulam, pedumque retineret sibi: alijs infulæ onera committeret. De eo ita Siluester Petra sancta nostræ Societatis, vir variæ eruditionis. Lib. 4. c. 8.

Postquam decreuit Pontifex, vt inter aulæ ornamenta in vrbe maneret Bellarminus veluti columna, cui onera sanctæ sedis inniterentur; vltro ei gratiam residendi obtulit, præsertim cum ad initia principatus instarent negotia grauissima. Sed cum abnueret ipse; ne vel mininum declinaret sanctiones, & decreta sacrorum Canonum, in quibus præcipitur Episcopis, ne greges proprios deserant, deliberauit potius Ecclesiæ nuntium remittere: & tum non defuere, qui conarentur ipsum ab eo consilio retrahere, dum proponerent instar exempli, Episcopos non ita paucos primæ authoritatis, qui non resederant ad occasiones eiusmodi; & dum adderent, inter abdicationem illam, & nouitatem successoris, amitti posse opportunitatem rei benè gerendæ; & posse contra vnum ipsum, quidquid prouidentia absentia, & moles, & multitudo ne-

Qqq gotio-

490 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
gotiorum adimeret, supplere opinione, atque vfu  
rerum, ac per ministros expertos rectè omnia  
procurare. Nihilominus constans in proposito  
mens eius fuit; tum quia sequi maluit securiores sa-  
crorum Canonum interpretationes, tum quia trien-  
nio didicerat, quantum boni ouibus adferat præsen-  
tia Pastoris. Itaque Pontifice consentiente, vt abdi-  
caret se Archiepiscopatu, scripsit Clero, & Senatui  
vrbis Capuæ, ferè in hunc modum: Meministis,  
reor me istic pro concione vltima dixisse, futurum  
vt non remigrarem amplius; tametsi cuperem, &  
sperarem reditum ad vos. Sed & addidisse, inte-  
grum sub nouo Pontifice mihi non futurum, vt  
Roma discederem. Mensis est ex quo Pontificem  
rogavi, iuberet negotia quædam grauia vltra au-  
tumnus non trahi, cum eo tempore reuersionem  
meditarem ad Ecclesiam: sed fuit ea res occasio, vt  
Pontifex indicauerit, velle se, vt deinceps Romæ  
agerem. Tum subdidi ego, à me imperium non de-  
tractari; sed religioni tamen duci, si Archiepisco-  
patum retinerem. Proinde, aut me Capuam remit-  
teret, aut Ecclesiæ meæ Pastorem inueniret. Hoc  
secundum approbavit Pontifex; ac iussit vt successo-  
rem idoneum perquirerem. Pro me illud affirmaue-  
rim non sine sensu doloris mei, nos inuicem separa-  
ri; siquidem Ecclesiæ isti accommodaueram ego  
amores meos. Optabam insuper iam, vt nunquam  
alias,

ONOG

PPQ

alias, denuò istic ingemere laboribus, & obfignare hoc symbolo dies postremos vitæ meæ. Fateor etiam, istic plus me quietis habuisse, & vixisse contentum magis, quam Romæ viuam, vbi nec ad diem vnum mihi à laboribus assiduis feriari animo licet. Sed diuinę voluntati par est acquiescere; subitque animum (quod & dixi pridem abiturus) fructum tenuem, quem Capuæ tres annos percepi, fortassis mutationis huius causam esse. Quid si enim Episcopus supremus Christus Dominus experiri velit, an Episcopus alius iunior, atque validior, messem allaturus sit cumulatiorem? polliceor futurum, vt non abrumpere charitatem erga vos videar, & erga ciuitatem istam, cuius regimen intra spatium bimestre deseram; at potius immolans Deo sacrificia votorum meorum, seruabo semper vestri memorem animum. Item, qua priuatim, qua publice, prodero vnicuique; & poterit vestra ciuitas opinari, habere se Archiepiscopos duos, Romæ alterum, & alterum Capuæ. Atque vt hic scribendi finem faciam; fausta deprecor vniuersis, optoque gratias Deo referri, quoniam ita disposuit, & flagitari pro nouo Antistite fauentem auram *Sancti Spiritus*.

Hactenus ad Capuanos Bellarminus, cuius exemplum, ac sententiam si sequerentur ætatis nostræ Præsules, non ea plerisque in locis esset morum inclinatio.

492 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
clinatio, non susque deque verterentur omnia, vt  
verti ferè absente Pastore necessum est.

§. 6.

*Qua Præsuli incumbat obligatio suos  
visitandi?*

**E**st & aliud onus, quod Præsulis vertici vna  
cum infula imponitur: suas ille oves oppor-  
tuno tempore visitet, adeat, soletur: ad hoc enim  
ipsa Scripturæ fides, & authoritas euocat, inuitat ra-  
tio, & maiorum exempla prouocant plena religio-  
nis, ac pietatis.

In altioris sapientiæ adyta admissus olim Salo-  
mon, hoc ex illo sacratiore lycæo edidit pronun-  
ciatum. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuos-  
que greges considera.* Textus Hebræus exponit lu-  
culentius. *Agnoscendo, agnoscas facies pecoris tui,  
& pone cor tuum ad greges,* quibus verbis duo insi-  
nuat boni Pastoris officia.

Primum, vt agnoscat greges sibi commissos, &  
in eos oculum, aciemque mentis explicet, faciem-  
que discernat: sunt enim Pastores, qui non vul-  
tum sui pecoris intuentur: sed potius terga respe-  
ctant: ij scilicet, qui de grege suo abstractiuam  
tantum (vt cum Philosophis loquar) notitiam ha-  
bent, quia eam non vsurparunt ipsi oculorum sen-  
su, sed aurium: & aliorum relatione hauserunt:  
sunt

sunt alij, qui intuitiuam (vt cum venia eo verbo  
vtar) acceperunt cognitionem: quam ipsi fidelibus  
oculis admiserunt, & in animæ conclaue ad intel-  
ligentiæ tribunal detulere: & hi primum boni Pa-  
storis officium ea ex parte implere: à quo defle-  
ctunt ad alterum: dum ponunt cor ad greges suos,  
eòque totum amoris pondus inclinant, vt non so-  
lum mens, & intelligentia subditorum commodis  
vacet, sed & amor quantus est, impendatur.

Huic, & illi stimulum adhibet Sapiens dum  
subijcit: *Non enim habebis iugiter potestatem: sed* v. 24.  
*corona tribuetur in generationem & generationem.*  
Hebraicè legitur *chosan*, id est fortitudo, potentia,  
thesaurus, opes, quod eximiæ fortitudinis, diuinio-  
risque potentiæ sit immortales animas ceu thesau-  
rum, opesque cœlestes, non terris, sed cœlo reseruasse.

Vt porrò reseruet fidelis Pastor, ei sub oculos  
ponitur extrema vitæ meta, & mors capiti semper  
imminens, vel ipsa naturæ lege, fatalique necessi-  
tate, vel iusta irati Numinis ira, in pœnam desidia,  
ac torporis, quo sopitur, atque indormiscit: sed  
quia ea pœnâ non facillè se trahi sinunt arduæ men-  
tes, addit & alias blandientis cœli, & beatæ æter-  
nitatis illecebras. *Corona tribuetur in generationē &  
generationem.* Hac se duci, & allici patiatur magnus  
Præsul, nisi cum rubore, luctuque æuiterno audire  
velit illius supremi Pastoris voces. *Vbi est grex, qui* Ierem.  
*datus* 13. v. 20.

494 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
datus est tibi; pecus inclytum tuum? Hæc vbi in vl-  
tima vitæ scena animo excipies, quid respondebis,  
quid dices cum visitauerit te? Deus tuus, qui alios  
visitare neglexisti, ad quod tamen te tui cogebat  
officij ratio, & maiorum exempla veluti manu du-  
cebant: è multis vnum, alterumve produco: Et  
quidem primo Præsulum, ac Pastorum principem  
Christum, qui teste *Petro Pastor, & Episcopus a-*  
*nimarum, visitauit nos oriens ex alto.*

v. c. 2. v.  
25. Luc.  
E. v.

Latuerat ille multis ante sæculis, imò & aterni-  
tate totâ in sinu Patris, & è cælo veluti specula bea-  
titudinis, mortales oras despexerat: vbi decreta in cœ-  
lesti foro dies illuxit, vbi tantum additum ætatis,  
quantum amabilis Dei prouidentia recensuerat, in  
campum excessit, & obire cœpit *castella in circuitu*  
*docens, & quærens quem seruaret, quem Erebo eri-*  
*peret, & redderet beatitati.*

Mar. 6.  
v. 6.

De pio illo circumeundi labore aurea fandi co-  
pia ita loquitur S. Chrysostomus.

Ser. 170.

Ille, inquit, cuius maiestatem vox fidelium quo-  
tidiana testatur, tuis propter te circuit, apparet, vi-  
detur, & tenetur in locis quo se mouet inuolubilis ple-  
nitude? quo accedit vel inde recedit, quo plena sunt  
omnia? & tamen vadit, redit, ascendit, descendit,  
habitus suscipit, formas variat, commutat officia.  
Et nunc igneus tibi respondet in rubo, nunc elucescit  
cœlesti flammeus in columna. Nunc te ut aquila pro-  
tegit

regit pennis sapientia, & cœlestem prouocat ad volatum. Nunc sicut gallina educit, vocat, recipit, protegit, portat, fouet, ambit, amplectitur, & sui volatus oblita, tuo versatur in puluere, ut te familiaribus alat, erudiat, instruat nutrimentis. Nunc ut Pastor bonus altissimis errantem solus requirit in montibus, solus inuenit, solus suis humeris imponit; & cœlestes euehit, ac perducit ad caulas. Sic ut te mutet in melius, ipse sua toties mutat, & commutat officia. Et quia diu circumierat ut diriperet, & deuoraret inimicus, nunc necessario circuit ut te vindicet, & eripiat Christus. Has boni Pastoris formas, hæc munia aureo stylo notauit Chrysostronus: atque utinam notent, animo que profundius infigant, qui à Christo dicuntur, & sunt Pastores.

Eacertè memori mente admiserat Paulus cuius ex ad Barnabam voces, sacraque monita. *Reuertentes* Act. 13. v. 36. *visitemus fratres, in quibus prædicauimus Verbum Domini, quomodo se habeant.*

Non ita pridem ijs adfuerat Paulus, eorumque animis, ceu parato, mollique solo diuini verbi semina iecerat: reuisit subinde, lustratque qui germinet, & succrescat, qui in flores sese explicet, fructusque bonorum operum Euangelij sementis: reuisit, inquam, ut ipse alio loco testatur, in virtute signorum, & prodigiorum, *in virtute Spiritus Sancti,* Rom. 15. v. 19. & ita quidem ut ab Hierusalem per circuitum *os-*  
que

496 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
que ad Illyricum repleuerit Euangelium Christi:  
adeò longè, latèque patebat effusa Pauli caritas, vt  
non solum Romanorum prouincias, sed & Phœ-  
niciam, & Syriam, & Ciliciam, & Cappadociam:  
imò & Saracenos, Persas, Armenos, reliquosque bar-  
baros adierit, ac uisitarit. Crederes orbem vniuer-  
sum theatrum esse, in quo pius Pauli labor ludat, &  
industria: ita nimirum, vt ore Diui Chrysologi lo-  
quar. *Diuina illa anima, vniuersum terra orbem cir-  
cumplexa erat, & in seipso circumferebat omnes, om-  
nes amabat, sic vt si genuisset, quin potius maiorem  
præ se ferebat charitatem quam quiuis pater.*

*Proem.  
in Ep. ad  
Rom.*

Inter ea quæ bono Parenti ingenuit natura, est  
perennis suorum cura, & studiosus labor, qui elu-  
cet vel maximè in lustranda sæpius, & circumlu-  
stranda domo vniuersa, num fortè tecta rimas pa-  
riantur, & imbrem admittant, num sua stent mo-  
lè, tignisque tabulata: num area diues, & messe  
opulenta; num facta tecta supellex, num debitus  
famulorum ordo, & cuique suus labor, sua statio,  
sua merces, num sani, valentesque liberi, num à  
corporis, animique cultu præstantes. Num lanifi-  
cio, aliisque domesticis, ac muliebribus curis vxor  
intenta. Hæc vbi vel oculo, vel mente peruidit  
pater-familias; tum sibi omnes officij sui, mune-  
risque numeros videtur expleuisse.

Quisquis in Præsulem est adlectus, is est Pater,  
cui

cui pro domo, sacra Diuorum, Dei que templa, pro liberis immortales animæ, pro vxore, & sponsa cessit Ecclesia, pro area Diocesis, in qua triticum ac paleæ ( id est boni malis admixti) hos visitet bonus Pater, videat que ne quid desit in domo Dei, cuius decorem impensius amare debet.

Est certè, quod in plerisque Præsulibus lugeat, damnet que atas nostra, ijs ædes amplissima, palatia ad insignem magnificentiam ædificata, at que extructa, in quibus peristromata, & aulæa, quæ ingenti sumptu parietes inumbrant; aurum, argentum, ebur, tectorum incrustationes, pensilia, & in morem cæli picturata laquearia, pauimenta pretioso lapide cæsim deriuato, in varia picturæ genera discriminata, alia que eius generis, quæ mollitiem olent, & fastum plusquam aulicum: verum vt domi ita se habeant omnia: in templis tamen, & aris, quibus & ipsi præsunt, sordida omnia, situ, & pædore obsita, horrida que: si oculis esset tantum habenda fides, diceres non fana esse sed profana loca, non aras, sed haras.

Optarem profectò isti rerum sacrarum incuriæ, ne dicam contemptui, & impietati, eam cælo iudice decerni pœnam, quæ olim Hebræis illata.

Redierant illi ab exilio, & captiuitate Babylonica in patrios penates; singulari Dei vindicis beneficio at que indulgentia in libertatem asciti. Verum

498 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
vt is fuisset superum fauor: prima tamen eis cura  
fuit de proprijs domibus ædificandis: de templo  
supremi Numinis, impiorum manibus destructo,  
iterum insigni pietate restaurando, necogitatum  
quidem. Hinc illæ cœlo minæ, & Aggæo Pro-  
pheta diuine voluntatis interprete, inflicta pœna.

*Aggæi c. 1. v. 9. 10.* *Dicit Dominus exercituum, quia domus mea deserta  
est, & vos festinastis unusquisque in domum suam.  
Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli, ne darent  
rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum.  
Arescunt cœli, & æris in morem durefcunt, steri-  
lescit terra, & germen negat, quia rorem beneficen-  
tiæ, sacræ ædi debitum negarunt nimium steriles,  
& infœcundæ mentes. Quod si, vt argutè conficit  
D. Chrysostomus, illius templi neglectus tantam  
excitauit iram Numinis, multo magis huius templi  
neglectus ad iracundiam prouocabit Dominum. Si-  
quidem hoc templum tanto est illo honoratius, quanto  
plura habet sanctimonie symbola. Ea in præsentia  
reticeo, quia cuique nota, & obuia: vnum tantum  
profero, quod Episcopo suam Dicecesim, templa-  
que visitanti velim esse commendatum, quod in  
Nepotiano Sacerdote D. Hieronymus olim com-  
mendauit. Erat, inquit, in nobili illius præconio:  
sollicitus si niteret altare, si parietes absque fuligine,  
si pauimenta tersa, si ianitor creber in porta, si vela  
semper in ostijs, si sacrariũ mundum, si vasa luculen-  
ta,*

ta, & in omnes ceremonias pia sollicitudine disposita.

Duo maximè in sanctissimo illo viro prædicat, munditiem, & decorem, siue honestissimam rerum omnium faciem, & speciosum apparatus, quæ Dei domum deceret. Et ea cuique Episcoporum optarim esse in primis curis, dicerent illi, & ex vero quidem, quod olim Cantor Regius. *Dilexi decorem domus Dei*, in Hebræo pro *decorem*, est *habitaculum*; vt intelligamus in decore habitare Numen, venustatis patrem, & omni hominum magnificentia dignissimum. Quare Dauid in eodem cantico nominat templum *locum habitationis gloriæ Dei*. Vbi nimirum se mirabilius ostendat, siue in nube, aureaque luce, quod in Mosis olim tabernaculo, siue in reddendis oraculis, quod in propitiatorio, siue denique quod in templis christianis sub augusto velo Sacramenti, & humanitatis conopæo Rex gloriæ versetur. Quod postremum cum ita esse fides doceat, certè non decet Dei gloriam situ, & sordibus inobscurari, nec ferendus est Liturgorum ille stupor, nec dissimulanda impietas eorum, qui triclinium malunt quam templum esse ornatius, & ex ara, propè dicam haram faciunt, è templo sordidato culinam, è sacrificio profanum gurgustium, qui decorem domus Dei non tam diligunt, quam indignissimè aspernantur. Qua de re grauitè in hunc modum queritur Saluianus. *Eccle-*

Rrr 2

fiè.

L. 3. de  
Guber.

*fiæ, vel potius templa, atque altaria Dei, minoris reuerentiæ quiddam habent, quam cuiuslibet minimi, ac municipalis Iudicis domus. Sed hætenus satis datum est querelis, transeo ad templa viua, ad spirituales liberos, ad immortales animas, quarum curam gerere debet, qui suos ex officio visitat Præsul. Sunt illæ, vt ante paucis insinuauimus, thesaurus ingens, sunt cœleste quoddam depositum: quod si tua incuria cœlo pereat; næ tu immanis culpæ reus teneris. Hanc istius depositi fidem, pretiumque dum æqualance pensat Bernardus, ita secum ipse loquitur.*

Ser. 3. de  
trip. adu.

*Quid ego infœlix, quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine suo pretiosius iudicauit, contigerit neglexisse?*

*Vbi à seipse hæc quæsiuit Bernardus tum præclara similitudine rem totam confirmat, & exaggerat. Si stillantem, inquit, in Cruce Domini, sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? & certè id seruandum accepi, pro quo mercator non inspiens, ipsa utique sapientia, sanguinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum illum in vasis fictilibus, & quibus multo plura, quam vitreis imminere pericula videantur.*

*Hæc calamo virgine, lacteaque eloquentia fudit Bernardus, vt sibi, tibi que stimulum adderet, tum ad*

ad curam animæ tuæ, quam circumgestas in corpore luteo, vaseque fictili, tum ad piam eorum sollicitudinem, qui tibi annuente cælo sunt concrediti, ne quis illorum à te male custoditus intereat.

D. Ioannes, qui è pectore Domini sui, velut amoris, ac caritatis officina, singularem quendam salutis humanæ zelum hauserat: exemplo, verboque docuit, quantum esset vel vnus animulæ depositum.

Epheso excedens, villas, & oppida circumcurfabat, cum ecce ei occurrit Adolefcens ingenio celeri, & peracuto, specie etiam liberali, & amœna: Euseb. l. 3. Eccl. Hist. c. 17. solet enim plerumque animus venturus in corpus, dignum prius metari hospitium. Certè ex huius specie in ipsam mentem, quæ illius hospes est, euasit Apostolus, dignamque censuit quæ fideli colono traderetur excolenda. Is porrò fuit illius loci, vt vocabat Angelus, id est Episcopus, in cuius manibus, cum iuuenem, velut ingens, & pretiosum quoddam depositum commisit, hac ferè verborum formula. *Hunc Adolescentem omni studio, cura, & cogitatione coram Ecclesia, & Christo teste, tibi, tuæque fidei commendo.*

Suscepit ille tum pro ea, qua in Magistrum erat reuerentia, tum etiam prona, ac præcipiti in subditos caritate, qua illum in familia sua aluit, eiusque curam egit planè singularem, ne quid corpori, ne

502 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
quid animo deesse videretur : fluxere in eo pietatis  
officio complures anni, quibus adolescentiæ me-  
mor, iuueni fræna contrahere, habenas adducere,  
ne fortè, quod illi ætati facilè est, positos sibi limites  
excederet. Verum vt temporis lapsu deteruntur, &  
lentescunt omnia : ita, & huius Præsulis pius labor,  
curaque eo annorum curriculo deferbuit. Hinc  
adolescenti laxiores dare habenas, & plus æquo in-  
dulgere. Ab illa magistri conniuentia in aliam pa-  
læstram abiit malus discipulus, ea iuuenum fuit  
solutioris æui, quibus alea, chartæque lusoriæ sæ-  
pius in manibus, quam in oculis pius liber, sacrique  
globuli. Ita sibi malè lusit, Magistroque illusit ado-  
lescens, eoque scelerum venit, vt non tantum in  
malis malus esse, sed & pessimus videri posset : imo  
prædonum dux, ac coryphæus. Quis credat eo labi  
posse iuuenem, cui Ioannes in spiritu parens, & præ-  
dagogus esset Episcopus, lapsus est tamen, & præ-  
dolor ! longius à se, Deoque elapsus. Vita in præ-  
cipiti ; salus in desperatione videri poterat, nisi diui-  
na manus affuisset ; reuocauit illa à morte, quæ ad  
vitam prius inuitarat. Peracto veluti cursu, labo-  
rumque meta, ad suos quasi carceres, grataque li-  
mina redijt Apostolus, quæsiuitque à suo Præsule,  
qui haberet suus ille adolescens, & in Christo filius ?  
*Age, inquit, Episcope, depositum nobis redde, quod  
ego & Christus, Ecclesia teste, quam gubernas, com-  
missimus.*

*misimus*. Hic primum ora rubor inuasit, frontem-  
que textit, dein in singultus, ac gemitus explicuit sese,  
denique in pauculas voces effudit, sed amoris, sed  
doloris plenas. Ex ostendere qualia in adolescente  
fuisent pietatis, ac religionis tyrocinia, qualis ali-  
quot annorum cursus; quam pius, foelix, ac for-  
tunatus; qualis denique a malis consortijs exitus,  
quam impius, infœlix, infortunatus. Hic hærere  
vir sanctus attonito similis, dein subirato vultu, vo-  
ceque ita paucis: *siccine, inquit, seruasti depositum;  
sic fratris tui animam?* cætera dixere lacrymæ, pro-  
fundique gemitus: à quibus (nec enim longior a-  
manti mora) sese in viam expedit, equum con-  
scendit annosus senex, & in densa nemora, me-  
tuendosque saltus euasit, prædonem suum secutus  
bonus animarum prædo. Vbi in iuuenis conspe-  
ctum venit, agnouit ille Parentis ora, vultusque  
probè notos, ac summè venerabiles; agnouit, in-  
quam, & celeri fuga sese illius oculis eripuit, nimi-  
rum dolor, pudorque pedibus alas addiderat. Sed  
leuiore pio seni illius animulæ cura quam vt sibi  
Deoque restitueret concitato equo fugientem inse-  
qui, & obijcere amandum illud: *Quo abis, infœ-  
lix adolescens? iuuenis senem, filius parentem, ar-  
matus inermem fugis. Ego tui causa in ferrum ibo,  
& in vulnera pronus ruam: pro quo magister  
meus, amor meus, ac deliciae in crucem, ac mortem*  
venit.

304 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
venit. Sui oblitum, nimiumque fugacem stiteret il-  
læ voces, amorque imo pectore renascens: qui et-  
iam ad sanctissimi Præfulis, parentisque optimi  
pedes supplicem, ac lacrymabundum abiecit: sed  
admissi sceleris conscientia, fusus toties innoxius  
cruor, & truculentæ cædes, dextram tot criminum  
testem, ac ream abdiderant. Pudorem, qui animo  
adolescentis infederat, notauit indulgens Pater,  
dextramque prensauit: imò & osculo dignatus est,  
adpromisitque fore ut pœnitenti remitteret Deus,  
quidquid ab illa manu contractum erat iniquitatis.  
Ita bonus Pastor errabundam ouem quæsiuit, in  
ouile reduxit: imo deinceps probè pœnitentem, &  
instructam Dominico gregi, & Ecclesiæ præfecit.  
Habet in eo quisquis est Præful, quod discat, amet,  
imitetur: Primum, quod, & quantum sit anima-  
rum depositum vel hinc agnoscat: quod scilicet  
Deo homini, sanguine, vitaque stetit. Ex illo aman-  
tes, ac paternos animos induat, & cum sese offert  
ocasio exhibeat; maximè vbi filios spiritales ceci-  
disse, imò & à scelere mortuos esse didicerit. Ne in  
eum cadat illud D. Bernardi. *Cadit Asinus, & inue-  
nit qui se subleuat: cadit anima, & non est qui ma-  
num apponat.* Desunt nimirum viscera misericor-  
diæ, deest paternus affectus, quem ut in Patre cor-  
poris ergo suspicit Chrysostomus; ita & in Epif-  
copo, animi causa requirit. *Imitandi, inquit, sunt*  
*Par-*

Parentes, qui filijs suis grauiter aegrotantibus licet desperatis assident lacrymantes, lamentantes, exosculantes, omnia quae possunt admouentes, ad extremum usque halitum. Vbi haec parentum in filios officia exposuit: tum ita stylo aureo pungit, & vrget. Hoc tu quoque facito pro fratribus, & quidem potiori iure; nam illi non possunt lacrymis, & lamentis neque morbum depellere, neque mortem imminentem abigere. Tu verò frequenter poteris animam deploratam assiduitate, instantiaque per lamenta, reuocare, ac suscitare. Dedisti consilium, nec persuasisti, illacryma, punge frequenter, ac suspira paululum, ut tua sollicitudo incutiat illi verecundiam: itaque conuertat ad salutem.

CAPVT XIII.

De alijs boni Praesulis, & Pastoris officijs.

**F**Vit olim Hebraeos inter, & Aegyptios magna studiorum, & animorum dissensio: ex eo etiam orta, quod hi Pastores in odio, illi in amoribus haberent.

Rationem ex antiquitate si petas, haec esse potuit; quod Aegyptij oues & pecora pro Dijs colerent, adeoque nefas ducerent, ea mactare, atque edere.

Contra verò Hebraei, nec ea pro Dijs habere, nec

Sff ijs

306 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
ijs parcere; sed iugulare, sed occidere. Quo cum  
tamen stare potuit, & verò etiam stetit, singularis  
quædam ouium cura, & Pastoralis officij dignitas,  
atque commendatio; quæ ex eo augeri potuit,  
quod Hebræorum principes, primaque lumina  
ducendis, pascendisque gregibus toti incubuerunt.

Ita in ipsâ orbis infantia, primisque cunis Pastor  
fuit Abel.

Ita deinde lapsis longè sæculis Pastores fuere Ia-  
cob, eiusque filij duodecim, à quibus emanarunt  
duodecim illæ Hebrææ gentis tribus, illustria de-  
cora, principes animæ; à quibus deriuatus in po-  
steros omnes amor quidam Pastoralis officij, & à  
maioribus petita dignitas; quam mirum quan-  
tum auxit illa Christi Seruatoris demissio, quâ se  
ouium, id est, animarum Pastorem inscripsit; *Ego,*  
*Ioan. c.* inquit olim, *sum Pastor bonus,* qui scilicet & à  
*10.* seipso bonus, & à quo boni ceteri: si tamen summi  
Pastoris fuerint æmulatores: ut ij porrò sint, in præ-  
senriâ mihi est animus stylo notare præcipua boni  
Pastoris munia: eaque quàm breuissimè: neque e-  
nim est huius exigui operis, aut consilij mei ea fu-  
sius explicare; aliorum iam fuit, & erit iste labor.

I. OF  
I. OF  
I. OF

## I. OFFICIUM BONI PASTORIS.

*Amor, & Caritas.*

**P**Rima lex Pastoralis officij, primaque cura debet esse impensa caritas, atque effusus amor sui gregis: ab hoc enim ceu fonte manant cætera, quæ bono Pastori incumbere videntur.

Hanc legem iam inde à primis sæculis agnouerunt atque inscripserunt Hebræi sapientes, apud quos Pastores dicti sunt *amatores*: eadem quippe voculâ significabant, & *Amatorem*, & *Pastorem*. Hebraicè enim Pastores dicebantur *Roghim*: amatores autem *Reghim*: eadem omnino litteræ, vna tantum differentia puncti: vt videas inter Pastorem, & amantem ouium, parum, aut nihil interesse: imò Pastorem vnâ etiam amantem esse oportere.

Ab hoc amore, qui Pastoris nomini insitus quodammodo, & innatus esse videtur, fluxit illud, vt Reges, ac Principes in sacris paginis sæpius Pastores appellentur.

Cuius appellationis ea ratio, quam affert D. Hieronymus. *Vt superbum nomen imperij, Pastoris vocabulo mitigetur.* Hoc nimirum sibi persuasit omnis ætas, Pastoris nomen amoris esse, eximiaque caritatis. Quam etiam iure commendauit Christus Pastorum princeps ter optimus, ter maximus: cum enim è toto discipulorum collegio Petrum sibi, suoque gregi adlegisset, priusquam eo proueheret dignitatis: ex illo etiam tertio quæsiuit.

*In c. 38.  
Ezech.*

*Io. c. 2. v. 25.* Petre amas me? In quæ verba D. Gregorius Pontifex maximus. Primò, inquit, ei dicitur: Petre amas me, ut per amorem agere fortia studeat; secundò, *In 1. lib. Reg. c. 16.* ut in contemplando alta cognoscat; tertio, ut perfecta caritatis affectu, & erga proximos ferueat, & ad speciem conditoris feruentius inardescat.

Seruator noster, interprete Gregorio, tria spectasse videtur Pastorum officia.

Primum, altos, & heroicis animos, à quibus & agere possent, & pati fortia, quod erat amantium.

Alterum, ut sese terris eriperent, in cœlum euecti veluti remigio quodam altissimarum contemplationum.

Postremum denique, æstum aliquem, impetumque diuinæ caritatis, à quâ in proximorum cōmoda, atque salutem ferrentur toti, atque efferuescerent.

*Serm. de tribus ordin. Eccles.* Hæc lege, & tacitus apud te meditare quisquis es Pastor. *Iudica*, inquit D. Bernardus, *utrum possit hic conuenienter aptari trina Petri interrogatio. Amas me, amas me, amas me. Habes caritatem de corde puro, & de conscientia bonâ, & de fide non ficta.* Hanc inquam si habes, tum à Christo in aurem tibi dici, etiam tertio patieris.

Amas me, ac deinde audies & illud, *pasce agnos meos*, hoc est lactentes adhuc ac tenellos in fide pasce vberibus consolationis, & pota lacte doctrinæ sanioris; tum ad oues elabere, & in fide ac religione

gione firmiores, robustos atque adultos etiam foue,  
ac recrea: sit, ut inquit Augustinus,

*Sit amoris officium pascere Dominicum gregem,* Tract.  
*Sicuti timoris fuit indicium negare Pastorem.* 123.

Quod autem illud officium, & quam consummata perfectionis eâ, quâ solet eloquentiâ, persequitur; & ita Christi voce animarum Pastorem compellat. *Si diligis me, pasce oves meas, non te pascere cogita, sed oves meas: sicut meas pasce, non sicut tuas; gloriam meam in eis quære, non tuam; lucra mea, non tua.*

## II. OFFICIUM BONI PASTORIS.

### *Vigilantia.*

**C**elebrauit antiquitas nominatum illum Pastorem Argum, cui centum lumina cingebant caput: ea quamdiu fuere in suâ statione, & ipsi, & gregi fuit quàm optimè; at ubi coeperunt conuiuere somno, ubi sopiri, & claudi, tum verò cum Pastore, & ouibus actum quàm pessimè. Ita porrò illi Argo sopiti sunt oculi.

Eum fortè feriantem, ac vacuum à curis conuenit Mercurius, ac Venus: ille pro eâ qua erat eloquentiæ vi, blando sermone in aures, & animum illapsus, somnum ad sensus, ad oculos euocare cepit: Hæc autem suâ mollitiæ, solitiisque illecebris somnum excitauit magis, ac profundum soporem immisit: ubi ab illo clausi oculi, sopiti que

510 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
sensus omnes: tum verò Argus & caput, & vitam  
amisit; ipsaque Venus præposterè vsa illius oculis,  
eos abiecit in caudam pauonis, ijsque totam asper-  
sit: sed ô grande à Venere nefas! ô ingens oculorum  
vitium, qui prius eminèbant, & cœlum sideraque  
spectabant, iam abijciuntur toti, & terram verrunt.

Hæc est fabella, & ingeniosum commentum  
Poëtarum, quibus sic semper fuit fingendi licentia,  
& opportunus in apologo ludus; è quo tamen  
pauca ad mores traduci posse videntur.

Primum vigiles atque oculatos esse debere Pa-  
stres ante, & retrò, dextrâ, & sinistrâ.

Ante, vt futura longè ante prospiciant.

Retrò, vt præterita recolant, & ex ijs futura me-  
tiri discant, atque expendere.

Dextrâ vero, vt in prosperis semper vigiles.

Sinistrâ, vt in aduersis semper intenti.

Quod autem à Mercurio, & Venere sopitur  
Argus: innuit Pastores plerumque indormiscere ma-  
lis consilijs; plerumque etiam conuiuere atque  
obruui à Venere, à blanditijs molliculæ voluptatis,  
cuius cantui, mellitisque voculis, dum plus æquo  
indulgent, oculos, ac lumina, id est vim mentis, &  
intelligentiæ, quæ officio Pastoralis inuigilare, quæ  
cœlos atque æternitatem suspicere, & longè ante  
prospicere debuit, amittunt, & quod inde prouum  
est, in terram, hoc est, in luteas, abiectasque mundi  
curas

curas, ac sollicitudines abijciuntur: iusto sane Dei vindicis iudicio, vt qui gregis oculus esse debuit, nectamen suo vitio fuit, eo malè sit orbus etiam in æternos annos.

Fuerunt olim in Apolloniâ oues Soli sacre, quas Herodot. l. 9. noctu viri fortunâ splendidi custodiebant.

Euenius aliquis suas de more vices agens in pecoris custodiâ, lupum ingredi in ouile, & sexaginta oues suâ incuriâ deuorari est passus, ex quo iudicio ciuitatis damnatus, & oculis orbatus est.

Si in humano foro adeò seuera in Euenium lata sententia, quæ erit in diuino? in quo non agetur de ouibus Soli, sed Deo sacris, de animabus quas cælo, & beatæ æternitati seruatas superi voluere: quid inquam, decernetur in eum Pastorem, cuius incuriâ æternum istæ perierint?

Vi, let ergo, & suâ maneat in statione quisquis eò dignitatis, ac officij vocatus est; sibi que multò potiori iure scriptam arbitretur eam legem, quæ olim viris principibus.

*Non decet principem solidam dormire noctem.*  
Si principem non deceat ea somnolentia, qui muris tantum, & corporibus suorum inuigilat: multò minus Pastorem, qui subditorum salutem, & animas curat.

Et certè si summa, & infima, si cælum, & terram percurramus, dabunt illa Pastores, vnâque etiam vigilantes.

512 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
giles. Hos vniuersim regit, ac moderatur Deus, vt  
Dominus, vt Pastor; & ille vigil.

Regi Nabuchodonosor in somnis olim obie-  
cta Dei vindicis aliqua species.

*Dan. c. 4.  
v. 10.* Videbam, inquit, in visione capitis mei super stra-  
tum meum, & ecce vigil, & sanctus descendit de cœ-  
lo. Vigil ille, vel Deus ipse fuit, vel vt nonnulli ma-  
lunt, Angelus vnus aliquis, qui eius vices ageret:  
*Pf. 110.  
v. 4.* nec enim dormitabit, neque dormiet qui custodit  
Israel. Vigilat ille ad iustorum custodiam, vigilat  
ad pœnam impiorum, appello Ieremiæ fidem. Vi-  
*Thren. c.  
1. v. 14.* gilauit, inquit, iugum iniquitatum mearum in manu  
eius: Hebraicè pupugit, stimulauit manum eius, vt  
sua mole ac pondere velut graui iugo rebelle cœlo  
caput opprimeret.

A summo Pastore, & ipsi Pastores, ac custodes  
Angeli, & quidem vigiles, in quos D. Bernardus vo-  
*Cant. c.  
4. v. 3.* cat illa sponsæ verba: Inuenerunt me vigiles qui cu-  
stodiebant ciuitatem. Benè tecum agitur, inquit, ô  
Mater Ecclesia, benè tecum agitur in loco peregrina-  
*Serm. 77.* tionis tuæ. Qui custodiunt te non dormitant, neq; dor-  
miunt custodes tui, Angeli sancti, vigiles tui spiritus.

A Deo, & Angelis, qui puræ mentes, ad Chri-  
stum descendo, in quo spiritus cum carne ama-  
bili, stupendoque nexu coniungitur: & ille etiam  
Pastor, adeoque vigil. D. Ioannes in alto mentis  
excessu vidit aperiri cœlestes valuas, & patescere  
immensa

immensa diuorum atria, in quibus Smaragdino throno affurgebat Dei sedes, quam curuo, & amœno arcu cingebat Iris, Solis filia, & humentis cœli miraculum magnum: tum deinde circumstabant viginti quatuor seniores, & animalia quatuor plena oculis ante, & retrò; quæ dum animo legit, ac contemplatur sedulus: ecce in conspectum venit & aliud cœli, terræque prodigium, de quo sic Vates. *Vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem habentem cornua septem, & oculos septem.* Erant & cornua composita, & innexa sibi, per modum, speciemque coronæ: singulisque cornibus infidebant oculi singuli, velut additæ gemmæ, noua que surgentis Ecclesiæ sidera.

*Apoc. c.  
5. v. 6.*

Quis porrò sit Agnus? in luce est, ille videlicet qui pro nobis victima cecidit. At quæ corona? qui oculi? in nocte est illud, atque occulto.

Abbas Ioachim, pro eâ quâ fuit solertiâ, censuit cornua septem, & septem oculos indicare septem Episcopos Asiæ, ad quos Christi scriba Ioannes hanc suam pagellam dirigebar.

Dicuntur illi, & verò etiam sunt cornua, ab insito de superis robore, constantiâ, insignique fortitudine, quâ Christi peculium tuentur, & cum opus est, cornu feriunt.

Appellantur deinde, & re etiam ipsa sunt oculi, à

T t

vigi-

514 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
vigilantiâ, cuius ij symbolum esse perhibentur. Eo-  
dem spectant animalia quatuor plena oculis ante  
& retrò, de quibus sua inter Doctores lis atque con-  
tentio. Aureolo animalia quatuor ostendunt qua-  
tuor sedes Patriarchales.

Leo est Ierosolymitana, ob ingens animi robur,  
inuictamque constantiam, quam eo loci Apostoli  
exhibuerunt. Vitulus est Antiochena, quæ ferè om-  
nium prima fidei colla subiecit, iugumque Christi  
admisit, adeò vt Antiochiæ primùm dicti sint  
Christiani.

Homo Alexandrina ob viros doctissimos, quos  
illa tulit, atque aluit. Ij fuere Origenes, Clemens,  
Dydimus, Cyrillus, Athanasius, quos ea regio vel  
Episcopos, vel Doctores amauit, atque suscepit.

Aquila denique Constantinopolitana, in quâ  
vigerunt viri altissimæ cõtemplationis, & magno  
orationis excessu instar Aquilæ sublimes: ij porro  
extitère Chrysofostomus, Nazianzenus, alijque.

Et hos omnes orbi reddit, atque exhibet oculus,  
Pastoralis vigilantia nota atque hieroglyphicum:  
vt inde conficias gregis sui oculum esse Pastorem.

Quod si fortè arcana illius loci aliò vocari velis,  
contendasque per animalia quatuor opportunius  
intelligi quatuor Euangelistas, non ero à tuo sensu  
alienus.

Sit Leo S. Marcus, quia Euangelicæ historiæ se-  
riem

riem inceptit à clamore, & rugitu Ioannis, quasi Leonis alicuius in deserto.

Sit Vitulus S. Lucas, vel eo tantum quod initium petierit à Sacerdotio Zachariæ, cuius erat immortalis Deo victimas offerre.

Sit homo S. Mathæus, qui primam Euangelij sui pagellam humanâ Christi generatione signauit.

Sit Aquila S. Ioannes, qui cæteris altior eminere visus & coelos, ac sidera transcendere; atque in ipsam æterni Verbi diuinitatem elabi; à quâ stylum ducit, dum hæc sacris in pagellis notat. *In principio erat Verbum.*

Quod si in aliam sententiam inclines magis; credasque per animalia quatuor, veluti simbolo quodam altiore notari quatuor Ecclesiæ Doctores, nec in eo tibi ibo inficias.

Demus enim verò hominem esse D. Gregorium quia totus comis, urbanus, & ad omnem humanitatem fictus.

Concedamus Leonem esse S. Ambrosium, qui nec arma metuit, nec Cæsaris iras, minasque exhorruit, nec vllâ vi à Pastoralis officio potuit dimoueri.

Admittamus bouem esse laboriosum & solidum Hieronymum, qui Augustino iuuenili impetu exultanti, scripsit aliquando in hæc verba: *bos lassus fortius figit pedem.*

Denique fateamur Aquilam esse sublimem Augusti-

516 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
gustinum: qui ingenij vi ac solertiâ tantum alios su-  
perauit, quantum Aquila reliquum omne genus  
volucrum transcendit. Verum vt hæc ex interpre-  
tum, Doctorumque opinione dici posse conceda-  
mus: at illud etiam nobis dari necessum est, eos  
omnes & Pastores fuisse, & quod caput est, etiam  
probè oculatos; & quia tales olim non fuerunt  
Israëlis Pastores, hinc ea morum ac religionis incli-  
natio, hinc tantum nefas, & ex eo iustæ Isaiaë quere-  
læ, profundique gemitus, quos inter hæc insonuere

3. e. 56. v. 10. verba. *Speculatores eius cæci omnes, canes muti, non  
valentes latrare, videntes vana, dormientes, &  
25. Mo- amantes somnia. Cæci, inquit S. Gregorius, quia non  
ral. c. 10. videbant opere, quod professione cernebant.*

*Muti, & non valentes latrare:* In Ecclesiâ, ceu  
ouili Christi, sunt Pastores, quod in domo, & harâ  
canes: hi lupos, illi hæreticos arcent, fugant, per-  
dunt, nisi planè muti sint, & elingues, & vt antiquo  
Prouerbio dici solet, *bouem habeant in linguâ.*

Erat antiquis nummus *Didrachmum* bouis ima-  
gine insignitus, qui proinde vulgò bos dicebatur, ex  
quo manauit illa paræmia: *bouem habet in linguâ,*  
id est, pecuniâ corruptus silet; quod etiam non-  
nullis Ecclesiæ Pastoribus vsu venit, quibus os, lin-  
guamque prepedit vel magnatum gratia, fauor-  
que; vel burfa improbè nummata, insignisque au-  
ri, opumque cupido, à quâ desinunt esse, quod sunt,  
Pastores,

Pastores, & canes; & muti redduntur vt boues. Longè aliter boni Præsules, *vigilant illi*, inquit D. Bernardus, *super gregem propter tria. Videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces: ad disciplinam, propter morum correctionem; ad custodiam, propter diabolicam suggestionem; ad preces, propter tentationum instantiam. In disciplinâ rigor est iustitiæ, in custodiâ spiritus consilij, in prece affectus compassionis.*

In Sententijs.

### III. OFFICIUM BONI PASTORIS.

*Oves potius amet, quam vellus.*

**P**ro Præsuli, ac Pastori hæc cælo scripta lex est. Oves impensius amet quàm vellus: animas quærat, ac venetur, non honorum titulos, & dignitatis insignia: vt enim disertè D. Bernardus. *Sollicitudo officium Prælati est, non celsitudo.* Sed proh dolor! hoc quo viuimus æuo quamplurimi celsitudinem ambiunt, & operosè quærunt, sollicitudinem admittunt omninò pauci, fugiunt plerique omnes. Huiusce meæ assertionis authorem habeo, ac defensorem Bernardum, cuius eloquentiâ in primis delector.

In Sent.

*Non omnes, inquit, sunt amici sponsi, quos hodie sponsa hinc inde assistere cernis. Rationem porro hanc subiicit: quia pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt, quærant ex omnibus caris eius. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt Mammonæ. Intuere quomodo ince-*

T t t 3

dant

*Serm. 77. in cant.* dant nitidi, & ornati, circumamicti Vanitatibus, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam talium repente e minus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quam sponsæ custodem? Unde vero hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum argenteorum, & aureorum, nisi de bonis sponsæ? Inde est quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miserandâ, incultâ, hispidâ, exanguis. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare, non est custodire, sed perdere, non est instituere, sed prostituere, non est pascere gregem, sed mactare, & deuorare, dicente de illis Domino. *Qui deuorant plebem meam ut cibum panis. Quem dabis mihi de numero Prælatorum, qui non plus inuigilat subditorum vacuandis marsupijs, quam vitijs extirpandis? ubi qui orando flectat iram? qui prædicet annum placabilem Domino. O Utinam tam vigiles reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad cathedram. Optandum illud quidem: at à multis vix sperandum: sunt enim etiam sub hoc quo spiramus cælo similes Pastoribus Israël, quibus Propheta intentat mœstum ac formidolosum illud.*

*Vae Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nonne greges à Pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, gregem autem meum non pasce-*

*pasce.*

*pascebatis.* Quod tamen ex æquo, bonoque oportuit: quis enim benè sensatus non oderit illud ac deploret, vt se ipse farciat, ac faginet Pastor, dum interim inediâ tabescunt, ac malè pereunt oues, velulque Pastori cedunt; imò & carnem, & animam fœdè prodigunt, vt ei sit quàm lautissimè. Digna certè lacrymis ea miseria, curæque præposteræ, in quas proinde seuerè olim animaduertit Seruator optimus, cæteroquin mortalium omnium mitissimus.

Animo, ac cogitatione recolite, quo olim vultu, quo pede in templum venerit Christus; fecit ille sibi flagellum de funiculis, eiecitque vendentes, & ementes de templo, & nummulariorum officinas euertit, æsq; malè partum dissipauit.

Hic dubium mouet D. Hieronymus, cur in hos adeò seuerus Saluator, qui in alios peccatores mitissimus? huic quæstioni facit satis, dum ait; illos fuisse Sacerdotes ac Doctores legis, quorum cathedras euertit; quia per illa mercimonia, specie quidem pietatis ac religionis, plus insudabant lucris, quàm sacrificijs, nec tam immortali Deo victimas parabant, quàm importunam auaro marsupio farcinam, & pondus æris malè accumulatum.

Non sic verus Pastor, ouibus ille suis, non sibi studet, animis inhiat, non fortunis: similis Abrahamo, qui à prælio redux, & victor, non opima spolia, non prædas expetijt: sed animas.

Da mihi, inquiebat olim Heros fortissimus, *da mihi animas, cætera tolle tibi*: sint licet multæ, & diuites hostium exuuia, sint opulenta castrorum spolia, sit quantumuis ingens auri pondus, sit ab extremo orbe petita gemmarum vis, & copia; sint greges, & armenta, primorum sæculorum, opes ac diuitiæ: sint urbium, & regnorum, imò etiam vniuersi si voles thesauri, gazæque: meâ nihil interest, ista nec amo, nec ambio; animas volo, & quaero, illas mihi concede, cætera, per me licet, tolle tibi, & serua.

Quod olim sensit, & dixit magnarum gentium pater Abrahamus, hoc in se ipse sentire & palam eloqui debet bonus Pastor; hæc vota, hæc voces, ô coelum, ô terra, ô munde, da mihi animas, cætera tolle tibi: mihi certè plus satis immortales animas, superis, ac beatitati natas Deo, ac Domino seruare: cætera vt pereant, parum, aut nihil omnino refert, modò cœlo reddatur animæ, quas curæ meæ Pastoralis supremus omnium Pastor cõmittendas putauit.

#### IV. OFFICIUM BONI PASTORIS.

*Omnibus omnia factus, vt omnes saluos faciat.*

**I**Ta de se ipse quondam Apostolus, & Doctor Gentium Paulus: *omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Non mentiendo, inquit Augustinus, sed compatiendo, non simulantis astu, sed*

*commi-*

*commiserantis affectu omnibus omnia factus est Paulus.* Non eo modo, quo politici nostri temporis, qui perperam hunc locum interpretantur, ex eoque errori suo patrocinium faciunt, vt per fas & nefas omnium moribus sese accomodent, animumque vt vestem mutant: ita cum Turcis Turcæ, cum Hæreticis Hæretici, cum Atheis Athei sunt, & cum incestis incesti; quod quàm ab homine alienum sit, nemo non videt. Certè vt summæ virtutis ac prudentiæ sit omnium quibuscum agis, ac viuus, genio te ipse aptare, quantum natura, ratio, honestas, Dei que lex patitur: ita summæ leuitatis, imprudentiæ, temeritatis, imò & infidelitatis est, omnium omninò studia sequi, & mores induere, & quod in re etiam ipsâ non es, improbè mentiri: quod faciunt Politici, quorum hæc ætas nimium est ferax.

Non sic Paulus, non sic; omnibus ille factus omnia, sed ex virtutis normâ, placitoque caritatis.

Ita *ijs qui sub lege erant*, factus est quasi & ipse v. 21.  
*sub lege esset*; nempe vbi Timotheum circumci- Vt ait  
 dit, & purificatus voti causa templum adiuit. Ita ni- Oecume-  
 mirum prudenter temporari cessit, & hoc Mosaicæ nus.  
 legi concessit, vt sibi Iudæorum animos deuinciret. Act. 21.  
v. 26.

Et contra vt Gentiles caperet, neceretque vinculo Christianæ caritatis, ipsis qui *sine lege erant*, sese exhibuit, tanquam & ipse sine lege esset, yniusque na-

V u u

EURÆ

522 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
turæ ductum, ac lumen sequeretur. Nimirum ea  
veræ prudentiæ lex est, id præceptum caritatis, vt te  
ipse aliorum placitis adaptes; vbi in ijs nihil à ra-  
tione, à virtute, à Deo abhorrens apparebit.

Et illud est boni Pastoris officium, quod olim  
etiam in nomine Hebræi sapientes expressere; a-  
pud quos legis Doctores, & Pastores dicebantur  
*Rabbi.* *Rabbini*: hoc est *multiplicati*: Rabbi enim ex He-  
braicâ etymologiâ, id est *multus*, à radice *Raua*,  
quod idem est ac *multiplicari*, & multum esse,  
quod Doctor, & Pastor debeat quodammodo  
in se ipse, & in alijs multus esse, vt ab illo multis sit  
quàm optimè. Et inde factum autumo vt diuinæ  
legis Doctores, animarum Pastores cum speculo  
componantur.

Vt oculus speculum est naturæ, ita speculum  
oculus artis, hoc nonnulli Pastoris ac Præsulis  
symbolum esse voluere.

Visebatur in nudâ tabellæ areâ affabrè elabora-  
tum speculum, quod hinc, & inde ambiebant alij  
atque alij humanâ quidem specie omnes, sed planè  
diuersâ, hi enim subridere, flere illi; hi demissis  
oculis, contractis labellis, vultuque ad mœrorem  
ac luctum composito, illi explicatâ fronte, amœno  
vultu, conniuentibus oculis, & nescio quid lætum  
spirantibus: incurrebant autem omnes in specu-  
lum, & haustis hinc atque hinc imaginibus, fide-  
liter

liter reddebantur : vt meritò dubitares quæ à naturâ,  
quæ ab arte, seu speculo expressa foret imago, quæ  
viua ac spirans, & quæ huius species ac simulacrum:  
ita bellè vna alteri similis. Legebatur autem appen-  
sa hæc epigraphæ.

## OMNIBVS OMNIA FACTVM.

Est illud boni Pastoris hieroglyphicum, qui om-  
nibus omnia fit, vt omnes faciat saluos : nouit  
enim ille ex intimo animi sensu dolentibus com-  
pati, & flere cum flentibus : nouit & cum gauden-  
tibus gaudere : & hoc eo tantum vt tam hi quam  
illi cœlo reddantur, ac beatitati : habet nimirum ea  
boni Pastoris cum ouibus suis sympathia, nescio  
quas illecebras ad capiendos animos, & incredibili  
quodam amoris, ac caritatis nexu vinciendos.

## V. OFFICIUM BONI PASTORIS.

*Animam suam ponat pro ouibus suis.*

**C**hristus Dominus Seruator optimus vt amo-  
ri indulgeret suo, se Pastorem dixit. *Ego, in-  
1o. c. 10.*  
quiebat olim, *sum Pastor bonus.* Ac ne verbis tan-  
tum esset fides, argumentum addidit, à re etiam  
ipsâ, experienciâque petitem : *bonus Pastor ani-  
mam suam ponit pro ouibus suis :* & ego quoq; expo-  
no per infame crucis lignum, extremaque suppli-  
cia. Et hanc à Christo sibi legem impositam senserunt  
omnes, qui deinde ad pastorale munus annuente  
cœlo sunt euocati. Te ducam, beneuole lector, ad

V u u 2

primos

324 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
primos Ecclesiæ principes, & secundos à summo  
Pontifice, Christi que Vicario Pastores. Ij sunt Patres  
purpurati, quos purpura & cruētus ille vestis color,  
pro suis ouibus sanguinem profundendum edo-  
cet. Scio purpuram illam inuida linguâ peti, & fe-  
roci vngue ab hæreticis lacerari, maximè à Vermi-  
lio; qui vt ad vinum loquax, ita & ad maledicen-  
dum in primis disertus.

Inter mensas, & pocula, ebrias que mentes inijcit  
ille hanc quæstionem: cur Ecclesiæ Romanæ Car-  
dinales purpureâ tegantur, ornentur que veste? tum  
vt hunc nodum soluat, alias, at que alias affert sen-  
tentias, non tam ex rei veritate, quam ex quadam  
maledicendi licentiâ.

Vna statuit illud suæ causæ firmamentum; pur-  
puram illam, togam que multo murice croco que  
tinctam satis super que proderet cruentos animos, &  
sanguinis humani sitientes, quem scilicet eliciunt  
at que effundunt in crudeli illo foro inquisitionis.  
Crudele forum appellat, quia in eo vapulat hæresis,  
& quisquis est conuictus erroris, vitam amittit: ex  
vero tamen non est crudele, sed benè prouidum,  
tum vt dogmata perpendat æqua lance, at que exa-  
minet: tum vt errores aperiat, at que euentilet; tum  
denique vt in ijs obstinatos debitis supplicijs affi-  
ciat, tollat que è medio, nè vt oues morbidæ, reli-  
quum Christi gregem inficiant, ac malè perdant.

Alterâ

Altera sententia purpuram illam ascribit insolenti superbix, quæ regiam maiestatem etiam in veste affectat, atque mentitur. Quis enim venerandæ antiquitatis adeò rudis sit, atque ignarus, ut nesciat Reges, ac Cæsares purpurâ solitos vestiri; imò & seuerè cautum olim, nè quis præter eos purpureo colore tegetur: nimirum hunc amabant prima illa orbis lumina, & secundum rem rectores huius vniuersi, quos non solum à vulgo, sed & ab alijs quibuscumque vel ipsa vestis discernere debet, ac distinguere. Et verò cum primùm nasceretur & surgeret Ecclesia, Cardinales non purpureo, sed violaceo colore spectabiles erant, nec immeritò. Est viola modestiæ, & demissi animi solum, qui si in ijs patribus esset, procul abesset purpura, affectatæ dignitatis insolens nota: Ita Vermilius, eiusque affectæ, cõtra quos pugnat ipsa mutata vestis ratio, causaque, quæ historiaram peritis, in oculis, in luce est.

Cedo illud Vermilio Sacros Ecclesiæ Romanæ Principes primùm violaceo colore indutos, ac deinde lapsu temporis purpureo; sed nego, & pernego, id vel superbix, vel immanitati ascribendum; imò verò pietati, religioni, caritati dandum esse contendo. Labet illius temporis dieique meminisse, quæ primùm in sacra purpurâ patres illos aspexit. Vertebatur à Christo nato annus quadragesimus quintus supra millesimum & ducentessimum: Cum Frede-

526 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
ricus Imperator Ecclesiæ Matri, & Romano Ponti-  
fici petulantius insultare, & bonis omnibus arma,  
cædesque minitari cœpit.

Eo loci ac temporis in Petri cathedrâ sedebat In-  
nocentius, eius nominis quartus, qui vt tanto malo  
remedium faceret, sisteretque graues iras, ac impo-  
tentes Cæsaris conatus, creauit Cardinales omninò  
duodecim, eosque omnium primus purpureo gale-  
ro donauit, vt eo, veluti sacratione galeâ probè tecti,  
in hostem irent audacius, in arma liberius inuola-  
rent, & pro religione, pro fide, pro cælo, Deoque  
capita ponerent, non timidi pro Christi peculio,  
gregeque fidenter emori. Ex illâ die, luceque beni-  
gniore iuit in posteros, & in omnium Cardinalium  
capita euasit purpura, ceu galea salutis, fidei nota,  
tessera religionis, & officij Pastoralis arrha, quæ pro  
caritate, pro zelo diuinæ gloriæ, & animarum salute  
etiam capita, vitamque desponderet. Ac nè tan-  
tum caput membrum illud hominis princeps, sed  
& corpus omne reliquum eodem murice fulgeret:  
Paulus Secundus, qui creatus est Pontifex anno  
Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo  
quarto, magnis illis Ecclesiæ Romanæ Præsuli-  
bus vestem talarem, & rubeam attribuit, vt à capite  
ad calcem purpura conspicui cæteris eminent. Ac  
nè à ratione vacuû videretur illud instituti genus,  
hanc mutatæ vestis causam adiecit summus Ponti-  
fex:

fax: *ut sicut Christus in passione purpuram induit, & se ipse, & Ecclesiam suo sanguine purpuravit: sic & Cardinales ubi galerum, purpuramque assumerent, monerentur etiam afferre Christo suppares animos, & vitam sanguinemque Ecclesiae, animarumque causam prodigere. Et hic animus audax omnia perpeti Praesulem facit, ac probat.*

Is olim Israëli Moyse fuit: cuius ex ad Deum voces: *aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Exod. 32. v. 31.

In scelus omnino praecipit iuerat Israël, ibat & in poenas tot flagitijs incitatum Numen: cum ecce reum inter, ac iudicem medius stetit Moses dux & Pastor optimus, & hæc in cælum emisit.

*Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti: aut dimitte ô Deus, aut tolle me de vitâ, nomenque meum expunge de libro viventium.* Hier. ad Algas.

Eius animi fuit & Paulus, imò si Chrysostrum audimus etiam altioris, cuius hic æstus impetusque amoris. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis: quæ verba æquâ lance dum expendit Chrysostrum, hæc fundit ore aureo.* Ad Rom. 9. v. 3.

*Moyse profecto Paulus satis eminenti virtute transcendit, cuius quidem sunt multa alia præclara: sed caput illius sanctæ animæ, atque fastigium est, quoniam pro Iudeorum salute, deleri eligit ex libro vitæ;*

*Sed*

*Sed Moyses cum cæteris optavit perire, Paulus pro cæteris.*

Erant Iudæi duræ cervicis & aduersa cælo capita, quæ nec emollire vis amoris, nec terrere minæ, nec pœnæ frangere posse videbantur. Expectari debuit vel vt terra discederet, immani que hiatu inuisum cælo genus hauriret, vel, vt cælum omne tonaret, & ingenti fragore fulmina, globosque demitteret, vel alio quopiam supplicij genere peteret, perderetque. Quid enim aliud post tam enormem animorum contumaciam expectari debuit, aut etiam potuit? omninò nihil. At illud pacato Numine huic orbi extulit Pauli caritas, & incensus animarum zelus, dum enim ex impetu quodam pietatis in suos, optat anathema esse à Christo, hoc est, interprete *Ad Algas* D. Hieronymo; pro Iudæis, suaque gente mortem *q. 2.* obire; parata cælo fulmina decussit, & incumbentem iam eorum verticibus pœnarum molem excussit: & ita quidem vt iustitiæ miseratio, mors vitæ, perfidia fidei, damnatio salutis cederet, ac beatitati: tantum apud æquum cæli iudicem potest vel vnus Pastoris incensa caritas.

FINIS.

INDEX

# INDEX CAPITVM

ET

## PARAGRAPHORVM.

CAPVT I.		<i>ratio institutionis?</i> p. 49.	
<b>Q</b> ua genuina Clerici etymologia? p. 1.	CAPVT IV.		
§. Primus.	<i>De tempore, &amp; die Ordinationis.</i> p. 63.		
<i>Prima etymologia nominis Clericus.</i> p. 1.	§. Primus.		
§. 2.	<i>De tempore quo Ordines conferri solent.</i> p. 63.		
<i>Secunda etymologia nominis Clericus.</i> p. 7.	§. 2.		
§. 3.	<i>De Sabbato, in quo Ordinari solent Clerici.</i> p. 70.		
<i>Tertia etymologia nominis Clericus.</i> p. 18.	<i>Genuina etymologia nominis Sabbatum.</i> p. 70.		
CAPVT II.		<i>Rationes cur ex Ecclesiae instituto Ordines dentur in Sabbato?</i> p. 73.	
<i>De Tonsura Clericali.</i> p. 22.	§. Primus.	Prima Ratio.	
§. Primus.	<i>Unde Tonsura Clericalis originem sumpserit?</i> p. 22.	<i>Quies ab opere seruili.</i> p. 73.	
§. 2.		Secunda Ratio.	
<i>Rationes, ob quas Clericis imponitur Tonsura.</i> p. 28.		<i>Quies, &amp; secessus spiritalis.</i> p. 77.	
CAPVT. III.		Tertia Ratio.	
<i>De Corona Clericali.</i> p. 47.	§. Primus.	<i>Sabbatismus, seu annua ueneratio primæ consecrationis.</i> p. 81.	
<i>Quid sit Corona, &amp; unde dicta?</i> p. 48.		CAPVT V.	
§. 2.		<i>De Sacramento Ordinis.</i> p. 86.	
<i>Quæ Corona institutio? quæ</i>		Xxx	§. Pri-

INDEX CAPITVM

- §. Primus.  
*Sitne in Ecclesia verum Ordinis Sacramentum?* p. 86.
- §. 2.  
*Quot sint Ordines, & unde petatur eorum numerus?* p. 89.
- §. 3.  
*Rationes alia deducta ex mysterijs numeri septenarij.* p. 94.
- Prima Ratio.  
*Septenarius numerus est sacer.* p. 95.
- Secunda Ratio.  
*Septenarius numerus à maiestate nomen habet.* p. 99.
- Tertia Ratio.  
*Septenarius numerus virgo.* p. 103.
- CAPVT VI.  
*De vestibus sacris, quibus induuntur Ordinibus initiati, & quid ea portendant?* p. 108.
- Pars Prima.  
*De veste Leuitarū, & Sacerdotū Antiqua legis.* p. 109.
- §. Primus.  
*Quid superhumeralē, siue Ephod.* p. 110.
- §. 2.  
*Quid esset Rationale?* p. 113.
- §. 3.  
*Quid Vr̄im & Tummim Doctrina & veritas in Rationali, & quæ ab illis futurorum præfagitio?* p. 116.
- §. 4.  
*Quid Tunica hyacinthina, mala punica, cum tintinnabulis?* p. 122.
- §. 5.  
*Quid Tiara, & quæ eius inscriptio?* p. 125.
- §. 6.  
*Cur ineffabile Dei nomen gestaret in fronte Pontifex? quæ religio, quæ vis in eo nomine?* p. 132.
- §. 7.  
*Tiara byssina sacri capitis ornamentum.* p. 139.
- §. 8.  
*Annulus Pontificiæ dignitatis, potestatis & coniugij insigne.* p. 145.
- §. 9.  
*De virga Aaronis, & baculo Pastoralī.* p. 150.
- Pars Secunda.  
*De vestibus Clericorum ac Sacerdotum nouæ legis.* pag. 157.
- §. Primus.  
*De veste Clericali.* p. 158.
- §. 2.

ET PARAGRAPHORVM.

- |   |   |
|---|---|
| §. 2.<br><i>De calceis quos induunt sacris<br/>operaturi.</i> p. 164.   | Pars Prima.<br><i>De sacrosancto Missæ sacrifi-<br/>cio.</i> p. 246.                      |
| §. 3.<br><i>De Amictu Sacerdotali, ceu<br/>galea salutis.</i> p. 171.   | §. Primus.<br><i>Sitne Missa nouum, an anti-<br/>quum nomen?</i> p. 247.                  |
| §. 4.<br><i>Manipulus fletus, &amp; doloris.</i><br>p. 176.   | §. 2.<br><i>Quæ notio, &amp; etymologia<br/>huius nominis Missa? pag.<br/>250.</i>        |
| §. 5.<br><i>Stola Immortalitatis.</i> p. 182.   | §. 3.<br><i>Quæ Missæ institutio? p. 256.<br/>Ratio institutionis.</i> p. 265.            |
| §. 6.<br><i>Cingulum castitatis.</i> p. 186.  | §. 4.<br><i>Quid Missa, &amp; quæ eius<br/>partes?</i> p. 269.                            |
| §. 7.<br><i>Alba Sacerdotalis, seu lorica<br/>Iustitiæ.</i> p. 192.<br><i>Prima Iustitiæ lex.</i> p. 196.<br><i>Secunda lex Iustitiæ.</i> p. 198.<br><i>Tertia lex Iustitiæ.</i> p. 202.<br><i>Quarta lex Iustitiæ.</i> p. 206. | §. 5.<br><i>Sintne probanda Cæremonia<br/>diuini huius sacrificij? pag.<br/>271.</i>      |
| §. 8.<br><i>Casula erit pro scuto fidei.</i> p.<br>211.   | §. 6.<br><i>Dies &amp; hora sacrificij.</i> p. 275.                                       |
| §. 9.<br><i>Liber Euangeliorum in manu<br/>erit pro gladio.</i> p. 225.   | §. 7.<br><i>De Templo, &amp; loco sacrificij,<br/>reuerentiaque ei debita.</i> p.<br>281. |
| §. 10.<br><i>Quomodo gladium illum spi-<br/>ritus, Dei verbum, vel re-<br/>tundere, vel infringere co-<br/>nati heritici.</i> p. 238.   | §. 8.<br><i>De situ Templorum ad Orien-<br/>tem.</i> p. 291.                              |
| CAPVT VII.<br><i>De diuinis Officijs.</i> p. 245.   | §. 9.<br><i>Sanctorum nomini templa in-<br/>scripsit tota Antiquitas.</i> p.<br>296.      |

INDEX CAPITVM

- §. 10.  
De Altaris nomine, materia,  
consecratione. p. 298.
- CAPVT VIII.
- De Caremonijs Missæ:ijs præ-  
sertim, quæ in actione con-  
sistunt. p. 305.
- §. Primus.  
Ieiunium naturale. p. 305.
- §. 2.  
Lotio manuum ante sacrifi-  
cium, sacramque Commu-  
nionem. p. 311.
- §. 3.  
De signo Crucis. p. 316.
- §. 4.  
De triplici osculo, altaris, li-  
bri, & pacis. p. 322.  
Rationes cur Sacerdos altari,  
libro, & Diacono osculum  
præbeat. p. 329.
- §. 5.  
De eleuatione manuum. pag.  
335.
- §. 6.  
De Sacerdotis inclinatione. p.  
343.
- CAPVT IX.
- De Caremonijs Missæ, ijs ma-  
ximè, quæ verbis expri-  
muntur. p. 347.
- §. Primus.  
De Introitu. p. 348.
- §. 2.  
De Psalmo Iudica, & Con-  
fessione generali Sacerdotis,  
p. 352.
- §. 3.  
De versiculo, Gloria Patri,  
& Filio, & Spiritui San-  
cto. p. 355.
- §. 4.  
De sacris illis vocibus: Kyrie  
eleison, Christe eleison. pag.  
359.
- §. 5.  
De Hymno, Gloria in altissi-  
mis Deo, & in terra pax  
hominibus Luc. 2. p. 364.
- §. 6.  
De solemnibus illa salutatione:  
Dominus vobiscum. p. 366.
- §. 7.  
De Collecta, & voce Hebraea  
Amen. p. 368.
- §. 8.  
De Epistola, Graduali, Tra-  
ctu, Versiculo, Prosa, Euan-  
gelio. p. 370.
- §. 9.  
De Symbolo. p. 377.
- §. 10.  
De Prasatione. p. 379.
- §. 11.  
De Hymno triumphali, San-  
ctus, Sanctus, Sæctus. p. 386.
- §. 12.

ET PARAGRAPHORVM.

§. 12.  
De nomine, Authore, & sacro  
silentio Canonis. p. 390.

CAPVT X.

De Beneficijs. p. 396.

§. Primus.

Quid sit Beneficium Ecclesia-  
sticum, & quis illius ca-  
pax? p. 396.

§. 2.

Quæ ætas beneficio Ecclesia-  
stico sit idonea? p. 398.

§. 3.

Beneficiario è triplici schola  
petēda studiorum, & scien-  
tiæ ratio. p. 402.

§. 4.

Insignis morum probitas; &  
inculpata vitæ antea acta se-  
ries? p. 411.

CAPVT XI.

De Horis Canonicis. p. 420.

§. Primus.

De nomine Horarum Canoni-  
carum. p. 420.

§. 2.

De numero & ordine Hora-  
rum Canonicarum. p. 422.

§. 3.

De tempore, quo Horæ Cano-  
nicæ legi debeant. p. 430.

§. 4.

De loco, & situ corporis le-  
gendis Horis conueniente.  
p. 436.

§. 5.

Qui obligentur ad Horas Ca-  
nonicas? p. 439.

§. 6.

Quale peccatum sit Horarum  
omissio? p. 443.

§. 7.

Qui, & quales beneficij fru-  
ctus? p. 446.

§. 8.

Quæ attentio requiratur in  
Horis Canonicis, ut Eccle-  
siæ præcepto fiat satis? p.  
449.

§. 9.

Quæ attentio requiratur in le-  
gendis Horis ex virtute, ac  
perfectionis studio? p. 453.

CAPVT XII.

De Residentia. p. 464.

§. Primus.

Quale sit præceptum Residen-  
tiæ? p. 465.

§. 2.

Quæ commoda nascantur ex  
Prelatorum Residentia? p.  
470.

Xxx 3

§. 3.

INDEX CAPITVM ET PARAG.

§. 3.

*Quæ incommoda oriuntur ex  
Prælatorum absentia? p.  
474.*

§. 4.

*Examinatur ea excusatio,  
Pastores, & Episcopos per  
Vicarios regere, & gregem  
suum pascere. p. 480.*

§. 5.

*Similitudines, & exempla  
quibus altè Præsulum ani-  
mis obligatio residendi im-  
primitur. p. 485.*

§. 6.

*Quæ Præsuli incumbat obli-  
gatio suos visitandi? pag.  
492.*

CAPVT XIII.

*De alijs boni Præsulis, &  
Pastoris officijs. p. 505.*

1. Officium boni Pastoris.  
*Amor, & Caritas. pag.  
507.*

2. Officium boni Pastoris.  
*Vigilantia. p. 509.*

3. Officium boni Pastoris.  
*Oves potius amet, quam vel-  
lus. p. 517.*

4. Officium boni Pastoris.  
*Omnibus omnia factus, ut om-  
nes saluos faciat. p. 520.*

5. Officium boni Pastoris.  
*Animam suam ponat pro oui-  
bus suis. p. 523.*

INDEX



## INDEX RERVM.

A.

- A**ron forte electus in Sacerdotem. p. 151.  
 Aaronis virga quæ fuerit? p. 150.  
 Aaronis virga alia à Moysis virga. p. 151. Illa fuit amygdalina. Ibidem.  
 Aaronis virga an decisa è Paradiso terrestri? p. 152. An ea per quam aquæ amaræ redditæ dulces? & cur virga Dei? Ibidem.  
 Miracula patrata in virga Aaronis. p. 153. An durarint ad sæcula? Ibidem.  
 Aaronis inconstantia. p. 481.  
 Abraham primo dictus *Abram*, dein *Abraham*: addita *be* littera nominis *lehoua*. p. 137.  
 Adam quamdiu fuerit in Paradiso? p. 183.  
 Adamo & Heuæ cur factæ tunicæ pelliceæ? p. 76.  
 Adæ prima vestis cur è folijs ficus? p. 192. Secunda cur è pelibus? p. 193.  
 Adolescentis deprauatio mirabilis. p. 501.  
 Ægyptij Pastores oderunt. p. 505.  
 Ætatem virtus facit. p. 398.  
 Agrippæ Regis de Sacerdotum dignitate illustre testimonium. p. 58.  
 Alauda cur dicta olim antiquior terra? p. 429.  
 Alleluia quid significet? p. 371.  
 Cur in Quadragesima & hebdomada sancta cani voluerit Lutherus. p. 371.  
 Alogiani tres tantum Euangelistas receperunt. p. 240.  
 Altare vnde dictum? an ab altitudine? an quasi alta ara? p. 298. 299.  
 Altare cur olim è terra? p. 300.  
 Altare cur modo debeat esse lapideum? p. 301.  
 Altare primum dicatum SS. Trinitati. p. 304.  
 Altarium ornatus. p. 264.  
 Amangucianorum conuersio. p. 236.  
 Amoris lacrymæ. p. 42.  
 Amygdalus Hebraicè *Scaked*, id est euigilans. Cur ex eâ virga Aaronis? p. 154.  
 Amygdalus prima viret, & marcescit vltima. p. 154. Symbolum vigilantia. p. 155. Patientia, Ibidem.  
 Ananias & Sapphira expirant percussi ore gladij D. Petri. pag. 229.  
 Anchora spei symbolum. p. 175.  
 D. Andreas quotidie sacrificauit. p. 277.  
 Angelus Eremitæ modò ferr vvas acidas, modò maturas. p. 433.  
 Angelus Dei Vicarius, & Dux Iraelis. p. 482.  
 Angeli vigiles. p. 112.  
 Angeronia Dea silentij. p. 393.  
 Anglia tributaria D. Petro. p. 14.  
 Animæ

INDEX RERVM.

- Animæ pretiū ostenditur. p. 500.  
 Annulus cuius rei symbolū? p. 145.  
 Annulus pronubus olim ferreus,  
 & sine gemma. p. 147.  
 Annulus cur gesserit digito me-  
 dico sinistro manus? p. 147.  
 Annuli vsum suis militibus con-  
 cessit Cæsar. p. 146.  
 Annulum nemo gestabat nisi de  
 Senatus consulto. p. 146.  
 Annulū cur gesserit Pontifex? p. 148.  
 Annulos tot digitis inferebant  
 Carthaginenses, quot victorias  
 reportassent. p. 147.  
 Antiochiæ primum dicti Chri-  
 stiani; & quare? p. 514.  
 Antiphonas S. Ignatius inuenit.  
 p. 352.  
 S. Antonij præclara monita. p. 7.  
 S. Antonius de Padua dictus: *Ar-  
 ca testamenti.* p. 68.  
 Aqua laustralis vnde in tēplis? p. 312.  
 Aquila quomodo se depilat. p.  
 39. Symbolum pœnitentiæ,  
 Ibidem.  
 Ara ab ardendo dicta. p. 299.  
 Aragoniæ regnum Pontifici ve-  
 stigale. p. 14.  
 Argus Pastorum Princeps. p. 509.  
 Quomodo excæcatus? Ibidem.  
 Cur à Mercurio & Venere?  
 Ibidem.  
 Ariani negant Trinitatem. p. 356.  
 Armus dexter cur daretur Sacer-  
 doti, Regi sinister? p. 210.  
 Athenienses cur nulla ingratas  
 supplicia decreuerint. p. 384.  
 Attila cum exercitu oratione fu-  
 gatur. p. 363.  
 Avaritia Clericorū arguitur. p. 9.  
 D. Augustini parsimonia, & illu-  
 stre monitum ad Ecclesiasti-  
 cos. p. 17. 18.  
 D. Augustini vora tria. p. 406.  
 Aurum & ferrum in delubra non  
 inferendum. p. 301.  
 B.  
 Baptismi forma apud Arianos. p.  
 356. damnata miraculo. Ibidem.  
 Baptismi cæremoniæ. p. 217.  
 Baptisterium Constantini. p. 13.  
 D. Barnabas sepelitur cum Evan-  
 gelio D. Mathæi, quod sibi ip-  
 se descripserat. p. 333.  
 D. Bartholomæus centies in die  
 flecebat. p. 439.  
 D. Basilius percutientibus ada-  
 mas, dissidentibus magnes. p.  
 210.  
 D. Basilius duabus oculis. Kyrie  
 eleison Ecclesiæ portas aperit.  
 p. 363.  
 Beatitudinis memoria. p. 59. 61.  
 Bellarminus quomodo in horis  
 canonicis serualet interualla  
 temporis. p. 431.  
 Bellarminus Archiepiscopatum  
 dimittit: oblatam residendi  
 dispensationem recusat. p. 489.  
 Bellarmini litteræ ad Capuanos.  
 p. 489.  
 D. Benedictus Dæmonem fugat.  
 p. 436.  
 Beneficium quid sit? p. 396. quis  
 illius capax? p. 397. quæ illi  
 ætas idonea? p. 398.  
 Beneficij fructus quales sunt? &  
 cur dicuntur: *Bona Domini. Pa-  
 trimonium*

## INDEX RERVM.

- trimonium Crucifixi. Deposita pietatis vota fidelium. Pretia peccatorum. Patrimonia pauperum?* p. 446. & seq.
- Beneficia Ecclesiastica non sunt danda consanguineis.** p. 204. 205.
- Beneficiarius an redditu suorum Dominus, an dispensator.** p. 97. 98.
- Beneficiarius quo iure teneatur ad horas Canonicas?** p. 441.
- Beneficiarius horas Canonicas o-mittens an teneatur ad fructuū restitutionem, & quomodo?** p. 442.
- Beneficiarij an Domini fructuū?** p. 446.
- Bibliorum reuerentia apud Iudæos; iuxta ea sedere, nefas.** p. 333.
- D. Bonifacius Epistolas S. Petri descriptas habebat litteris aureis.** p. 67.
- Bouem habere in linguâ quid sit?** p. 516.
- Bulgarorum Rex Legatis Pontificijs crinem resectum tradit in signum submissionis.** p. 33.
- C.
- Cæremonias Ecclesiæ Lutherus appellat: *Irritabula pietatis.*** p. 271. **Calvinus: *Rubiginem Cænæ Domini.*** p. 272.
- Cæsarum constitutiones contra Clericos impugnat D. Ambrosius.** p. 8. 9.
- Cain quale signum fuerit? an nomen *Ieboua?*** Ibidem.
- Calceus symbolū libertatis, vsu-  
captionis.** p. 164. **Lætitia, for-  
titudinis.** p. 166.
- Calceamenta sponsæ quæ sint?** p. 169. 170.
- Calix in quo Christus sacrificauit fuit è lapide pretioso.** p. 263.
- Calvinus Ecclesiasticū, & libros Machabæorū repudiavit.** p. 240.
- Calvini in Christum blasphemia.** p. 173.
- Caluitium, & fæccus signa cala-  
miratis.** p. 44.
- Canon vnde dictus? p. 391. cur  
dicatur secretum? Ibidem.**
- Canonem Missæ impugnat Lu-  
therus.** p. 390.
- Canonici vnde dicti? p. 421. viue-  
bant olim in cõmuni. Ibidem.**
- Capilli, & cornua vnde nascan-  
tur.** p. 31.
- Capillorum luxus arguitur.** p. 29.
- Capillos abscindere signum con-  
secrationis.** p. 24.
- Caput eradebat qui è naufragio  
enatasset.** p. 46.
- Capite nudo inceserunt Antiqui.** p. 140.
- Cardinales cur induiti iam rubrâ  
veste? p. 524. cur ante viola-  
cæâ?** p. 525.
- D. Carolus Borromæus Scriptu-  
ram sacram legebat flexo ge-  
nu, & capite nudo.** p. 334.
- Caroli Magni erga Pontificem  
reuerentia.** p. 144.
- Castalion reiecit Cantica.** p. 239.
- Castitatis exemplum ratum in Sa-  
cerdotibus Idololâtris.** p. 104.
- Yyy  
Castitas

INDEX RERVM.

- Castiras Deo proximum facit, eis patria cælum p. 107. eius laus præclara. p. 108.
- Castiras est quid diuinum. p. 191. eius fortitudo quanta? eius honos apud Antiquos. Ibidem.
- Cataphryges scæminas ordinabât. p. 101.
- Catonis tria vora. p. 405.
- Caussidici olim ab Ordinibus arcebantur. p. 412.
- Chararicus Clodouçi iussu cur attonsus? p. 34.
- Chelis David præferebat nomen *Ieboua*. p. 138.
- Cherinthus solum Marci Evangelium recepit. p. 240.
- Chirothecarum proiectio, signû possessionis. p. 165.
- Clerici Etymologia 1. p. 1. Etymologia 2. p. 7. Etymologia 3. p. 18.
- Clerici officia duo. p. 5.
- Clerici rasi. p. 24. Et noui Nazaraei. Ibidem.
- Clerici olim dicti Reuerendissimi. p. 47.
- Clericos inter cur olim poneretur columba. p. 461.
- Clerus Romanus sub Cornelio sum. Pont. mille quingentos pauperes alebat. p. 448.
- Chlorarius filios conderi, aut interfici iubet. p. 33.
- Chori origo quæ, & vnde? p. 352.
- Chorim filius candidorum. pag. 160.
- Christus boni Pastoris exéplum. p. 494.
- Christus mortuus facile ad Orientem versa. p. 294.
- Christus cur dictus Oriens? pag. 294.
- Christus iudicaturus veniet ab Oriente. p. 295.
- Christus fleuit sapius, risit uero nunquam. p. 42.
- Christi æquitas in omnes. p. 203.
- Christi resurgentis gloria. p. 185.
- Christo duæ mammillæ, Misericordia & Iustitia. p. 130.
- Christiani olim ante Communionem lauabant manus. pag. 311.
- Christiani Christi nomé cur frontis, vel manui inurerent? p. 212.
- Christiani cur ad pedes Apostolorum sua deponebant. p. 11. 12.
- Christianorum primorû cur trita genua dicerentur? p. 439.
- Christianis ruboré injicient Ethnici. p. 16.
- Cingulum symbolum est castitatis. p. 188.
- Cingulum sponsæ soluebat sponsus. p. 188.
- Color quis præstet; albus, an niger? p. 160. Violaceus est Clericalis. p. 160.
- Communio quotidiana. p. 276.
- Conchylia cælû versus aperiuntur ut vniones gignant. p. 381.
- Concilium Eliberinû statuit penitentiam vnus anni ijs qui in Quadragesima vsi cõiugio fuerint. p. 314.
- Concionator non tam verbo quàm exemplo præluceat. p. 124.
- Concio-

INDEX RERVM.

- Concionator qualis esse debeat? p. 232. exemplo doceat. p. 233.
- Concionatores muti arguuntur. p. 516.
- Concionatores sint ambidextri. p. 234.
- Confessio generalis ante Missam vnde orra? eiusque vis. p. 353. remittit peccata venialia ex opere operato. Ibidem.
- Coniugati olim toto Quadragesimę tempore vsu coniugij abstinebant. p. 314.
- Connubia cur ad puteos & fontes inirent Patriarchę? p. 105.
- Conrardi Eginonis S. Romanę Ecclesię Cardinalis digiti sacri cęlesti luce rediabant. p. 342.
- Conscientia Hebręis dicitur *Leb*, id est, *Cor*. pag. 365. Pax bonę conscientię. Ibidem.
- Constantia in sancto proposito. p. 5. 6.
- Constantia viri iusti. p. 230.
- Constantinus Imperator Confessorum cicatrices osculabatur. p. 325.
- Constantinus in Concilio Nyęano sedit ad pedes Episcoporum. p. 268.
- Constantinus & Constantius sepulti in vestibulo templi Apostolorum. p. 288.
- Constantinus Magnus pręcepit vt die Dominico gentiles feriarentur. p. 336. Suam statuam effingi voluit erectis in cęelum manibus. Ibidem.
- Constantini Magni pia munificentia. p. 13.
- Constantini erga Episcopos reuerentia. p. 143.
- Constantinopolis quantum debeat D. Gregorio Nazianzeno? p. 473.
- Constantinopoli Iudices ius dicunt in conspectu Imperatoris. p. 201.
- Contemplatio & Actio. p. 237.
- Continentia gebenna Sacerdotum*, ait Tertul. p. 105.
- Controuersiarum quis arbiter? p. 91.
- Cornucopię quid apud Antiquos? p. 127.
- Corona vnde dicta? p. 48.
- Corona Gręcis *παπαλότρα*. p. 51.
- Corona ad imitationem spinę Christi. p. 50.
- Corona symbolum mundicię, & castitatis. p. 52.
- Corona signum veritatis. p. 53.
- Corona symbolum perfectionis. p. 55.
- Corona index regię potestatis. p. 56.
- Coronę Sacerdotum Athenis aureę; Romę floreę. p. 50.
- Coronę parui soles. p. 55.
- Crocodilus Ægyptijs Deus. pag. 393.
- Crux in sacro cur semper fiat impari numero? semel, ter, quinies. p. 316.
- Crux in fronte, ore, pectore cur formeretur? p. 317.
- Cruce signantur virgines. p. 321.
- Yyy 2 Cybe-

INDEX RERVM.

- Cybeles Deorum mater Sacerdotes castos amabat. p. 104.  
 D. Cypriani laus eximia. p. 411.  
 D.  
 Dæmon meridianus quis sit? p. 216.  
 Dæmon primus Scripturam facram corrupit. p. 241.  
 Dæmonum aliqui mane, alij meridie, alij vesperi tentant. p. 215.  
 Daijri in Deos suos, & Bonzios munificentia mirabilis. p. 15.  
 Davidis pœnitentia. p. 177. eius pugna cum Goliath. p. 225. quinque lapidibus inscripsit nomina quinque Patriarcharum. Ibidem.  
 Davidis nomine aperiuntur templi portæ. p. 363.  
 Dea Rumina quæ fuerit? p. 128.  
 Deus cur dictus mammeus? pag. 127.  
 Deus cum sole & scuto cur comparetur? p. 203.  
 Deus vnde theos dictus? p. 215.  
 Deus cur dicitur esse in Oriente? p. 293.  
 Deus in omnibus laudandus. pag. 385.  
 Deus supremus Pastor. p. 512.  
 Dei nomen Iudæi circulo includebant. p. 53.  
 Dei nomina decem. p. 125. & seq.  
 Dei solius est: *sum*. p. 126.  
 Dei emblemata apud Ægyptios. p. 127.  
 Dei definitio apud Aristotelem. p. 132.  
 Dei æquitas in omnes. p. 203.  
 Dei providentia mirabilis erga eos qui se illi committunt. p. 457.  
 Deo fidem qui dedisset, nomen eius scribebat in manu. p. 212.  
 Deos suos hæredes instituebant Ethnici. p. 15.  
 Diaconus impurus grauiter punitur. p. 106.  
 Diaconus cur signet frontem, os, pectus? p. 373.  
 Diaconus Euangelium, & Subdiaconus Epistolam cantans in mortali peccato, an mortaliter peccet? p. 373.  
 Diadema Cæsarum cur olim esset virta? p. 139.  
 Dies cur à vespere inceperit? p. 345.  
 Dies omnes dicti Iudæis Sabbatum. p. 72.  
 Dies cur antiquitas Deorum nomina præferrent? p. 72.  
 Dies ab Ecclesia cur nomine Feriæ appellati? p. 72.  
 Dies sacrificij, & communionis quis olim fuerit? p. 275.  
 Doctores cur dicti Rabbini? p. 198. & 522. Rabbini, id est multiplicati. Ibidem. Cur dicuntur speculum? Ibidem.  
 D. Dominicus à D. Paulo Epistolas accipit. p. 407.  
 Dominici & festi dies quomodo colendi? p. 71.  
 E.  
 Ebion solum S. Mathæi Euangelium recepit. p. 240. Ebionitæ D. Pauli Epistolas reijciunt. Ibidem.

Ecclesiæ

INDEX RERVM.

- Ecclesiæ Doctorem symbola. p. 315.  
 Ecclesiæ cur dicantur candelabra? p. 129. Cur dictæ tituli? p. 303.  
 Ecclesiastici Oeconomi suorum reddituum, non Domini. p. 17.  
 Eleutherius anno ætatis 20 creatus Episcopus. p. 398.  
 Elisei spiritus duplex, lenitas & seueritas. p. 209.  
 Elymas Magus voce D. Pauli excecatur. p. 229.  
 Ephod quid esset? p. 110.  
 S. Ephrem præclara monira. p. 7.  
 S. Epiphanius horam consecrationis appellat: *horam terribilem*. p. 310.  
 Episcopus olim consecrationem Sacerdotis osculo complebat. p. 324.  
 Episcopus Ecclesiæ suæ sponus. p. 484.  
 Episcopus tenetur visitare suas oues. p. 492.  
 Episcopi symbola, mel, & musica. p. 485.  
 Episcopi cum Seraphinis componuntur. p. 485. cum igne. p. 486. cum anima. p. 486. cum matre & nutrice. p. 487.  
 Episcopi non residentes comparantur cum meretrice. pag. 487.  
 Episcopi cur dicantur oculi? p. 513. Et cornua? Ibidem.  
 Episcopi qui indignos ordinant grauius arguuntur. p. 417. punitio diuina mirabilis. Ibidem.  
 Episcoporum in delinquentes seueritas. p. 208.  
 Epistolæ lectio quam antiqua? cur legitur in dextro cornu? p. 370.  
 Esseni qui fuerint? p. 22. 159.  
 Euangelium cur legitur in sinistro cornu? p. 370.  
 Euangelij rara encomia. p. 404.  
 Euangelio cur cereus incenditur, cur legatur facie versa ad Aquilonem? p. 373.  
 Euangelistarum symbola Leo, Vitulus, Homo, Aquila. p. 514.  
 Eucharistiæ laus & commendatio ab authore, loco, tempore, & modo institutionis. p. 257. & seq.  
 Eucharistia an ieiuno stomacho sumenda. p. 305.  
 Eucharistiâ indignè sumens peior Iudæis. p. 388.  
 Eucharisticum epulum, *τέλος φιλικίας*, extremum amicitia. p. 259.  
 Euenius Pastor cur oculis orbatus? p. 511.  
 Euphrates symbolum Iustitiæ. p. 196.  
 Exempli boni vis. p. 123. 231. 368.  
 Exempli mali vis quanta? p. 101.  
 Exempla vis illustrata insigni Scripturæ loco. p. 234.  
 Exercitia spiritualia & secessus opportunus. p. 77. quanta eorum commoda? p. 78. Et elogia. p. 79. 80.  
 F.  
 S. Fabianus Pontifex ab ostento niuæ columbæ. p. 4.  
 Faustus

INDEX RERVM.

- Faustus Quatuor Euangelia repudiauit. p. 240.
- Ferrum à delubris arcendum, p. 301.
- Festi dies cur à vespera incipient? p. 345.
- Fides Luthero vt sufficit? p. 218.
- Fides sine operibus mortua. p. 224.
- Fides est oculus. p. 211.
- Fidei symbola. p. 211.
- Fidei symbolum est manus. pag. 212.
- Fidei præsidia quæ? p. 214. 215.
- Fidij simulacrum quale? p. 121.
- Figura perfectissima quæ sit? p. 54.
- Figura quadra cur sordida. p. 52.
- Figura quadra symbolum firmitatis. p. 54.
- Fœmina vix calua fieri potest. p. 30.
- Fœmina cur non sit capax Ordinis? p. 101.
- Fortuna cur globo insistens? p. 54.
- G.
- Galea salutis quæ sit? p. 171.
- Galea spei symbolum. p. 176.
- Gaudium in Domino quale? p. 168.
- Gladius Goliachi. p. 225.
- Gladius Saulis. p. 226.
- Gladius Gedeonis. p. 227.
- Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto vnde originem sumperit? p. 356.
- Geometriæ studium in quibus damnetur? p. 69.
- Graduale quid significet? p. 370.
- Græci primi fuerunt Christiani. p. 360.
- Gratitudo. p. 382. Eius symbolū terra, ideo benedicta. p. 383.
- S. Gregorius ignea columba monstratur. p. 3.
- S. Gregorius Taumaturgus moriens 17. dumtaxat Neocæsareæ reliquit Idololatrias. p. 473.
- H.
- Hannibal cæsis Romanis, ex eorum annulis 3. integros modios transmisit. p. 146.
- Hæreditatis portiones mittebantur in calicem. p. 19.
- Hæreditatis funes qui? p. 19.
- Hæretici bonis Ecclesiæ inuident. p. 8.
- Hæretici vt Scripturam vel reijciunt, vel deprauant. p. 235.
- Hæreticorum maledicentia. p. 9. 10. 11.
- Hebræa lingua cur perfectissimas. p. 463.
- Hebræi cur Pastores ament? pag. 506.
- Hebræi reijciunt librum Iob. p. 239.
- Hebræi captiui Dei nomen manibus inscripserunt. p. 212.
- Hebræi bis coronari. p. 60.
- Heli cur dictus lucerna Dei? pag. 414.
- Henricus Octauus Ecclesiæ rebellis. p. 14. decem millia templorum vno anno destruit. Ibi dem.
- Hæua omnium prima Scripturæ verba adulterauit. p. 241.
- D. Hieronymus in Scripturis torus. p. 67.
- Hippo-

INDEX RERVM.

- Hippocrates primus pileo vsus p. 140.
- Homini cor sursum erigendum. p. 380.
- S. Honoratus Episcopus dictus: *Armarium scripturarum.* p. 68.
- Horæ unde dictæ? p. 420. unde Canonica? Ibidem. Cur & unde septem? p. 422. legi debent seruatis horarum intervallis. p. 430. Id confirmatur exemplo raro. p. 433. Præueniens tempus in Purgatorio punitur. p. 434. Ijs legendis locus apertus, aut chorus, aut cella. pag. 437. Legens in lectulo à Dæmone irridetur. p. 438. Qui legere tenentur, & quo iure? p. 439. & seq. Earum omisso quale peccatum? p. 443. An tot peccata, quot horæ? p. 444. Quale peccatum eas præposito ordine legere? p. 445. Item officium pro officio? Ibidem. An repetendum? Ibidem. Quæ requiratur & sufficiat attentio? pag. 449. An qui sine attentione legerit, teneatur ad fructuū restitutionem? p. 450.
- S. Hugonis Episcopi mira pro Ecclesiasticâ dignitate libertas. p. 325.
- Humilitatis laus. p. 344.
- Hungariæ pars tertia Ecclesiæ celsit. p. 14.
- I.
- Iacob tres lapides capiti supposit, qui in vnum coaluere. p. 304.
- Iacob cur adorarit fastigium virgæ Iosephi? p. 156. Moriens vertit se ad Orientem. p. 292.
- D. Iacobus D. V. adhuc viuenti templum dicauit. p. 297.
- Iapones Crucem fronti cur imprimant? p. 212.
- Idolum apud Iapones mirabile. p. 16.
- Ieboua* unde deriuetur? p. 131. nomen ineffabile. p. 133. eius reuerentia. p. 134. 135. Illud pronuntiabat solus summus Pontifex. p. 132.
- Ieiunus Elias cælum clausit. pag. 308.
- Ieiunus Iosue cælum stirit. pag. 308.
- Ieiuna lingua cæli clavis. p. 308.
- Ieiuni Iudæi Sacerdotes tabernaculum intrabant. p. 308.
- Ieiuni Sacerdotes à Deo oracula petebant. p. 308.
- Iesv nomen in Iosue figuratum. p. 229. Cælum aperit, vt Davidis, templum. p. 363.
- D. Ignarij lacrymæ, & earum pro arbitrio frænum. p. 179.
- Ignis mentio cur nõ fiat in mundi creatione. p. 383.
- Imperatores morti proximi annulum successori mittebant. p. 146.
- Imperatores milites donabant scuto. p. 224. Imò coronabant. Ibidem.
- Imperatores olim Episcopis dabant osculum in signum venerationis. p. 325.
- Impe-

INDEX RERVM.

- Imperia sorte dabantur. p. 2. forte, an natura obuenire, vtrum melius? p. 2.
- Ingrati Deo ignoti. p. 384.
- Innocentius 4. creat 12. Cardinales, eosque primus donat purpureo galero; quæ ratio? p. 526.
- Interpretes 70. Hebræa Biblia Græcè vertunt. p. 243. Quotannis in Insula Pharos indicuntur festi dies in eorum memoria. p. 244.
- Iobus in morte filiorum cur tonsō capite? p. 38.
- Iob ante dictus Ob. p. 136. data ei littera è nomine *Ieboua*, ibidè.
- Iobi constantia. p. 230.
- Iosephi Abbatis orantis decem digiti videbantur velut decem lampades. p. 342.
- Iosephi constantia. p. 230.
- Iosifæ Regis sanguineas guttas in templo custodiuit Ieremias. p. 102.
- Iosias cum melle & musica comparatur. p. 485.
- Iudæa cur dicta: *incerti Dei*? pag. 134.
- Iudæi Scripturas adulterât. p. 243. Quando primum inuenerint puncta. p. 243.
- Iudex sanguini nihil tribuat. p. 204.
- Iudex non sit specularis. p. 200.
- Iudex statuat se in Dei oculis. p. 201.
- Iudex verus auro inexpugnabilis. p. 202.
- Iudicis boni exemplum rarum. p. 202.
- Iudices apud Thebanos pingebantur sine oculis, ac manibus. p. 201.
- Iudicum constantia in damnando. p. 207.
- Iudiciaria virga qualis? p. 156.
- Iudicia olim ad portas ciuitatis. p. 167.
- Iulij Cæsaris statua. p. 237.
- Iuramentum non emittebatur nisi ieiunâ saluâ. p. 308.
- Iurandi consuetudo damnanda. p. 133.
- Iurâdi ritus elevatione manuum. p. 127.
- Iurantes olim non exprimebant nomen *Ieboua*, sed eius litteras. p. 135.
- Iustinianus Imperator altare struxit ex auro & gemmis. p. 264.
- Iustitia diuina pugnat gladio accipiti. p. 237.
- Iustitiæ definitio ac diuisio. p. 195. Spectet commune bonum. p. 196. Personas non accipiat. p. 199. Quis sit Iustitiæ oculus? p. 201. Eius emblemata. p. 201.
- Iustus est quasi cubus. p. 206.
- K.
- Kyrie eleison vnde, & cur in Missâ dicatur? p. 359. Cur eæ voces Græco idiomate? p. 360.
- L.
- Lacedæmones infantem natum in scuro deponebant; quæ causa? p. 216.
- Lacæna solè viros pariunt. p. 216.
- Lacrymæ

INDEX RERVM.

- Lacrymę pœnitenti sunt pro spon-  
gia & baptismo. p. 180. 181.  
Laici excluderantur choro. pag.  
392.  
Legis tabulæ olim quater inter-  
diu, ter noctu legebantur p. 423.  
D. Leo Pontifex per dies 40 o-  
rat. ad sepulchrum D. Petri. p.  
419. Punitur à Deo quod indi-  
gnos ordinasset. Ibidem.  
Leontij Lydiæ Episcopi sancta  
Libertas. p. 142 ob eam dictus:  
*Ecclesiæ regula.* p. 143.  
Leuitæ quomodo consecraban-  
tur? p. 25.  
Leuitę consecrabantur anno æta-  
tis 25. p. 400.  
Lex cur olim dicta: *Aranæ tela?*  
p. 206.  
Lia, id est labor. p. 237.  
Liberalitas in dotandis Ecclesijs.  
p. 17.  
Liberius Pontifex, nec tussien-  
dum, nec screandum in tem-  
plis aiebat. p. 289.  
Lilium spei symbolum. p. 174.  
Lingua perfectissima quæ sit? p.  
463.  
B. Lucianus pro altari suo pecto-  
re vsus. p. 304.  
Lucis commendatio. p. 415.  
Lutheri in Christum blasphemia.  
p. 172. bona opera reijcit. p.  
218. Eius insana dogmata con-  
tra meritum & bona opera. p.  
220. vt in Scripturis impiè lu-  
dit. p. 223. Ecclesiastem reiecit.  
p. 239. Vt & Epistolas D. Iaco-  
bi, & Iudæ. p. 241.  
Lydiæ populus comas tributo re-  
demit. p. 30.  
M.  
S. Macedonius Episcopus etiam  
mortuus visus signare se Cruce.  
p. 318.  
Manichæi vetus Testamentum  
reijciunt. p. 238.  
Manipulus cur derur Subdiaco-  
no? p. 40. Olim erat stro-  
phiolum, Ibidem.  
Manipulus Sacerdotalis olim erat  
sudarium. p. 180.  
Manna incidit in manus Moysis  
orantis. p. 337. & 460.  
B. Marcellæ modestia in templo.  
p. 280.  
Marcion solum S. Lucæ Euange-  
lium recipit. p. 240.  
D. Marcus D. Petro adhuc viuo  
templum dicauit. p. 297.  
Mariæ amantior Religiosus. p.  
20. Eius dictum illustre, Ibid.  
S. Martinus primus Clericus. p. 3.  
Martyres ad supplicium ibant ex-  
pansis in Crucem manibus. p.  
340.  
S. Mathiæ fors qualis? p. 34.  
Meruli Monachi assiduitas oran-  
di. p. 410. Pfallens è cælo co-  
ronatur. p. 411.  
Miles liber sit oportet. p. 74.  
Militaris cōstantiæ symbola. p. 6.  
Milites olim ab Ordinibus arce-  
bantur. p. 412.  
Militibus olim vetitum coniu-  
gium. p. 74.  
Miracula quę contigerunt in ver-  
sione 70. Interpretum? p. 244.  
Z z z. Missa.

INDEX RERVM.

- Missã an nouum nomèn ? p. 247.  
 vnde hoc nomen sumprum ? p.  
 250. Ab Hebræo Massah, vel  
 Missah p. 252. Massah, id est pa-  
 nis azimus ; Missah, id est obla-  
 tio. p. 252. Missã à mittendo,  
 Ibidem. Vota populi in ea mit-  
 tuntur in cœlum. p. 253. Missã  
 assistunt Angeli. p. 254. Missã  
 quid sit ? quæ eius partes ? p.  
 269. Missã Catechumenorum  
 quæ ? p. 269. Missã sacrificium  
 in qua actione consistat ? pag.  
 270.
- Missã olim dicebatur post meri-  
 diem, & ieiunium protraheretur  
 ad occasum solis. p. 281.  
 In Cœna Domini, & Sabbaro  
 Sancto post occasum solis, Ibi-  
 dem.
- Missã introitus vnde, & quid por-  
 tendat ? p. 348. eius author. p.  
 350.
- Missã olim præmittebatur lectio  
 totius Psalterij. p. 350.
- Missã olim præmissa tantum O-  
 ratio Dominica : tum Episto-  
 la; tum Euangelium. p. 350.
- Mitræ Sacerdotibus cur gladius,  
 & corona proponeretur ? p. 61.
- Monachi tonsura qualis antiqui-  
 tus ? p. 36.
- Monachum Dæmon à choro re-  
 trahit. p. 436.
- Mors centrum malorũ omnium.  
 p. 184.
- Moyse an Ægyptium occiderit  
 pronuntiandò nomèn: *Iehoua* ?  
 p. 137.
- Moyse orans eleuatis manibus  
 Israëlì victoriam impetrat. p.  
 338. Quæ causa ? Ibid.
- Moyse caritas. p. 527.
- Mundities decet Religiosum. p.  
 158.
- N.
- Naturæ emblema. p. 127.
- Nazaræi vnde dicti ? p. 23.
- Nazaræorum leges. p. 23.
- Nazaræorum sanctificatio quæ ?  
 p. 23.
- Nepotianus : *Bibliotheca Christi.*  
 p. 68.
- Nicerius Archiepiscopus Treui-  
 rensis natus cum coronâ Cle-  
 ricali. p. 401.
- Nicolaitæ Psalmos Davidis reij-  
 ciunt. p. 238.
- Nobilis Hebraicè dictus : *Ben*  
*Chorim, filius Candidatorum.*
- Nobiles olim veste albâ induti.  
 p. 160.
- Norgerus author Prosa in Missã.  
 p. 372.
- Nox diuisa in quatuor vigilias. p.  
 427. Dies in quatuor partes,  
 ibidem.
- Numerus septenarius sacer. p. 95.  
 symbolum fidei, ibidem. Re-  
 ligionis & gratitudinis. p. 96.
- Numerus septenarius est Maje-  
 statis. p. 99.
- Numerus septenarius virgo. pag.  
 103.
- Nuptiæ tempestiuæ anno ætatis  
 30. p. 401.
- Oculus Iustitiæ symbolum. p. 199.  
 Oculi

INDEX RERVM.

- Oculi pupilla, quo nigrior, eo ac-  
cutior. p. 347.
- Officij diuini diuifio petita è diei,  
& noctis diuifione. p. 429.
- Orans ad omnia fit paratus p. 340.  
orantis habitus qualis? p. 343.
- Orantes olim cur pedem attolle-  
rent? p. 460.
- Orare de profundis quid fit? p. 462
- Oratio est arcus. p. 339. operibus  
iungèda p. 341. Eius mira vis. p.  
342. 364. Sic humilis. p. 344. cœ-  
los aperit. p. 363. Eius efficaeta  
contra hoftes, Ibid. Omni lo-  
co fieri potest. p. 436. Fiar ge-  
nu flexo. p. 439.
- Oratio vaga, nutās, ebria, duplex.  
p. 454. Vnica, quæ? p. 455.
- Orationis bonæ leges. p. 457. &  
feq. Oratio ficut incensum &  
thymiāma; quæ olim in eo mi-  
racula? p. 459.
- Oraturi Iudæi olim Occidentē,  
Christiani Orientem afpiciunt.  
p. 231. quæ caufa? p. 292.
- Ordinandus olim Pfalterium to-  
tum memoriter tenere debuit.  
p. 409. Qualis debeat effe vita  
eius? p. 413. Debuit habere pu-  
blicum testimonium probira-  
tis. p. 412.
- Ordinatus cum Deo fœdus iniur.  
p. 97.
- Ordo fine Sacramentum? p. 86.  
Lutheri & Caluini de eo erro-  
res. p. 87.
- Ordines facri olim dabatur men-  
fe Decembri. p. 63. Cur den-  
tur in quatuor temporibus? p.
65. Eorum dignitas ac Maie-  
ftas. p. 100.
- Oriens cæteris orbis partibus  
præftat. p. 293.
- Origenis lapsus, & pœnitentia.  
p. 233.
- Ofanna quid fignificet? p. 386.
- Osculum fignum amoris. Hinc  
Græcis amare, & osculari, i-  
dem. p. 322. Signum præroga-  
tiuæ, dignitatis, imperij, gra-  
tiæ. p. 323. Osculo dabatur gra-  
tia Prophetiæ. p. 324. Signum  
est venerationis. p. 325. Signū  
obedientiæ. p. 326. Signum pa-  
cis. p. 327. Signum adorationis.  
p. 330. Datur osculum altari in  
fignum venerationis, Ibid. Ro-  
manæ fœminæ viros oscula-  
bantur in fronte, Ibid. viri fœ-  
minas in ore post legem de nō  
bibendo vino, Ibid.
- Osculum ad firmandam donatio-  
nem. p. 327. Itē fponfalia, Ibid.
- Osculum pacis vnde ortum, &  
quale? p. 334.
- Osculum Iudæ à SS. PP. *Prodigium*  
appellarum. p. 328.
- Osculo abftinebāt Christiani De-  
minica Pafchæ, in derestatio-  
nem osculi Iudæ. p. 329.
- Oscula cur darentur moribun-  
dis? p. 323.
- Oues in Apolloniâ, Soli facræ,  
p. 511.
- P.
- Pallas è Iouis cerebro cur nata?  
p. 103.
- Panis Hebraicè: Lechen, p. 228.

INDEX RERVM.

- Paradisi flumina quatuor. p. 196.  
 Symbola quatuor virtutū Cardinalium. *ibid.*  
 Pastoris officium. p. 236. Eius absentia quæ damna importet? p. 474.  
 Pastor, & idolum. p. 477.  
 Pastor gregis oculus. p. 479.  
 Pastoris boni officia. p. 507. Primum, amor & caritas. p. 507, & seq. Secundum vigilância. p. 509. oues amer, non vellus. p. 517.  
 Pastores cur Hebræis dicti amatores? p. 507. vigilant ad tria; ad disciplinam, ad custodiã, ad preces. p. 517.  
 Patientia illustris Ioannis Fernandij. p. 235.  
 D. Pauli lacrymæ. p. 178. Vis & eloquentia. p. 230. Rara encomia. p. 404. Eximia caritas. p. 496. 527.  
 S. Paulinus Nolæ Episcopus, primus campana populum ad sacra vocauit. Hinc campana dicta est nola. p. 349.  
 Paulus 2. Cardinales donat veste purpureâ. p. 526.  
 Peccata sunt opera seruilia. p. 73.  
 Peccator cur dicitur esse in Occidente? p. 293.  
 Pedum Pastorale index potestatis. p. 151.  
 D. Petrus Antiochiæ ad contumeliam rufus. p. 27.  
 Phalti cur dictus Phaltiel. p. 190.  
 Pharao cur anulum Iosepho tradiderit? p. 146.  
 Pharisæi qui fuerint? p. 22.  
 Philosophi olim cur albâ veste induci? p. 160.  
 Pietatis simulacrum quale apud Romanos? p. 336.  
 Pili vnde nascantur? p. 31.  
 Placillæ Augustæ pia munificentia. p. 264.  
 Pœnitentes olim rondebantur. p. 39.  
 Pœnitentiæ symbolum. p. 113.  
 Pœnitentiæ typus Dauid. p. 41.  
 Politici carpuntur. p. 521.  
 Pontificis in definiendo auctoritas. p. 90.  
 Pontifex totus sit vocalis. p. 123.  
 Pontifex Max. cur sacris operetur inter septem candelabra? p. 129.  
 Pontifices in fronte gestabât nomen *Jebova*. p. 319.  
 Porphyrius Danielem reiecit. p. 239.  
 Posæ in Psalmis à quo, & cur institutæ. p. 461.  
 Præfatio in Missa quid contineat? p. 380.  
 Prælatorum varia nomina. p. 466.  
 Cur dicantur anima, & spiritus populi? p. 470.  
 Prælatorum officium sollicitudo, non celsitudo. p. 517.  
 Presbyteri cur dicantur creati? p. 81. Annuæ istius creationis memoria. p. 82. Eius elogia, & solemnitas. p. 82. 83.  
 Primitiæ rerum omnium Deo dicandæ. p. 64.  
 Primogeniti olim, Sacerdotes. p. 56.

Principes

INDEX RERVM.

- Principes in Scripturis cur dicti Pastores. p. 507.
- Proculianum per coronam suam cur obtestatur S. Augustinus? p. 62.
- Progressus in via virtutis sit continuus. p. 169.
- Prophetæ cur rasi? p. 26.
- Prosa quo authore Missæ inserta? p. 372.
- Psalmi cur 150? p. 407, & seq.
- Psalmodiæ vis quanta? p. 138.
- Psalmorum vis & laus. p. 350.
- Psalterij encomia. p. 407, & seq.
- Purgatorium. p. 250.
- Purpura regius color, eo soli Reges olim vrebantur. p. 525.
- Q.
- Quatuor tempora cur Deo sacra? p. 64.
- Quatuor tēpora respondent quatuor virtutibus Cardinalibus. p. 66.
- R.
- Rabbi, id est multus. p. 198.
- Rachel, id est quies. p. 237.
- Rationale quid esset? p. 113. Cur ei inscripta nomina filiorum Israël? p. 115.
- Reges olim radijs solis pro coronâ vrebantur. p. 55.
- Regio sceptris cur immineret oculus? p. 156.
- Rei mœroris causa capillos demittebant. p. 38.
- S. Remigius creatus Episcopus anno ætatis 21. p. 398.
- Residentia præceptum quale sit, & quos obliget? & quo iure? pag. 465. Residentia Prælati commendatur. p. 485.
- Robertus Rex Franciæ composuit hymnum: *Veni Sancte Spiritus.* p. 372.
- Roberti Sorbonæ luxus in veste damnatus. p. 161.
- Roma quantum boni acceperit à D. Petro? p. 472.
- Romæ in Missa cur nõ legeretur symbolum Apostolorum? p. 378.
- Romani in luctu barbam, & capillum promittebant. p. 37.
- S.
- Eius religio. p. 71.
- Sabbatulum vnde dictum? p. 71.
- Sabbatum vnde dictum? p. 70.
- Sabbathij Presbyteri lapsus. p. 418.
- Sacerdos summus cur humeris gestaret nomina 12. Patriarcharum? p. 112. In pectore gestabat adamantem à quo miræ præfagitio futurorum. p. 117. Eius doctrina, & diuina lumina. p. 119.
- Sacerdos summus apud Ægyptios gestabat imaginem Saphiri cum hac epigraphe: *Veritas.* p. 120.
- Sacerdos pro suo peccato maiorem hostiam immolat, quam Rex. pag. 59. Dicitur terrestris Deus. p. 83. Ei cognata castitas. p. 104. Mediator Dei & hominum. p. 142. Os populi, & Dei. p. 253. Legatus generis humani. p. 278. Ab ipsa Eucharistia osculum accipiebat, inde dabat Diacono. p. 335. Cur oret ex-

INDEX RERVM.

- passis in Crucem manibus? p. 340. Torus sit spiritus. p. 367.  
 Populi ad Deum Legatus. p. 368.  
 Lux mundi. p. 415.  
 Sacerdotalis castitas. p. 116.  
 Sacerdotis quæ debeat esse Castitas? p. 116. 121. Eius vita cœlestis. p. 117. 123.  
 Sacerdotes Æthiopes initio Missæ ter se signant; Latini semel. p. 317.  
 Sacerdotes antiqui vicis suæ tempore vxoribus abstinebant. p. 312. Cur Sacerdotibus antiquæ legis permissum coniugium? cur negatum in nouâ? p. 313.  
 Sacerdotes & Leuitæ qui? p. 22.  
 Sacerdotes plorare debent pro populo. p. 40. dicti *σερανοφοροι*. p. 50. dicti Saluatores. p. 51. Sunt Reges. p. 57. Cum sole comparantur ab Innocentio 3. vt & Imperatores cum Lunâ. p. 57. Sacerdotes & Principes vna voce Hebræâ significantur. p. 101. Vocantur lapides sanctuarij. p. 102. Actores Dei. p. 107. Eorum ignorantia carpitur. p. 247. Eos veneratur ipse Christus. p. 266. Eisdem veneratus Constantinus Imperator. p. 268. Seraphinis digniores. p. 268. Olim quotidie sacrificabant. p. 277. A Deo districtius iudicabuntur. pag. 389.  
 Sacerdotij dignitas. p. 56. 141. Sacerdotium est *Diuinum quiddam*. p. 269. Ibidem plura.  
 Sacre supellectilis opulentiâ. p. 265.  
 Sacramenta & Sacramentalia quomodo distinguantur? p. 353.  
 Sacrificium Missæ tremendum. p. 388.  
 Saladinus capta Ierosolyma, templū Salomonis ingressurus manus lauit aqua rosacea. p. 285.  
 Salutationis forma apud Monachos hæc erat: Gloria Patri, &c. p. 357. Saluatio antiqua: *Dominus vobiscum*. p. 366.  
 Sanctorum diadema vnde originem sumpserit? p. 224. 225.  
 Sapientia cur in quadro? p. 54.  
 Sapores Rex in vtero coronatus. p. 401.  
 Saul forte in Regem electus. p. 2.  
 Scholæ olim tres in Ecclesia, Euangelij, Apostoli, Psalterij. p. 403.  
 Scripturæ sacræ commendatio. p. 67. Eius dignitas: *Diuini apices, Adorabilia verba*. p. 332.  
 Eius abusus culparur. p. 369.  
 Scutum fidei solum. p. 213. insigne gloriæ. p. 224.  
 Secessum à negotijs vt amarint Antiqui? p. 77.  
 Sedes Patriarchales quatuor, earum symbola: Leo, Vitulus, Homa, Aquila. p. 514.  
 Seruitus gloriosa quæ? p. 35.  
 Seth cur dictus Deus? p. 84.  
 Signum Thau quale? p. 320.  
 Silentium in templis. p. 290. Dictum caput Diuinitatis. p. 290. Eius imago olim in templis. p. 290.

Silen.

## INDEX RERVM.

- Silentium in templo. p. 393. Eius ratio, præcepta, & exemplum illustre. p. 394. 395.
- S. Simcon vltimus pronuntiauit nomen *leboua*. p. 135.
- Simon Magus Clericis suis pro coronâ quadrum induxit. p. 47.
- Smaragdus symbolum castitatis. p. 189.
- Somniorum genera tria. p. 227.
- Sorbona vnde dicta? p. 161.
- Spei symbola. p. 174. In diuinis ponenda. p. 175. Differentia inter spem bonorum, & malorum, Ibidem.
- Sponsi cur coronati? p. 52.
- Stella cur Magos ad præsepe duxerit, cur ab eo Angelus reduxerit? p. 58.
- Superbia punita diuinitus. p. 150.
- Superpellicei vsus quid significet? p. 285.
- Symbolum in Missa primum legicceptum in Oriente. In Occidente vero sub Carolo Magno. p. 378. Symbolum quadruplex. p. 378. Vni symbolo pepercit Lutherus. p. 379.
- T.
- Tabernaculum olim locus vnicus sacrificij. p. 282.
- Tatianus Apostolorum Acta reijcit. p. 240.
- Templi Salomonici parietes tangere, nefas. p. 289.
- Templorum maiestas & opulentia vnde? p. 263. Ea execrantur Manichæi. p. 281. Cur crecta? p. 282. Cur ea ingressuri olim lauabant manus? p. 285. Cur ea ingressuri calceos deponerent? p. 286. Eorum mira veneratio. p. 286, & seq. Eorum vestibulis dabantur oscula. p. 287. Olim Occidentem respiciebāt, nunc Orientem p. 291.
- Templorum nomina quatuor. p. 284. Quatuor seruanda in templis. Ibidem. Cur sanctorum nomini inscripta? p. 296. Eorum cultus cōmendatur p. 298.
- Theodoretus Cyri Episcopus manibus Diaconorum pro altari vsus. p. 304.
- Theodorus quidam omnes Prophetas reiecit. p. 238.
- Theodosij edictum de dignitate Sacerdotali. p. 144.
- Theotymus Episcopus dictus ab Hunnis: *Deus Romanorum*. p. 84.
- D. Thomæ dictum illustre. p. 21.
- Thomæ Mori æquitas. p. 202.
- Tiara summi Sacerdotis quæ fuerit? p. 139.
- Timor Dei Deos fecit. p. 215.
- Tonsura Clericalis vnde orta? p. 22. Signum abdicationis. p. 32.
- Signum seruitutis. p. 34. Signum datæ fidei. p. 35. 36. Signum luctus. p. 36. 37. Signum humilitatis. p. 43. Signum puritatis. p. 45. Signum libertatis. p. 46.
- Tractus vnde dictus? p. 371.
- Traditionum auctoritas. p. 28.
- Tribus Leui cur præ cæteris electa? p. 189.
- Tribui Ruben pro scuto erat hominis

## INDEX RERVM.

- minis figura. pag. 213. Tribui  
 Ephraim, Taurus, Ibid. Tribui  
 Iuda, Leo, Ibid. Tribui Dan,  
 Aquila, Ibid. Quæ in eo fidei  
 nostræ mysteria? Ibidem.
- V.
- Valentinianus dum S. Martino  
 Episcopo assurgere recusat, diui-  
 nitus punitur. p. 143.  
 Valentiniani silentium pro Deo  
 coluerunt. p. 290.  
 Valentinus solum Ioannis Euan-  
 gelium recepit. p. 240.  
 Vanitas hominû in titulis. p. 20.  
 Vapores, & exhalationes vnde?  
 p. 31.  
 Verbi diuini vis. p. 229.  
 Veritatis laus. p. 121.  
 Veritati debetur honor & amor.  
 p. 121.  
 Vermilij calûnię refutatur. p. 524.  
 Vestis alba signû beatitatis. p. 194  
 Vestis Clericalis qualis esse de-  
 beat? p. 158.  
 Vestis Sacerdotalis cur linea, non  
 lanca? p. 193.
- Vestium luxus damnatur in Sa-  
 cerdotibus. p. 159.  
 Vindictę diuinæ exēplum. p. 392.  
 Virga Moysis quadrangula. Vnde  
 miraculosa? an à nomine *leboua*  
 ei inscripto? p. 137.  
 Virga regia olim è quercu, in qua  
 tot folia, quot anni dominatio-  
 nis. p. 157.  
 Virgini Vestali cur Imperator è  
 via cederet. p. 191.  
 Virgo Hebraicè dicitur: *Abfcon-*  
*dita.* p. 414.  
 Vngues, vnde nascantur? p. 31.  
 Votum Nazaræorum. p. 23.  
 Vrim & Tûmim quid esset? p. 116.  
 Vxori datus custos, vulgò dicitur  
*sequitor.* p. 149.
- Z.
- Zacharias miro prodigio cog-  
 nouit dandum sibi filium. p. 118.  
 Zelus animarum. p. 503, 504.  
 Zeno Episcopus, etsi ceterarius,  
 quotidie sacrificabat. p. 277.  
 Zona symbolum clementiæ. p.  
 130.

*Solis 28<sup>to</sup> Paderb. 7 63. 5.*

F I N I S.

A P.

APPROBATIO.

**S**peculum istud Ecclesiasticorum,  
ac Religiosorum, *prorsus dignum est*  
*ut typis mandetur, assidueq; illud omnes contem-*  
*plentur. Datum Trudonopoli hac 21. Februarij*  
1640.

IO. A CHOKIER Vicarius  
Generalis Leodien.

*Facultas R. P. Prouincialis.*

**E**go infra scriptus Societatis IESU in Gallo-belgica  
Prouincialis, potestate mihi ad hoc facta à Reue-  
rendo Adm: P. N. Generali, facultatem concedo, ut liber  
cui Titulus: SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
AC RELIGIOSORVM à P. IACOBO LOBBETIO  
dictæ Societatis conscriptus, eiusdemque Societatis Pa-  
trum iudicio approbatus, typis mandetur. Datum Niuel-  
lis 31. Maij 1639.

FLORENTIVS DE  
MONTMORENCY.

Aaaa

ERRA-

ERRATA.

Vna pro Inna p. 14. l. 10. dæconomos pro æconomos p. 17. l. 13. arguit pro non  
arguit p. 26. l. 19. copiofas pro copiosos p. 42. l. 25. temporis pro teporis p. 83. l.  
9. Diaconi pro Subdiaconi p. 93. l. 20. indice pro iudice p. 101. l. 8. indice pro iudice  
p. 103. l. 1. alis pro alias p. 103. l. 5. audia pro audi p. 103. l. 6. amorumque pro  
armorum p. 109. l. 1. amaturam pro armaturam p. 109. l. 3. vmbra pro doctrinam  
p. 124. l. 1. ratio, pro natio p. 146. l. 1. ista abundat p. 158. l. 9. vt pro & p. 170. l.  
25. ca pro & p. 182. l. 19. musca pro musca p. 206. l. 21. illa pro vlla p. 208. l. 9.  
erit pro erat p. 211. l. 1. diuina pro diurna p. 215. l. 7. ataribus pro altaribus p. 252.  
l. 16. creatorum pro creatarum p. 267. l. 11. Christianorum pro Christianorum p. 286.  
l. 12. suscipias pro suspicias p. 288. l. 6. & pro vt p. 288. l. 16. qualis & pro qualibet  
p. 302. l. 9. *illos sua* pro illosue p. 319. l. 2. pareant pro pateant p. 346. l. 19. appel-  
let pro appellat p. 361. l. 17. iudicio pro indicio p. 401. l. 24. inclita pro molita p.  
406. l. 16. magna pro magno p. 436. l. 1. interua pro interna p. 452. l. 15. rapinas  
pro rapinis p. 457. l. 9. subiectum pro subiectam p. 468. l. 22. iudicium pro indiciam  
p. 509. l. 4. contemplatur pro contemplatur p. 513. l. 7. vita pro vota p. 520. l. 14.  
crocoque pro coccoque p. 524. l. 17.


FLORENTIS DE  
MONTMORENCY


ERRATA


ERRATA




















Spec. lib.  
Lobbe

Th  
2791